PERKINS LIBRARY

Duke University

Rare Books

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

TOMUS SEPTIMUS.

Bottari, G.G. ed.

FLORENTIÆ. MDCC.XX.
Typis Regiæ Celſitudinis, apud Joannem Cajetanum
Tartinium, & Sanctem Franchium.

Superiorum permiſſu.

RBR
B751C
V. 7

CATALOGUS

ITALORUM POETARUM

Tomi Septimi.

O

OCtavius Franciſcus. pag. 1.
Oritheus Antonius. 27.
Ortanus Dominicus. 29.

P

PAlatius Joannes Andreas. pag. 30.
Palearius Aonius. 39.
Paleotus Camillus. 52.
Palermius Valerius. 62.
Palladius Bloſius. 63.
Palonius Marcellus. 65.
Panigarola Franciſcus. 66.

Pan-

376490

Pannacchionus Joannes Antonius. pag. 69.
Panſa Paulus. 71.
Paravicinus Parthenius. 77.
Pardus Joannes. 81.
Paraliſtaneus Joſeph. 82.
Parthenius Bernardinus. 84.
Paſchalis Ludovicus. 100.
Patricius Franciſcus. 145.
Paulinus Fabius. 150.
Percinus Antonius. 151.
Peronius Antonius. 151.
Perſona Joannes Ambroſius. 153.
Peſſinus Nicolaus. 154.
Petrarcha Franciſcus. 157.
Philelphus Marius. 166.
Philelphus Franciſcus. 169.
Philomuſus Fauſtus. 171.
Philomuſus Joannes Franciſcus. 172.
Piccolomineus Æneas. 183.
Piccolomineus Aſcanius. 188.
Picus Joannes. 190.
Picus Joannes Franciſcus. 194.
Pigna Joannes Baptiſta. 205.
Pinellus Joannes Baptiſta. 226.
Pius Joannes Baptiſta. 255.
Platus Platinus. 256.
Placentinus Raphael. 280.
Plazonus Joannes. 283.
Ploveneus Petrus Paulus. 292.
Politianus Angelus. 294.

Pol-

Pollaſtrinus Joannes Pollio. pag. 405.
Pollinus Alexander. 413.
Pontanus Joannes Jovianus. 442.
Porcatius Thomas. 496.
Porcellus. 497.
Poſſevinus Joannes Baptiſta. 520.
Priulus Aloyſius. 525.

CAR-

376490

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

FRANCISCI OCTAVII

Ad Petrum Medicem.

PRincipibus quidam donant ſua Carmina: quidam
  Ditibus, ut meriti præmia digna ferant.
Dedecus hoc abſit, valeant qui carmina vendunt:
  Ut dem noſtra tibi gloria ſola facit.
Grandia non grandi pro munere munera reddes,
  Si placido vultu quæ damus accipies.

De Cœtu Poëtarum Libellus, ad Eumdem.

Nox erat, & pleno fulgebat Cynthia cornu,
  Ibat & Arctoo tradior urſa polo,
Feſſaque jam multo reſolutum membra ſopore
  Curarum domitrix preſſerat alta quies,

Ecce vagans tandem Florentibus applicor oris:
Aut fuit, aut vacuæ ſomnia mentis erant.
Aërius geminis petit æthera verticibus mons,
Mœnia Sidoniæ qua poſuere manus.
Hinc tibi, Bacche pater, rauco ſonat ære Cytheron,
Hic tu Cyrrhæum, Phœbe, cacumen habes.
In medio liquidis fons eſt argentus undis,
Gorgoneus celeri quem pede fecit equus.
Hic generoſa novem panduntur tecta ſororum,
Hic tenet Aonios turba canora lares.
Terpſichore, Clioque, Thaliaque, Melpomeneque,
Quæque ſui prima eſt Calliopea chori
Pica loquax tenues convicia fundit in auras;
Nunc volucris, quondam virgo proterva fuit.
Terea non tacitis damnat Philomela querelis,
Et gemit enectum garrula mater Ityn.
Hos ſimul acclivi conſcendi tramite colles,
Ingredior Clarii templa ſuperba Dei.
Innumeri circum ſtabant altaria vates,
Fundebant tacitas & ſibi quiſque preces.
Interea erecto templi faſtigia vultu
Conſpicio, atque tuæ Mulciber, artis opus.
Aurata in medio Phœbi radiabat imago,
Geſtabatque cavam dextera docta chelyn.
A læva tumidus ſurgebat in aëra Pithon,
At contra armata ſtabat Apollo manu.
Ille horrenda dabat ternis modo ſibila linguis,
Et modo peſtifero ventre terebat humum.
Sæpe volubilibus ſe nexibus arctat in orbes,
Sæpe pharetrati fertur in ora Dei.
Nunc liquidum ſeſe ſublimis in aëra tollit,
Nunc tabem ſtygio ſaucius ore vomit.
Tandem millena confoſſus arundine, vitam
Fudit in Æmonia ſanguinolentus humo.
Biſſeptem a dextra diverſo vulnere nati
Jactabant turpi ſaucia membra ſolo.
Conditus obſcura ſub nube latebat Apollo,
Junctaque cum Phœbo tela ſororis erant.

Spi-

Spicula fatali veniunt non irrita cornu,
Dimiſſuſque cava nervus ab aure ſonat.
Ah miſeri mediis paſſim moriuntur in arvis,
Et cœca ad ſtygias morte trahuntur aquas.
Ille frementis equi tergo ruit: ille cruorem
Ore vomit, fœdo palpitat ille ſolo.
At pater Amphion ſtricto ſe verberat enſe,
Et Niobe ſolido corpore marmor erat.
Non procul exanguis detracta Marſya pelle
Cernitur in fontes delicuiſſe novos.
Spectabam, fixoſque oculos in fonte tenebam,
Qui liquido Phrygiam gurgite ſcindit humum.
Jam prece finita linquunt altaria vates,
Deſtituumtque tuos, Delphice Phœbe, lares.
Ipſe poëtarum tacito veſtigia paſſu
Subſequor, & lento tendo per arva gradu.
Planum erat, & multa circumdatus arbore campus,
Ludere quo Nymphæ Naïadeſque ſolent.
Hic fama eſt Bacchi Trieterica ſacra vetantem
Penthea cognatas dilaniaſſe manus.
Alba per excultas candebant lilia valles,
Fundebantque breves vimina lenta roſas.
Hic Hyacinthe rubens, illic Narciſſe, nitebas,
Hic violæ nigras explicuere comas.
Et gracile hic lentum quatiebant vimen anethum
Hic tectum Tyria fronde papaver erat.
Hic crocus, & molli ſurgebat Amaracus umbra,
Quidquid & Eoo cardine fundit ager.
Huc igitur ſacri poſtquam venere poëtæ.
Quilibet in tenero gramine membra locat.
Hi nitidos prati gaudent decerpere flores,
Et nitidos lecto flore replere ſinus.
Innectunt alii viridi cava tempora lauro;
Aſt alii inter ſe grandia verba movent.
Ipſe ego dum miror vultus formaſque virorum,
Gramineo geminos ceſpite cerno duces.
Alter virgineo ſtabat venerabilis ore,
Alter utroque ſenex lumine captus erat.

Jura dabat Grajis hic vatibus, ille Latinis,
  Attamen hic una junctus uterque fuit.
Accedo, & me me qua fert audacia, tendo:
  Horrebant greſſu jam propiore comæ.
Non aliter quondam magnorum ad limina regum
  Fert munus timido ruſtica turba pede,
Tunc ego (grandiloqui nam novimus ora Maronis)
  Effudi tales protinus ore ſonos:
Salve Theſpiadum decus immortale ſororum,
  Quem tulit undoſis Mantua cincta vadis,
Fama Latinorum princeps & gloria vatum,
  Per quem cum Grais Itala certat humus.
En ego non notis vagor errabundus in oris:
  Quas teneo ſedes, quove ſub orbe moror?
Ignaro fer opem, vates, & limite recto
  Dirige. me monitis inſtrue quæſo tuis.
Sic ego: doctiloquo ſic protinus ore poëta
  Reddidit arguto talia verba ſono.
Veniſti ductus fatis, & numine divum:
  Te Deus ignotum carpere juſſit iter.
Noſter es, & noſtri te dilexere poëtæ:
  Noſter es & noſtro de grege ſemper eris.
Quare age Caſtalios hauri de fonte liquores,
  Qui gelido dulces margine fundit aquas.
Ivi, & Caſtalios hauſi de fonte liquores,
  Qui nemus effuſis omne rigabat aquis.
Mox redeo ad vatem; tunc altera munera vates
  Imponit capiti laurea ſerta meo.
Atque ait: hinc quoniam prohibent diſcedere Parcæ
  Nec valet ad ſuperos umbra redire polos.
(Namque hic Elyſii mons eſt, quem forte putabas
  Aoniæ: Elyſio tu quoque rure manes)
Dic age qui latum Cæſar regat inclitus orbem;
  Quive duces torvi Martis in arma ruant.
Quove agitet lætos ſub principe Roma triumphos;
  Quæ nova ſint Latiis addita regna viris.
Quærere deſierat vates, ſecumque ſedere
  Protinus in viridi me quoque juſſit humo.

Tunc

Tunc ego: Romuleis quondam fuit inclita regnis
  Gloria, & Auſonii fama decuſque ſoli.
Magnanimos in bella duces cum Roma crearet,
  Cum rueret forti Cæſar in arma manu.
Vidit laurigeros tunc Martia Roma triumphos,
  Victricique ſuos fronde virere duces.
Alta catenatos duci ad capitolia reges,
  Captaque Tarpejum ſumere dona Jovem.
Vidit barbaricas Latiali Marte cohortes
  Subdere Romano colla ſuperba jugo.
More alio atque aliis ducibus nunc bella geruntur:
  Deſuerunt veteres ſecula ferre viros.
Militiæ ceſſere artes; novus ordo, noviſque
  Induperatores ritibus arma movent.
Nulla cadaveribus tabeſcunt arva cruentis,
  Nullaque ſanguinea cæde rubeſcit humus.
Vix tribus atque docem cæſis victoria parta eſt;
  Corripiunt volucrem cetera turba fugam.
Non eſt qui gelidas nunc tranſeat Hannibal alpes,
  Nec fit Cannenſi ſtrage cruentus ager.
Scipio non Libycos rigido domat enſe furores,
  Atque Numantini mœnia celſa laris.
Non te, Magne, timent Ponti fera regna nivalis,
  Non Cilices, ſævo gens metuenda mari.
Gallica magnanimus non eximit otia Cæſar,
  Nec Latio Æmoniam ſanguine fedat humum.
Non tuus Actiacas Auguſtus in æquora claſſes
  Mergit, & Eoo victor ab orbe redit.
Non Marius, non Sylla ferox, non Regulus alter:
  Perdita non patriæ ſigna, Camille, refers.
Non Decii, non Marcelli, non Paullus, & aſper
  Torquatus, Quinti non mora lenta Fabi.
Non audax Tuſcum remoratur Horatius agmen,
  Non coquit errantem Mutius igne manum.
Barbarus externis Cæſar dominatur in oris,
  Romula non ullus Mœnia Cæſar habet.
Pontifices ſacri Romana palatia ſervant,
  Imperiiſque regunt regna Latina ſuis.

Clavibus hi Cœlum poſſunt reſerare verendis,
  Inque manu ſummi ſceptra Tonantis habent.
Non tamen hi toto dominantur in orbe, nec horum
  Tota ſub imperiis Itala terra ſubeſt.
Hinc Rex Parthenopen atque Appula rura gubernat,
  Et Lacedæmonio regna petita duci.
Hinc dux Inſubrum Ligures, Ticina fluenta
  Poſſidet, & Latia ſtagna cruenta nece.
Nobilis Etruſcas Florentia continet urbes
  Dives, & Auſonii gloria prima ſali.
Pulchrior hinc clarum pandit Ferraria Regem,
  Torvus limoſis quam Padus urget aquis.
Adriaco Veneti dominantur in æquore patres,
  Undaque longævus tecta ſenator habet.
Plurimus in medio fundavit navita ponto
  Mœnia, cœruleis ædificata vadis.
His adeo favit ſors, mente animoque tumenti
  Extulerint ut jam par tibi, Roma, caput.
Subjecere ſuis Minoia regna ſub armis,
  Claraque centenis urbibus arva regunt.
Præterea varii Latia ſunt ſede tyranni,
  Vix tot vere novo paſcit Hymettus apes.
Quid referam populos Phœbo ſub utroque jacentes?
  Heu piget, anne magis commemorare pudet?
Non tangit miſeros infamia priſca nepotes:
  Dedecus hoc, veteres, vos meruiſtis avi.
Dedecus eſt, cui culpa fuit; nos regna tenemus
  Liquerunt noſtri qualiacunque patres.
Barbaricis Siculæ parent heu legibus urbes,
  Graja pharetratus mœnia Turcus habet.
Hinc ſævi ſua jura Scythæ, ſua jura Geloni,
  Belligeri retinent hinc ſua jura Getæ.
Semotus noſtra ſævit tellure Britannus;
  Germanuſque ferox, Armeniique truces.
Terribiles duro gaudent hinc Marte Sicambri,
  Hinc ferus occiduo Cantaber orbe furit.
Gallica contemptor lethi rex poſſidet arva
  Hinc rex Teutonicas poſſidet alter opes.

Inde

Inde ſuas vires Celtæ tutantur Iberi,
  Æthiopesque ſuas, Pannoniique ſuas.
Hinc Mauri regnant, hinc ſævi terra Jugurthæ,
  Hinc Pompejani nobilis aula Jubæ.
Maſſagetes ſua jura tenet, qui lactea rubro
  Pocula cum celeris ſanguine potat equi.
Hinc quæ coctilibus circumdedit oppida muris,
  Conjunx atque parens quæ tua, Nine, fuit.
Et qui Baccheos ferro ſternebat honores,
  Inviolata ferox regna Lycurgus habet.
Hinc Peluſiaci dominantur mœnia Lagi,
  Et quæ Niliaca rura lavantur aqua.
Hinc Medi Perſæque fremunt, ubi maxima quondam
  Agmina Xerxeus duxit in arma furor,
Vis ſua cuique manet, manet & ſua cuique poteſtas,
  Innumeri reges, innumerique duces
Diviſum variis moderantur legibus orbem,
  Et ſua quiſque ſibi jura tyrannus habet.
Hic modo, nunc illic crudelia bella geruntur,
  Ordinibus nullis vulgus in arma ruit.
Nec quiſquam indicit Romano more duellum,
  Nec jacitur forti miſſilis haſta manu.
Raptaque non repetit vittatus rite ſacerdos,
  Nec percuſſa manu fœdera porca facit.
Nec mos eſt agitare novos poſt bella triumphos,
  Nec gerere inſigni laurea ſerta coma.
Non eſt ordo patrum, ſanctique verenda ſenatus
  Majeſtas, nec plebs ulla, nec ullus eques.
Juraque non geminus jam digerit annua conſul
  Alter apud ſocios, alter in urbe manens.
Nec cum biſſeno lictor fert faſce ſecures,
  Ante ſui quotiens conſulis ora meat.
Nomina prætoris tantum manſere, ſed olim
  Complures, at nunc unus in urbe ſat eſt.
Adſunt ædiles, & qui quinquenne notando
  Imperium rigidus crimine cenſor habet.
Abſunt & plebis tutantes jura tribuni,
  Externique gerunt Martia bella duces.

Horrendus dictator abeſt, equitumque magiſter,
  Nec quiſquam patriæ dicitur eſſe pater.
Nec Salius tereti defert ancilia collo,
  Sacrifico ſuperi quæ tribuere Numæ.
Antiqui noſtro ceſſerunt tempore mores,
  Vixque ſuas vires ſermo Latinus habet.
Talia belliſono dederam reſponſa poëtæ,
  Finieratque ſuos linguaque voxque ſonos.
Protinus ex imo traxit ſuſpiria vates
  Pectore, nec lacrimas continuere genæ.
Turbavit vultum mæror, paulumque moratus
  Verba iterum docta talia voce dedit.
Tantane Romanos cœpit dementia patres,
  Ut ſinerent mores deperiiſſe bonos?
Cur tamen objicio hæc patribus populoque Quirini?
  Heu heu Dî tanti cauſa fuere mali.
Cladibus auctor adeſt fatorum immobilis ordo,
  Et Præneſtino diva timenda jugo.
Humanas hæc voluit opes, hæc omnia verſat,
  Mutat & inſtabili ſceptra ſuperba vice.
Hæc olim Aſſyrios Nabatheïa regna tenentes
  Preſſit & excelſum duxit in ima caput.
Alta Semiramidis qua mœnia ſcindit Orontes
  Spumeus, & liquidis in mare currit aquis.
Hæc eadem Graios celſa ditione potentes
  Merſit, & inter ſe bella gerenda dedit.
Clara Rhodos cecidit, doctæ cecidiſtis Athenæ,
  Et vos Cadmea mœnia facta manu
Concidit & gemino fluctu pulſata Corinthus,
  Et Lacedæmoniæ concidit urbis honos.
Sic Agamemnoniis arſerunt Pergama flammis
  Si cecidit Latio Punica Marte domus.
Inclita ſic quondam fuerat tibi, Roma, cadendum,
  Tantaque vis olim diſſolüenda fuit.
Ergo tam magnæ ceciderunt pondera molis,
  Nec rerum dominis, Tybri, ſuperbus aquis.
Et iam tempus erit, quo magnus concidit orbis,
  Miſcenturque uno pontus & aſtra loco.

Con-

Confundent elementa ſuos diſcordia fines
  Conferet & ſævas ignis & unda manus.
Atque iterum toto ſurget gens aurea mundo,
  Fulgebuntque nova lunaque ſolque face.
Crimina diffugient, nec martia bella gerentur,
  Curret cœruleo nec vaga cymba mari.
Cana fides, caſtuſque pudor, paxque alma redibunt,
  Et quæ de ſuperis ultima ceſſit humo.
Tunc & perpetuos tellus dabit uda colores,
  Et novus æterno flore nitebit ager.
Sub juga nec fortes mittentur panda juvenci,
  Sponte ſua viridis conteget arva ſeges.
Sed tu dic quæſo qui veſtro tempore vates,
  Nobile Pieridum quive ſequantur opus.
An ſit qui teneros alternis cantet amores,
  An fera terribili qui ſonet arma tuba.
Anne Sophocleo qui grandia pandat hiatu,
  Et tragico mœſtos intonet ore ſonos.
An ſit criminibus comœdia priſca notandis,
  Cuique labor placeat, Graje Cratine, tuus.
An qui laſcivo cantent epigrammata verſu,
  An ſit, quem ſocco cingere crura juvet.
Talia quærenti do talia dicta poëtæ:
  Attamen ingenuus fluxit in ora rubor.
Quid petis o nullos vates moriture per annos.
  Gloria Romanæ gentis & orbis honos?
Dicam equidem, nec me mea falſa faterier ætas
  Compellet; vero pectore vera loquar.
O pudor, atque nefas! o noſtri dedecus ævi!
  Heu quales gignunt ſæcula noſtra viros!
Quam pauci vates, quam rarus in orbe poëta eſt,
  Quam rari Aoniis fontibus ora rigant!
Cauſa mali ſcelerata fames aurique cupido eſt,
  Quilibet hoc vanas tempore cogit opes.
Ingenium atque novos facit ipſa pecunia verſus:
  Aurea ſi quis habet pondera, doctus erit.
Spernuntur docti: dites monſtrantur ubique,
  Atque hi Phœbo doctius ore canunt.

Quam

Quam juvat ardenti radiantia pallia cocco,
  Et madidam Tyrio murice ferre togam!
Multa tamen viridi cinguntur tempora lauro,
  Et titulum, & ſacri nomina vatis emunt.
Verum hos externo ſumunt a Cæſare fucos,
  Munera barbarica non bene lata manu.
Denique tam docti noſtro ſunt tempore vates,
  Frontibus ut viridi bacchare non ſit opus.
Includunt ſcombros mala carmina ſæpius & tus;
  Veſtit rugoſum ſæpe Thalia piper.
Spes omnis vatum cecidit tua tempore, quo jam
  Elyſium tenuis contigit umbra nemus.
Tu laudes tecum famamque decuſque tuliſti:
  Concidit Aonidum te moriente favor.
Finieram: placido tum lumine lumina vates
  Noſtra tuens, dictis talibus ora movet.
Optima quadrivio non inveniuntur in omni:
  Nobilius quanto eſt, rarius omne vides.
Sic leves curvo ſpernuntur littore conchæ,
  Sic velis rapido pellitur alga mari.
Nobilis Eoo rareſcit in æquora gemma,
  Et toto phœnix unicus orbe manet.
Qui tulerit leges, qui cœlos norit & aſtra,
  Scripſerit hiſtorias qui quoque multus erit.
At qui Caſtalio demerſerit ora liquori,
  Et nova cantarit carmina, rarus adeſt.
Attamen & multos pannoſa moratur egeſtas,
  Nobile quin inopes aggrediantur opus.
Ipſe ego dum patrios trux poſſidet Arrius agros,
  Non potui Aonium pauper adire nemus.
Forſitan & numquam veniſſet ad arma virumque
  Muſa, nec Æneæ, Sidoni, juncta fores;
Ni meus Etruſcis Mecænas regibus ortus
  Innumeras læta fronte dediſſet opes.
Ille mihi ſegetes reddi curavit ademptas
  Et poſſeſſa fera militis arva manu.
Qua veteres fagus ramos effuderat, & qua
  Tardus limoſis Mincius errat aquis.

Quod

Quod ſi forte tuo ſint tempore Mæcenates,
  Eſſet qui grandi panderet arma tuba.
Vix ea fatus erat vates; nihil ipſe moratus
  Incipio tali fundere verba ſono.
Vera equidem dixti, vates; canere arma tubaſque
  Paupertas laceros non valet uncta ſinus.
Sed quamvis raros dent ſecula noſtra poëtas,
  At Mæcenates ſecula noſtra ferunt.
Temporis hoc vitium eſt, non muneris; arma canenti
  Innumeræ noto carmine dantur opes:
Munera non deſunt; deſunt qui munera ſumant,
  Vivit adhuc Thuſcis regibus ortus eques.
Urbs eſt Tyrrhenas inter celeberrima gentes
  Quam rapidus celeri perfluit Arnus aqua.
Alma virûm tellus, qua non formoſior alter,
  Splendidior toto non manet orbe locus.
Aurea marmorei tendunt ſuper aſtra penates,
  Et tangunt nitidi ſidera ſumma lares.
Nobilis hæc Medica generatus origine Petrus
  Regna colit, Thuſcæ gentis & urbis honos.
Coſmus erat genitor terra bene notus in omni,
  Quo non immenſo ſanctior orbe fuit.
Hic dum vita data eſt, ſublimia templa Deorum
  Et media celſos ſtruxit in urbe lares.
Hic & cunctorum numeroſa volumina vatum
  Alta laudatas æde coëgit opes.
Quem morem inſtituit Romana primus in urbe
  Pollio temporibus, magne Poëta, tuis.
Hic igitur multo donavit munere vates,
  Et doctis patulam præbuit uſque domum.
Tandem ſuprema clauſus pia lumina nocte
  Æthereos inter poſſidet aſtra Deos.
Excedit patrem natus vincitque parentis
  Officium: vinci gaudet & ipſe parens.
Ille ſui aſpiciens cœlo facta inclita nati,
  Sidereo grates ſolvit agitque Jovi.
Ergo iter ad ſuperos patria ſibi præperat arte
  Natus, & humanas ſpernit & odit opes.

Hoſ-

Hoſpitibus donat nova munera, donat egenis,
 Magnaque ad hoc patrius munera civis habet.
Juſtitiæ cultor, veruſque in crimine judex,
 Antiquum excedit relligione Numam.
Otia amat, damnatque feri certamina Martis,
 Sola habet hoſtilis, quîs cadat, arma, furor.
Hic ergo eſt noſtro Mæcenas tempore, cujus
 Doctiloquis domus eſt ſemper aperta viris.
Etruſcæ decus eſt, & gloria gentis uterque:
 Ortus & Etruſca eſt alter & alter humo.
Pierios vates pariter dilexit uterque,
 Laudibus immenſis dignus uterque cani.
Undique confugiunt ad Petri limina vates,
 Limina Dirceo quam bene nota choro.
Huic etiam ſimiles natos pia fata dederunt,
 Qui decus & mores oſque parentis habent.
Laudatas fortis didicit Laurentius artes,
 Nec ſe deſidiæ luxuriæve dedit,
Doctus equi fodere æratis calcaribus armos,
 Hoſtibus & mediis tela rotare manu,
Doctus & æripedes curſu prævertere cervos,
 Doctus & hirſutos figere primus apros.
Hic etiam magni ſectans veſtigia patris
 Diligit Aoniam Pieridumque choros
Tu quoque ſacrarum ſtudioſo pectore, Juli-
 -ane Camænarum numen & antra colis,
Priſcorumque legis generoſa volumina vatum,
 Et quidquid pulchri Muſa latina tulit.
Mitis in omne genus, ſocioſque æqualis in omnes,
 Officio patrium qui bene tendis iter.
Explicuit frontem vates, interque loquendum
 Lætitiam præ ſe vultibus ille tulit.
Ipſe expectabam, ſi plura requirere vellet
 Præſto requirenti reddere verba viro.
Interea niveos liquidum prope flumen olores
 Conſpicio dulces edere voce ſonos.
Tunc ego: dic, inquam vatum decus inclite vates,
 Alba quid in veſtris concitat ales aquis.

Sic ego: doctiloquo ſic protinus ore Poëta
  Reddit quæſitis talia verba meis.
Hanc volucrem Phœbo fertur ſacraſſe vetuſtas,
  Quæ referat cantus, Delphice Magne, tuos.
Candida fama viget nullo violabilis ævo,
  Nec mors huic nigras injicit atra manus.
Tu famam vatis candorem rere volucrum,
  Atque ideo vates concinit inter, avis.
Dixerat hæc vates: grates ego protinus egi,
  Atque iterum tales ordior ore ſonos.
Dic age, ni grave ſit, tot Nomina clara virorum,
  Gloria Muſarum, Pieridumque decus.
Noſti etenim, gens iſta tua eſt, te Principe gaudet
  Hic chorus, & regem te Dominumque vocat,
Diſce ait & mea dicta imo ſub pectore conde:
  Maximus eſt, ſed et eſt utilis iſte labor.
Attamen haud omnes poſſem memorare; quis umquam
  Vel longâ referat Nomina tanta morâ?
Hic ſenior, Grajas quem conſpicis ante cohortes,
  Argolicûm palmas Magnus Homerus habet,
Condidit altiſono qui grandia bella cothurno
  Et Lariſſæa Pergama capta manu;
Errantemque Ithacum ſævas duo luſtra per undas
  Ææaſque domos, Antiphatenque ferum.
Proximus Hæmathias acies, bellumque nefandum
  Lucanus grandi concinit ecce tuba.
Inclita quem genuit non uno Corduba vate,
  Quâ facit Hiſpanæ nomina Bætis humo.
Magnanimum Æaciden, obſeſſaque mœnia ſeptem
  Regibus hinc dulci Statius ore canit.
Silius hinc Libycæ memorat perjuria gentis,
  Ponit & altiſono Punica bella pede.
Cujus difficiles facundia vincere cauſſas
  Poſſet, & officio clarus utroque fuit.
Ingenioſa vides Peligni carmina vatis;
  Tam faciles alius non dedit ore modos.
Ah miſer Auguſta nimium verſatus in aula
  Oſſa Tomitana condidit exul humo.

Ma-

Magnanimi canit hinc Stilichonis Claudius enſes,
  Furtaque Tartarei, conjugiumque Jovis.
Hinc Regum magno Sophocles canit ore querelas,
  Intonat & tragico grandia verba pede.
Non procul Herculeos Senecam recitare furores
  Aſpicis, & luctus Dardana terra, tuos.
Ingens flumineo modulatur Pindarus ore
  Carmina Phœbeæ conſocianda lyræ.
Proximus huic dulces fundit teſtudine cantus
  Flaccus, & Auſoniam floribus ornat humum,
Qui primus Grajas in verba latina Camænas
  Tranſtulit, & Lyricis imbuit ora ſonis.
Hinc ſunt Steſichori, Ceique Simonidis artes,
  Alcæique minax hinc reſeratur opus.
Inde cupidinei ſunt Teia carmina vatis,
  Quem prope virginea fronte Bathyllus adeſt.
Aſpicis Æoliæ jucunda poëmata Sapphûs,
  Lesboam dulci quæ movet arte chelyn?
Ecce autem antiquos memorat pater Ennius auſus,
  Et pangit veterum maxima facta patrum.
Panditur inde gravis comœdia docta Terenti,
  Plautinique nitent non procul inde ſales.
Unâ Cæcilius, pariterque Afranius adſunt,
  Et cum Pacuvio cætera turba ſedet
Hic Aſcræus adeſt ſenior; Lucretius illic,
  Tu quoque cum noſtris priſce Menarder ades:
Hinc culti fulget Nemeſis formoſa Tibulli,
  Inde, Catulle, tuum Lesbia miſcet opus.
Cynthia laſcivi micat inde decora Properti,
  Hinc tua, noſter amor Galle, Lycoris adeſt.
Callimachique vides alterna poëmata Vatis:
  Hos omnes miti vulnere fixit amor.
Invehitur proceres acer Juvenalis in ipſos,
  Durior hinc ſcabrum Perſius edit opus.
In ſcelera hinc rigidum nudat Lucillius enſem
  Fervidus, Aurunci gloria magna ſoli.
Cantat laſcivis illinc epigrammata chartis
  Marcus, & argutis carmina plena jocis.

Muſæum Marſumque vides vatemque canorum
  Orphea, cujus habet dextera docta chelyn.
Primus hic in molles venerem tranferre cinædos,
  Et ritu docuit concubuiſſe novo.
Hinc Lunam, & ſtellas, & ſydera cantat Aratus,
  Hinc Linus, & docti Muſa Pedonis adeſt.
Non procul hinc humili carmen modulatur avena
  Ecce Syracoſiâ natus in urbe ſenex.
Quis cunctos numerare queat? quos diximus altum
  Nomen habent; non ſic cætera turba nitet.
Tunc ego: dic, inquam, vates cur tempora lauro,
  Atque hedera, duplici fronde revincta gerunt;
Numen idem, reſpondit, habent & Phœbus & audax
  Bacchus, & Aonio cultus uterque jugo.
Hic virides hederas, laurum fert pulcher Apollo,
  Et ſemper viridis tempora cingit honos.
Sic vatum viridis cunctos ſtat fama per annos,
  Vatibus & ſemper favit uterque Deus.
Poſtquam doctiloquas fudit de pectore voces
  Qui primum Aonia poſſidet æde locum.
Surrexi, grateſque Viro non territus egi,
  Dique, inquit, meritis dent tibi digna tuis.
Multa quidem didici, ſed dic precor optime vates
  Ad ſuperos ducat quæ via tuta lares;
Pande iter, æthereas & meme profer ad auras;
  Non his Parca diu me ſinit eſſe locis.
Surrexit ſubito vates, lævamque prehendit,
  Atque ait, i mecum, me Duce tutus eris.
Ducemus tacitos per inania Tartara greſſus,
  Per Styga, perque nigri limina tetra Jovis.
Hac quondam Ægides ſimul & Tyrinthius heros
  Sulphureos Erebi deſeruere lacus.
Hac meus Æneas, hac & Rhodopejus Orpheus,
  Hac Pollux viſens Caſtora flexit iter.
Hæc fatus movit greſſum, virideſque per agros
  Non feſtinato pergimus ambo gradu.
Inde per Elyſium nemus, & felicia rura
  Tendimus, & rubris prata referta roſis.

Hic

Hic Caſiæ mites, il ic ſurgebat amomum.
  Hic crocus, aſt illic mollis acanthus erat.
Mitia ſub viridi pendebant arbore poma,
  Omnis odorato flore nitebat ager.
Unâ ibant teneri juvenes, timidæque puellæ,
  Ducebantque alacres per nemus omne choros.
Aſt alii dulces Lethei ad fluminis undas
  Sumebant curva pocula rapta manu.
Maxima quîs totam ſubeunt oblivia mentem,
  Et rapida ex omni pectore cura fugit.
Non procul armatos mediis heroas in arvis
  Conſpicimus forti tela rotare manu.
Conſtitit hic vates, viridique, ait, aſpice campo
  Inſignes clara Martis in arte viros.
Primus, Romanas quem conſpicis ante phalanges,
  Magnanimus calvô vertice Cæſar adeſt.
Proximus huic domitis clarum qui nomen ab Afris
  Rettulit, & Tyriæ diruit arcis opus.
Non tamen hic veteri manet incomitatus amico,
  Durat adhuc gemino pectore verus amor.
Lælius hic, ſævis hic Scipio magnus in armis;
  Vix alium ſimilem Martia Roma tulit.
En meus Auguſtus Patriæ Pater, en bonus haſta
  Romulus, en Marius, Tarquiniuſque ferox.
Aſpice Pompejum Pharii crudele tyranni
  Supplicium; nocuit Rex tibi, Magne, tuus.
Externos hinc cerne Duces: en cæde cruentus
  Hannibal Auſonii flamma tremorque ſoli.
Illic Pyrrhe ferox, illic Ammone creatus,
  Cui quondam totus non ſatis orbis erat.
Sed tendamus iter; quis enim tot nomina poſſit
  Dicere? quis veteres ordine pandat avos?
Non procul inde gregem conſpeximus ecce virorum:
  Dic, inquam, vates, quod genus, unde viri?
Sic ego: ſic placido reſpondit pectore vates;
  Attamen inceptum, dixit, eamus iter.
Roma tulit partim, partim tulit inclita Grajûm
  Terra, ſibi clarum qui peperere decus.

Cer-

Cernis Ariſtotelem, venerandique ora Platonis;
Zenonem pariter, Democritumque vides.
En quem dixerunt ſapientem oracula Phœbi:
Manibus hunc imis dura cicuta tulit.
En Cicero, en Graii reſonant Demoſthenis ora;
Sed prior haud primum poſſidet iſte locum.
En Paulum, caſtumque Numam, rigidoſque Catones;
En inopem Curium, Fabriciumque vides.
Dictator Serranus a'eſt, exulque Camillus,
Pandunt ſanguineas Brutus uterque manus.
Pallados ardenti micat inclitus æde Metellus,
E medio raptam qui tulit igne Deam.
En Nero, qui quondam velocis ad arva Metauri
Hasdrubali rigido diſcidit enſe caput.
Ventum erat ad nigri ſquallentia tecta barathri,
Talia dum pergens verba Poëta dabat.
Sume animos, inquit, Vates, jam cæca ſubimus
Tartara, & inferni triſtia Regna Jovis.
Sacra ſonans Acheron torquet liventibus undis,
Ardentes atri ſtant Phlegethontis aquæ.
Tartarei ſquallent horrenda palatia regis,
Et ſolido duræ ſtant adamante fores.
Has Pluto rapto cum conjuge poſſidet ædes,
Liminibus diris torva Megæra ſedet.
Tiſiphone, Alectoque ferox, ſtant crinibus hydri,
Innumeroque ferum cingitur angue caput.
Juraque dat populis Rhadamanthus & Æacus, atque
Minos: attonito ſtat rea turba metu.
Ore tenus liquidis Pelopis pater eminet undis,
Ardentemque fugax non levat unda ſitim.
Inconſumpta vorat Tityi præcordia vultur,
Ixion celeri volvitur inde Rotâ.
Fert ſaxum ſummi ſuper alta cacumina Montis
Siſyphus, expoſitum rurſus ad ima ruit.
Luduntur miſeræ perituris Belides undis,
Et repetita cavis effluit unda cadis.
Non procul errantes per Tartara vidimus umbras
Cædere ſanguinea pectora nuda manu.

Pande precor vates, inquam, cur corpora pugnis
Contundit, ſeſe cur fera turba ferit.
Sic ego: tunc vates: crudelia vulnera cernis,
Crudeles pœnas turba cruenta luit
Hic Nero ſævitiæ Princeps, Mezentius illic,
Hic & Cajus atrox, Syllaque ſævus adeſt.
Hic & Scironis, ſceleratique umbra Tiberi,
Ultimus hoc etiam Flavius orbe jacet.
Hic dirus Buſiris adeſt, Phalaris ſæviſſimus, & qui
Humano celeres viſcere pavit equas.
Venimus ad Stygiæ tandem vada fœdæ paludis:
Horridus hic tetro conſtitit ore Charon.
Et quis tartareum vos nam furor inquit, ad amnem
Compulit: ad noſtram quis jubet ire ratem?
Quæ vivum Stygias vexit te cymba per undas?
Talia tum doctus verba Poëta dedit.
Non hunc infernas vexit cava cymba per undas,
Nec fluctus aliâs contigit iſte tuos.
Hunc vivum Elyſiis miſerunt Numina campis,
Attamen hac Divum fata redire jubent:
Sed conto jam pelle ratem, ripæque propinqua,
Æthereos tandem viſat ut iſte polos.
Appulit ad ripam puppis: conſcendimus ambo,
Et gemuit multo pondere preſſa ratis.
Nos ſenior putri ripe ulterioris in alga
Ponit, & inceptum carpite, dixit, iter.
Cerberon hic triplici latrantem cernimus ore,
Servantemque feri limina tetra Ducis.
Haud procul Harpyiæ ſtabant, & Gorgonis angues,
Centaurique truces, terrigenæque feri.
Centimanus rapido Briareus immurmurat ore
Ardentique micat torva Chimæra face.
Hic triſtes luctus, varioque inſania motu,
Hic metus, & tremulo curva ſenecta gradu.
Hic dolor, & multo perfuſum ſanguine Bellum,
Suppliciumque ſui pallidus errat amor.
Hic jam funereo triſtis Libitina ſepulchro,
Hic & cum rapida mors jacet atra manu.

Hic violenta fames, tritaque infamia fronte
  Hic & languenti corpore morbus adeſt.
Innumeræque Erebi ſpecies; quas dicere longum eſt,
  Pervigilant diri carceris ante fores.
Tum vero paulum fixit veſtigia vates,
  Atque ait hic gemin s itur in aſtra viis.
Altera Sidereos hinc cornea ſemper ad axes
  Porta patet, candens altera pandit ebur.
Hac tu tende viam, ſuperaſque evade ſub auras,
  Nec tua tartareis lumina verte plagis.
Vix bene deſierat, noſtros cum ſomnus ocellos
  Linquit, & infuſum lux dedit alma diem.
Tum memor Elyſiis mens quæ modo viderat oris,
  Verſibus alternis tale peregit opus.

Ad Juliam.

Julia Divarum pulcherrima, Julia noſtræ
Tempeſtatis honos; per quam non unus & alter,
Treſve proci, ſed tota cohors, omniſque juventus
Uritur, & magnos ſub pectore nutrit amores:
En ego ferventi trajectus corda ſagittâ
Huc venio, ſupplexque tuum, Dea, limen adoro:
Sic me juſſit Amor; noſtri miſerere furoris
Diva potens, miſerere mei, precor, alma poëtæ.
Per te ego Cyrrhæos colles, ſacrumque ſubibo
Muſarum nemus, & Phœbi penetralia tangam.
Per me fata Deum vinces, atque omnibus ævis,
Inclita carminibus ſemper celebrabere noſtris.

Eidem.

Vultu Julia pulchrior Dearum,
Stellis dignior, altior Tonante,
Et cœlo renitentior ſereno;
Pomis gratior & roſâ rubenti,
Et nardo redolentior, crocoque;
Plumis mollior, albior liguſtro,

Phœbi lumine clarior nitentis.
Molli Julia ſuavior falerno,
Albis Julia purior columbis:
Fulvo Julia carior metallo;
Eois pretioſior lapillis:
Et, ni deſpicias meos amores,
Mundo Julia major univerſo.

Ad ſuperos.

Cuſtodite meam, Numina, Juliam:
Longis hæc vigeat temporibus precor;
Et felix Pylios dinumeret dies:
Nec morbos tenero pectore ſentiat,
Nec ſævis jaceat languida febribus.
At cùm mors rapidis horrida faucibus
Nigras in dominam contulerit manus,
Condatur Pario corpore marmore;
Cœleſti ſolio ſpiritus emicet.

Amor ingens.

Juliæ magno periens amore
Uror. & cæco ſtimulatus igne
Noctibus totis ſimul & diebus
Ardeo, nec me
Sol cadens dulci reficit quiete,
Nec latet terrâ quoties ſub altâ;
Sedibus nec cùm veniens Eois
Lumina pandit.
Non cibo noſtri fugiunt dolores,
Neve potanti fugiunt Lyæo;
Nulla res tantos miſero furores
Corde repellit.
Quid juvat duros pariter labores,
Quidve ſemotas petiiſſe terras?
Impiger telis puer univerſum
Pervolat orbem.

Non venenatis fugit ardor herbis:
Parcite ô verbis, magicoque cantu:
Cœlitus miſſi veniunt amores:
Cedite fatis.

De forma Juliæ.

Amore captus Juliæ miſer ſemper
Huc erro & illuc; ſpecto per vias urbis,
Et per feneſtras, januaſque, vicoſque,
Fors ſi qua pulchros Juliæ meæ vultus
Puella referat, cujus ore conſoler
Diros furores. nulla ſed tamen noſtræ
Similis videtur Juliæ: ſimul cunctos
Hæc vincit homines, vincit & Deas omnes,
Decore, vultu, candidâque cervice.

Ad Juliam.

Vultu Julia ſplendido,
In cujus geminæ luminibus faces;
Cui flavæ renitent comæ,
Pandit purpureas cui facies roſas;
Primâ candidior nive,
Te malim Siculi quam maris inſulas,
Quam totos Libyæ greges;
Quàm quæ Dardanius dicitur Attalus
Donaviſſe Quiritibus:
Quam ſuccos & opes divitis Indiæ,
Et cultum Alcinoi nemus;
Si quis forte mihi diceret, elige
Quidquid concupis, & dabo;
Spernens, ô mea lux, cetera, te modò &
Vultus eligerem tuos.
Magni ſceptra Jovis, te ſine, diſplicent.

De cantu Juliæ.

Orpheus ad cytharam dicitur, & Threiciam chelyn
Silvas, ſaxaque nec non fluvios, & rigidas feras
Traxiſſe: & tetricas Eumenides, regnaque triſtia
Movit carminibus, cùm pius ad Tartareum Jovem
Ivit, ſidereis Eurydicen ut traheret polis:
Sic & noſtra canit Julia cùm multiſona ad lyram,
Ad cantum fluvios, atque feras, & ſcopulos trahit,

De amore in Juliam.

Non Tonantis aurea
  Conjux, ſeveræ forma non Dianæ;
Non Minerva, non Venus,
  Non quidquid eſt toto decoris orbe,
A meo amovere me
  Amore poſſit, & meo furore.
Fata Juliam mihi
  Semel dedere, quis meos amores
Solvet; aut meas faces?
  Fatis repugnat nemo: fata regnant.

Ad Juliam.

Adſpicis, ut culti niteant, mea Julia, colles,
  Utque renidat ager;
Sidonius teneros ſuadet jam Taurus amores,
  Et nova vernat humus.
Sume lyram & paribus non incomitata puellis
  Ad mea rura veni.
Hic cava littorea cingemus tempora mirtho,
  Sutilibuſque roſis:
Ducemuſque alacres per florida prata choreas:
  Tu, Dea, voce canes.
Feſſa dehinc viridi ponemus corpora terrâ,
  Gramineiſque toris.

Car-

Carpemus varios tenero de ceſpite flores,
  Pomaque ab arboribus.
Non ferus hæc Boreas perflat, non turbidus Auſter
  Rura, nec Eurus atrox:
Hæc tantum Zephyrus mollique Favonius aurâ
  Tempus in omne colit.
Abſunt terribiles linguis radiantibus hydri;
  Stellio dirus abeſt;
Hîc violæ molles, hîc candida lilia creſcunt,
  Purpureique croci.
Hîc hyacinthus adeſt; hîc ſomniferumque papaver,
  Hîc amarantus adeſt.
Omnia collucent, florent Bacchuſque Cereſque;
  Ridet amœnus ager,
Condita ſilveſtri cantat Philomela rubeto;
  Flet ſua mater Ityn.
Ergo veni mea lux, & me mihi carior ipſo
  Dimidiumque mei,
Explicitâ tetros pellamus fronte dolores,
  Dum ſinit ipſe Dies:
Dum nitido viridis collucet in ore juventus,
  Dumque ſenectus adeſt.
Vita fugit, properatque gradu feſtina citato,
  Lapſaque non remeat.
Ille ſapit quiſquis fugientia gaudia carpit,
  Triſtitiamque fugit.

Ad Juliam.

Quid cumulatis opes; quid pondera vana metalli
  Fulvi? quid argentum nitens, purpureaſque togas?
Quid iuvat innumerìs Ægyptia rura juvencis
  Arare, quæ Nilus ſuis irrigat arva vadis?
Num vos divitiis plures vivetis in annos,
  Ætaſve erit felicior, majus & ingenium;
An potius miſeros noctesque dieſque labores
  Neceſſe vos erit pati, perpetuumque malum?

Divitias etenim curæ comitantur, amorque,
Et inquieta pectora, ſollicitique metus.
Ergo quis poterit felicem ducere vitam
Tantis trucidatus malis? quiſve beatus erit?
Non miſer eſt potius (volumus ſi vera fateri)
Immenſa quiſquis poſſidet ſollicitudinibus;
At nos argentum, mea Lux, ſpernamus & aurum;
Amore tenti mutuo, dulcibus & laqueis:
Perpetuis dites curis pallere ſinamus,
Ipſum inter aurum pauperes, inque opibus miſeros.
Nos Venus efficiet nimium nimiumque beatos,
Dum ſæva deſint jurgia, Mars quoque, & ira ſimul.

De forma Juliæ.

Quicumque flavum Juliæ meæ caput,
Albaque colla videt, ventoque diffuſas comas;
Seſe Dearum credit ora cernere,
Pallados, aut Veneris, magnive matronæ Jovis,
Aut quæ ſagittis conficit truces feras
Rura ſub Arcadiæ, celſique ſub Cynthi jugis.
Stupet juventus, frigidi ſtupent ſenes.
Attonitique manent, nitore tanto perciti:
Talis ſtupentes vertit & Gorgon viros,
Vipereis rigidum caput recompta crinibus.
Talis ferinos vertit in vultus ducis
Dulichii comites, pollentibus Circe ſonis.
Amore quiſquis vult repentino capi,
Vel ſemel adſpiciat noſtræ nitorem Juliæ.

Ad Juliam.

Quid fles, ô mea Lux, quid madidis genas
Perturbas lacrimis albaque percutis
Sævis pectora palmis,
Et flavum lanias caput?
Felix Elyſium jam nemus adſpicit
Frater, Parca truci quem rapuit manu;

Et

Et poſſeſſa beatis
Umbris rura perambulat.
Hic ſunt virginei cum citharis chori;
Hic eſt arcitenens cum pharetrâ puer;
Paſſim lilia, paſſim
Rubris cum violis roſæ.
Hæc nos rura manent, hoc nemus incolet,
Quiſquis purpureis fervet amoribus;
Quiſquis pectore molli
Incluſas aluit faces:
Ergo jam querulis parce doloribus;
Neu mœſtis violes funera fletibus,
Vivum Julia fulgur,
Promas, ceu ſolita es, mihi.

De Juliæ pulcbritudine

Si quis montivagæ pectora Deliæ,
Junonis faciem ſi quis, & aureæ
Fulgorem Veneris; Palladium decus,
Si quis cernere concupit:
Noſtræ conſpiciat lumina Juliæ:
Hæc formâ nitidum vincit Apollinem,
Bacchumque: haud aliam fata parem queant
Noſtræ gignere Juliæ.

Ad Juliam.

Julia, noſter ardor,
Hæc dies feſta eſt rapidi principium furoris,
Quà Cytherea fecit,
Quaque trajecit celeri molle jecur ſagittâ,
Et mea flamma cœpit.
I puer; cum thure roſas purpureas Sabæo,
Et breve lilium fer.
Myrteæ flavis niteant temporibus coronæ,
Neu bona vina deſint.
Diva placanda eſt Venus, ut perpetuo ſub igne
Ne-

Noſtra perennet ætas:
  Ut ſemel fuſi geminis pectoribus calores,
Tempus in omne vivant,
  Noſque toto mutuus adſtringat amor ſub ævo.

Ad eamdem.

Julia cunctarum nobis cariſſima rerum,
  Quas pontus & quas terra . quas aër tenet;
Ne viola lacrimis faciem, neu ſcinde capillos,
  Quod fata in alias ire me terra, jubent.
Vive alacris . neque enim penitus te diva relinquam,
  Nec totus hic Octavius cedet locis.
Dimidium noſtri tecum remanere neceſſe eſt,
  Tecumque partem pectoris linquam mei.
Una erimus, quamvis peregrina in mœnia tendam:
  Ne mors quidem ipſa ſeparare nos queat.
Sum tuus, & geminos mens una ligavit amantes:
  Tuus ero vivens, eroque poſt mortem tuus.

ANTONII ORITHEI.

GRata, quæ nullas, Erato, tenebras
Tempore offundi pateris virorum
Fortium geſtis, age nunc ſonoro
Concine plectro
Cæſaris magni genitum; ut per ora
Omnium victor volitet, per ævum
Omne, qua magnas obit Amphitrite
Æquore terras.
Dic ut ingentem Latio minantem
Fuderit claſſem, populoſque magnâ
Solverit curâ, quibus imminebat
Barbarus hoſtis.
Nam memor qnis non timuit malorum?
Cûm tot heu nuper populis ſubactis,
Cyprio regno, Venetiſque pulſis
Fœdere rupto,
Claſſe victrici penitus repoſtas
Africæ immanes Aſiæque gentes
Hadriæ latè populare lætas
Cerneret oras?
Rebus & longe trepidis, remotis
Auſtrius Calpes celer uſque ab undis
Obvius, fidens animi, citata
Claſſe cucurrit.
Nulla certantes truculenta diri
Terruit Martis facies cadente
Hinc pilâ, flammis ſonitus ciente
Fulminis inſtar;

Hinc

Hinc manu jactis celeri ſagittis,
Hinc globis latè, graviterque olentis
Sulphuris, nigræ picis, atque flammæ
Cuncta vorantis.

Sed nihil præſens trepidare Jeſu
Auſtrius præfert duce, militemque,
Urget, & ſedes alacer beatas
Præmia ponit.

Miles hoc tandem duce fretus hoſtes
Vicit & late Pelopis rubentes
Barbarâ cæde obſtupuere Ponti
Dorides undas.

Quam bene afflictis, Pater alme, rebus,
Qui vices Chriſti geris unus omnes,
Ultimæ & Rex Heſperiæ, Hadriæque
Magne ſenatus,

Italis vos conſuliſtis oris:
Auſtrio in claſſes, acieſque ſummum
Imperî jus cùm tribuiſtis, almo
Cæſare nato!

Hoc duce exactis temere ſoluti
Fœderis pœnis, celebri peracto
Prœlio, noſtris procul arcuiſti
Manibus hoſtem,

Et feræ gentis rabie repulsâ,
Omnibus lætam populis ſalutem
Jam metu diro exanimis tuliſtis
Fœdere juncti.

Barbarus vos jam trepidus timebit,
Nec ſuæ audebit ditionis oris
Egredi, & noſtros maleſanus armis
Tangere fines.

Mox fero pulſus ſolio ſuperbæ
Thraciæ, veſtris cumulum triumphis
Addet, & terras male tutus omnes
Linquet avitas.

DOMINICI ORTANII.

Ad Franciſcum Patricium Senatorem.

SI mihi Calliope cunctis veneranda poëtis
  Fuderit ingenium, Phœbus Apollo lyram.
Si mihi Threicius cythara, quâ tartara flexit,
  Vel dederit vates, eloquiumque dabit.
Si mihi Mæonidæ fuerit, vel lingua Maronis,
  Non poſſum laudes ſcribere docte tuas.
Eſt tibi forma decens; ſuperas gravitate parentes;
  Es mitis, placidus, magnus in urbe ſenex.
Non habuit Latium ſimilem non mille per annos
  Græcia, & ingenio, vel probitate virum.
Spes erit Auſoniæ. per te dabit Ætna Camœnas,
  Te modo cœlicolæ vivere, docte, ſinant.
Spes aberat vatum, tendebat in atria Clio,
  Te Duce Pieridum turba ſerena viget.
Te Deus æthereo dimiſit Carmine vatem,
  Qui molles elegos, qui fera bella canas.
Denique, docte, vale, & noſtros ſine pondere verſus
  Corrige, tu voto ſic potiare tuo.
Sic tua fata ſinant vitales carpere flatus,
  Sic Parcæ parcant fila movere tua.

JO: ANDREÆ PALATII

MONDAINENSIS.

In obitum Mutii Tarrucii Diſcipuli.

MUti, agedum, mellite, oculos attolle parumper,
  Languidulum & ſtratis exere brachiolum.
En tibi Eliſa mero dulci cratera coronat,
  Atque uxor placitas præbet amica dapes:
Porrigit & carus tibi cruſtula blanda magiſter,
  Quæque tuus miſit Punica mala pater.
Quid ceſſas? oculis nocuum depelle ſoporem,
  In molli tandem conſideaſque toro:
Nonne audis blanda Hippolytum te voce vocantem,
  Mannellumque tuas carpere care moras?
Auguſta en turdos patrius Tarrucus ab urbe,
  Et pleno geſtat citria pulchra ſinu.
En viſum occurrit patriis te frater ab oris:
  Oh tibi vimineis quæ tulit in calathis!
Surge puer, mellite puer cape munera, carus
  Quæ genitor patria mittit ab urbe tibi.
Qui, ſi non miſerum morbus torqueret acutus,
  Affixum ingrato languida membra toro,
Jamdudum aſcenſis mannis rapido ocyor Euro
  Iſſet in amplexus dulcis alumne tuos.
Sed nos hæc ſurdis jactamus verba procellis,
  Nec pueri linquit lumina victa ſopor.
Altius eſt igitur clamandum: agedum optime ſurge
  Surge age, ſurge puer, ſurge age, ſurge puer.
Ecce tibi collo gemmata monilia conjux,
  Atque aurum propriis detrahit articulis.

En

En niveus, quicum ludas impune, catellus:
  Fabellaſque tibi blanda Lycinna refert.
Chalcidica en frater quæ Bernardinus ab urbe
  Uxori miſit munera pulchra meæ.
Aſpice litterulas, quas tam laudare ſolebas,
  Quas etiam facili reddere ſæpe manu.
Audi quæ chartis commiſſa fidelibus, ille
  Hæc miſit ſenſus nuntia verba ſui.
Hei mihi letheo perfuſus membra ſopore
  Nil videt, & muto eſt Mutius ore meus.
Quid? quod neglectis mater Lucretia cunctis,
  Magnanimos poterant quæ tenuiſſe viros,
Cara inquam mater te viſum vênit, & auri
  Vim magnam plenis protulit in loculis.
Surge igitur propere, & caram amplexare parentem,
  Quoſque tibi nummos detulit illa, cape.
Sed quoniam lentum hoc depellere non pote ſomnum,
  Mutandus nobis eſt modus, & ratio.
Lux hodierna, puer, ſecus ac tu rere, peracta eſt:
  Ad ludum doctam te vocat unde tuum,
Ludum, Pieriis tribuuntur ubi otia Muſis,
  Et magno ediſcis cum Cicerone loqui.
Cernitis, ut meus hic ſpecioſa ad nomina alumnus
  Suſtuleritque oculos, ſuſtuleritque manus?
Nimirum huic nihil eſt potius virtute priuſve,
  Illius qui unis tangitur illecebris.
Sed cur tam ſubito demittis eburnea colla,
  Æquales claudis ſideribuſque oculos?
Vim morbi, mortiſque agnoſco ſigna futuræ,
  Injecit rapidas quæ tibi iniqua manus,
Conſcia te nunquam moriturum, fortior ætas
  Feciſſet ſi te parvule alumne virum.
Iratus legit immitem ſic vinitor uvam,
  Pomaque acerba altis decutit arboribus.
At non hæc patri dudum promiſſa Camillo,
  Iguvium cum te mitteret ille, dedi:
Sed fore, qui genti factis præſtantibus olim
  Tarrucæ laudem non minimam adjiceres;

Et

Et magni ingenium Tulli creſcentibus annis,
Divinum & nobis Virgilium exprimeres.
O ſpes incertas hominum, quas obruit ante
Tempeſtas, partum cernere quam liceat.
Fortunam o fragilem, & certamen inane virorum,
Quod ſæpe heu mediis frangitur in ſpatiis.
Ille oris decor, & probitas animuſque, viriles
Ante annos tibi quæ Juppiter ipſe dedit;
Illa acies mentis longa digniſſima vita
(Me miſerum) ſubita morte retuſa jacet.
Iguvium parvo teque o miſerande ſepulchro
Conteget a terrâ terra aliena tuâ.
Ecce tuum atrati circumſtant corpus amici,
Queis tibi communis vita, domuſque fuit.
En famulæ, en conjux, en cuſtos ſedulus: ævi
Ereptum primo te ſibi flore dolent.
Amiſſum & genitrix ſuſpirat pectore ab imo,
Extremum, dicit frater & ipſe, vale:
Et lacrimis numeroſa cohors juvenumque, ſenumque
Impoſitum triſti proſequitur pheretro.
Dum tuus, heu, genitor ſpe multum ductus inani
Pro noſtro ſuperis vota facit reditu,
Et tibi felices morbumque viamque precatur,
Eximiis aras muneribus cumulans.
At tu, ſeu lætum Elyſium, feliciaque arva,
Et ſecreta piis a Jove Regna tenes:
Seu cœtu Aligerûm aſcriptus, ſanctiſque Piorum
Conciliis, ſuperûm lucida templa colis,
Efficiunt quæ ſola homines, ſervantque beatos,
Mors unde, & luctûs exulat omne genus:
Ingenti, nobis qui exurit corda, dolori
Ignoſce, atque illum, qua potes arte, leva.

Ad Ruſticuccium Epiſcopum Fanenſem, cujus inſigne eſt equus alatus.

Gorgoneo Perſeus cum fudit ſanguine terram
Fatali mucrone furens, cervice reſecta

Ulci-

Ulciſcens ferro temeratæ templa Minervæ,
Aligeri emicuit de vulnere Pegaſus alto:
Ardua qui celeri conſcendens aſtra volatu,
Æthera per liquidum vibratis protinus alis
Inſolitum tum carpſit iter, pariterque petendo
Tellurem, nitidas fontis pede protulit undas:
Quem mox Bellerophon ſecum deduxit ad oras
Flaventis Lyciæ, tenditque ad culmina montis
Vectus eo, demitque ingenti cuſpidis ictu
Armatæ flammis horrendæ monſtra Chimæræ,
Inde cito lapſu cœli convexa petivit,
Terrenas linquens ſedes, ubi vertice ſummo
Enitet effulgens ſacra inter ſigna relatus
Æthereo (nam ſic voluit Saturnius) axe.
Sic inter varios caſus, vitæque labores,
Fortunaque dolos, terræque mariſque pericla
Emicuit ſemper virtus tua, ſidera tangens,
Ut Phœbi jubar, atque decus ſolet, optime Præſul.
Quam Pius admirans Quinctus te vexit ad altos
Pontificum ecce gradus, ut tanto lætus honore
Et lituo, & ſacrâ velares tempora mitrâ.
Adſpice, quanta hominum pertentent gaudia pectus,
Cum tu Fanenſis ſplendor, & gloria gentis
Huic urbi præſis, per quem revocata redibit
Juſtitia, atque Fides, Pax, & Concordia, virtus:
Jamque Dei cultus noſtram remeabit ad urbem,
Et Pietas: ſumentque ſimul delubra nitorem,
Atque ſacerdotes divina altaria circum
Sacra ferent, hymnoſque canent, laudeſque Deorum.
Nunc vero Antiſtes ne dedignare laborem
Accipere, & potius læto tua mœnia vultu
Ingredere, & populi Fanenſis jura capeſſe:
Nam nihil hoc potuit contingere gratius illis.
Exultat vitreis gaudens Argilla ſub undis,
Atque ſuum ducens ad gaudia tanta Metaurum,
Exercent pariter choreas, & carmina dicunt,
Adventuque tuo gratantur pectore toto.
Tum quæ diſpenſant mortalia fata ſorores,

 Dent

Dent tibi Neſtoreæ felicia tempora vitæ,
Ac grege cumque tuo cœleſtia limina lætus
Aſcendas, valeaſque epulis accumbere divûm.

Ad Aldreanum Cybo Malaſpinam, Maſſæ & Carrariæ Principis filium.

Flos Ligurum Aldreane ingens, quo Principe Maſſa,
Et niveo dives Carraria marmore gaudet;
Maternumque genus decorat, decoratque paternum,
Et præſtans forma, & cunctarum copia rerum:
Sed magis ingenui mores, pietaſque, pudorque,
Ante annos prudenſque animus: quid volvere libros
Te juvat æſtivis ſemper ſub ſolibus? atque
Tantillum a ſtudiis numquam ceſſare ſeveris?
Parce tibi, flagrat cœlo dum Sirius ardens,
Et Canis exurit ſitientes fervidus agros.
Mox autem, effundet largos cum pomifer imbres
Autumnus, pellerque ardentem Libra Leonem,
Impune & libros, ſtudia & conſueta repoſcet:
Et magnum Æneam, ſtratoſque a Cæſare Gallos,
Pompejumque ducem noſces, civiliaque arma,
Quæ te olim magnis legionibus imperitantem
Edoceant, quæ ſint bellantis munia, quæ ſint
Principis, imperio qui continet oppida; quamvis
Hoc tuus antiquis dictus ſcriptoribus Aron,
Hoc pater, hoc melius tibi præſtet avunculus ingens,
Qui veteri Urbino, qui fortibus imperat Umbris,
Et Grajos, priſcoſque æquat virtute Quirites.
Interea aut durum cantu ſolaberis æſtum,
Aut Cithara: puerum cithara formavit Achillem,
Si neſcis veterum laudatus carmine Chiron.
Venatu interdum montes, campoſque fatigans
Te vegetum nobis referes tenuiſve ciebis
Effigiem belli, ſimulataque prœlia buxo,
Curarum his reparans ſubeundam ad grandia mentem.

Ad Marianum Sabellum Iguvinorum Epiſcopum.

Quam populus ſuperos toties, concorſque ſenatus
Orarunt, vênit lux optatiſſima, qua ſe
Collibus a ſeptem, quos Thuſcus perfluit amnis,
Majorem titulis, propria & virtute verendum
Iguvii inferret veterem Marianus in urbem,
Commiſſumque gregem, ſacraſque reviſeret ædes
Oſſibus alterius Mariani, & nomine claras,
Quem quondam effuſus Chriſti pro nomine ſanguis
Inſigniſque animi pietas cœli arce beavit.
Iguvium, & priſci Æneadum gaudete coloni,
Lætitia & feſtas ad ſidera tollite voces.
Nam teneris curare greges hic doctus ab annis
Informem avertet ſcabiem, & contagia dira,
Et nocuum pariter ſtabulis furemque, lupumque;
Atque illis liquidos fontes, & pabula læta
Suggeret: ac campum tondentes, carmine dulci
Mulcebit, referens proprio quas corpore pœnas
Pro caro tulerit Paſtor cœleſtis ovili,
Innataſque illi ſordes quo fonte lavavit:
Tum ſi quid patris ætherei, quod templa domumque
Polluat, indignum præſenti, & numine reddat
Nactus erit: facto (ut quondam) de fune flagello
A nocuis meritas læſo pro numine pœnas
Exiget, ac juſtæ haudquaquam moderabitur iræ.
Te vero, quem Roma parens, genus atque Sabellum,
Et Graja, & Latia tollit facundia lingua,
Ne pudeat parvi pecoris, quod Bembus, & ingens
Ruverus, ac celebris pavit Fregoſius olim,
Ex Petri evectus ſedem Marcellus ad altam.
Has artes Tyrio frater ſpectandus in oſtro
Jampridem tuus in Romana exercuit urbe.
Hoc, vetus Hiſpanis Beneventum ubi tollitur arvis,
Paſcendi pecoris ſtudio flagravit uterque
(Si libet annales evolvere) Honorius ingens,

Queis triplici Roma ornavit diademate frontem:
Innumerique alii veſtro de ſanguine, quorum
Vivit honos, & fama oras diffuſa per omnes.
Horum igitur ne te pudeat præclara ſecutum
Exempla, egregiam Mariane accingere & artem,
Lanigeros ductare greges, ac pellere ſi quos
Invexit miſeris Paſtorum inſcitia morbos.

D. Conſtantii Epiſcopi Peruſini vita: ad Cæſarem Barzium Eugubinum.

Coſtantî magni, patriæ flos candide, vitam,
Civile Auguſta dum tu jus dicis in urbe,
Majorum & tendis laudes æquare tuorum,
Perlegi, atque animi parte interiore locavi:
Quæ, quod nos rerum auctori, divûmque parenti
Concilìet, quanam ratione accumbere menſis
Mortali ſuperûm liceat, docet: ut nihil illa
Plenius. Inviſo quod ſi te forte labori
Furari paullum potes, & ceſſare ſeveris
In ſtudiis (ita cur credam? demum accipe paucis)
Nam, ne multa, obſtat noſtrorum ſumma laborum.
Principio claris quamvis Conſtantius ortus
Eſſet avis tulerat quoniam gens Barſia, cujus
Nobilitas gentes memorabilis inter Etruſcas
Dives agriſque eſſet, congeſto & ditior auro,
Deliciiſque potens tellus Peruſina tuliſſet:
Hunc tamen haud potuit blanda irretire voluptas
Illecebris; non pulchra Venus, dulciſve Cupido,
Aut miſera ambitio ſua ſub juga mittere: namque
Æthereo totum regi ſe addixerat heros,
Inque uno mentem, & curas defixerat omnes.
Ergo divitias miſeris largitus egenis,
Innocue, & totum traduxit puriter ævum,
Uſque indicta piis celebrans jejunia: pignus
Et divini animo recolens memorabile amoris
Nocturnis horis cecinit, cecinitque diurnis.
Tempore, quo immani Cæſar rabie actus & ira,
Ætas

Ætas cui nomen priſca indidit Antonino,
Proſpiciens veterum cultus vaneſcere divûm,
Italiamque duci paſſim dare nomina Chriſto;
Et ſeſe, & fluvio natos merſare ſalubri:
Terrarum toto quæri mandaverat orbe
Cultores veros ſuperûm, & longo ordine duci,
Impia ſparſuros ſancto delubra cruore.
Spe autem minus haud rebus, quàm nomine conſtans
Interea innumeris magni intrepiduſque pericli
Stabat ovans, Chriſtumque Deum, regemque canebat.
Dein cum vitali deſiſſet veſcier aura,
Cui rerum incubuit ſacrarum cura; nec ullus
Auderet tantæ contingere pondera molis:
Dum ſibi quiſque timet cruciatum, vincula, cædem:
Cunctorum votis Conſtantius ipſe vocatus
Defuncti in ſolium, tali in diſcrimine rerum,
(Heu) ſibi porrectas non detrectavit habenas
Accipere, & certis caput objectare periclis:
Tanta illi patriæ, & communis cura ſalutis.
Quid memorem exceptos, exantlatoſque labores
Pro ſuperûm cultu, & commiſſo pro grege? caram
Fuderit utque animam Chriſti pro nomine, colla
Carnificis ſæva præbens ferienda ſecuri?
Ergo illum his meritis ſummi regnator Olympi
Excepit proceres inter, quos regia cœli
Dives habet, ſtelliſque & multo inſigniit auro.
Corporibuſque dedit ſævos depellere morbos;
Humanaſque preces cœlo importare ſereno:
Stant Auguſta quibus nunc mœnia, ſtat decus ingens,
Et Peruſina polum tollit ſe gloria ad altum.
Hæc ſuper innumeris Juvenum doctiſſime geſtis
Conſtantî pauca: unde domus tua fluxit, ab ipſa
Italia Herculeas clariſſima ad uſque columnas.
Quæ cur (heu miſeri) tota non mente ſecuti,
Ambitione, dolis, luxu, atque cupidine, & ira,
Et quidquid manet antiqua de ſorde, relictis,
Jam tandem patriis animum convertimus aſtris,
Et cœlo mentes erectas tollimus, unde

Principium, & noſtræ deducta eſt gentis origo.
Id nos præſertim moneant cùm tempora. Namque
Hinc Scytha barbaricis Meſitam circumſonat armis,
Et Latio inſultans, atque Urbi vincla minatur:
Atque illinc campos ferro populatur & igni,
Quos Dravus, quos Danubius quos Savus inundat.
Parte alia abſumpta eſt civili Gallia bello,
In variaſque abiit ſectas Germania diſcors,
Utraque lethiferis animos imbuta venenis,
Quæ ſparſere novi circum Arctia regna Gigantes:
Nos dum ultrix ſcelerum exercet Rhamnuſia virgo,
Et pro commiſſis pœnas infenſa repoſcit,
Hunc noſtris tu ſaltem animis Pater optime amorem
Immitte, ac ſtulti da temnere gaudia vulgi,
Æthereo inviſoſque homines quodcumque parenti
Efficit, ac cœlo Stygias detrudit ad undas.

In Leonem vermiculati operis Iguvii in Gabrieliorum Suburbano repertum quum nuper inter Venetos & Turcas bellum ſuſcitatum eſt.

Iguvii effoſſus nuper ſub mœnibus altis
  Compoſitus cruſtis, teſſeruliſque Leo,
Surgit ubi feſti moles operoſa Theatri,
  Et magna a priſcis culta Diana fuit;
Quem juba conveſtit validos diffuſa per armos,
  Terribilem & villis cauda ſuperba facit;
Atque uncis Pardum pedibus tenet, inque timentem
  Jam jam invaſurus dente videtur atrox,
Indigenas fortes, & vinci neſcia ſignat
  Pectora, & intrepidos Martia ad arma viros.
Egregios bello Tyria Carthagine quondam
  Oſtendit Pœnos ſic caput acris equi.
Sicque etiam Romæ imperium portenderat orbis,
  Tarpeja inventum quod fuit arce caput.

A O-

AONII PALEARII
VERULANI.

In nuptiis Nicolai Marini, & Aloyſiæ Mendozæ.

VEſper ab heſperiis nitidum caput extulit undis:
Et totum accendit diffuſo lumine cœlum,
O decus luſubrum: nuptæ conſurgite contra.
Deducenda ſuo tandem eſt nova nupta cubili
Nox ruit: & Veneris jucundæ præterit hora.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Et meminiſſe decet nuptæ, & meminiſſe poteſtis,
Expectata dies fauſto cum ſidere venit,
Cum inveni caro vos deſpondere parentes.
Spes veſtras ſi forte aliquid pro tempore luſit,
Ut primum optati vobis data copia lecti eſt,
Quales amplexus, & gaudia quanta fuerunt!
Huc ades o Hymeneæ Hymen, ades o Hymeneæ.
Aſpicite, ut ſedeat demiſſo lumine virgo,
Ingenuo ſuffuſa genas utraſque rubore.
Certe oculos non tollit humo, roſeumqne labellum
Comprimit, & nullas emittit pectore voces.
Non decet hoc fieri: gaudet Venus aurea riſu:
Libera res Amor eſt, & libera mater Amoris,
Lætitiæ genitrix, hominum, divumque voluptas.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
O felix virtute tua, lectiſſima virgo,
Educta ingenuè, ſanctoque aſſueta pudori,
Non tibi mens ullas nunc afferat anxia curas:

Sed nova conjugii pertentent gaudia pectus.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Num virgo te cura ſubit, pietaſque tuorum,
Quos rate conſcenſa liquiſti in littore Ibero?
Aſpice, quam multi te ſunt vel ſponte ſecuti,
Quaque tuos clara paſſim virtute ſequuntur.
Hic domus, hic patria eſt, ubi nullo tempore abeſſe
Laudibus a magnis poteris, meritiſque tuorum.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Auſonia in magna pars eſt tibi maxima virgo:
In qua laudis habent tantum duo fulmina belli,
Conſalui, quorum eſt alter ſuper æthera notus,
Lætus in Elyſiis qui nunc agit otia campis;
Inſubres alter juſtis moderatur habenis:
Quem Sueſſana Ducem, Regum e domitoribus ortum,
Obſervat tellus, armorum fortibus auſis
Æternæ pulchro florentem laudis honore.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Quæ tua ſunt tecum ſapiens bona percipe virgo:
Eſt tibi perpetuo ſociatus fœdere lecti
Cœleſtis juvenis, quo non formoſior alter:
Quem Charites ſinxere manu, & Nereides ipſæ
In conchis inter gemmas aluere marinas:
Is te ſuſpiciens tereti cervice repoſta,
Vix capit ipſe ſua ſecum ſua gaudia mente.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Quare agite expertæ nuptæ bona dicite verba,
Et caſto in thalamo de more locate puellam.
Non Dea mortali tales conceſſit amores,
Nec Deus hoc umquam conjuxit fœdere amantes:
Qualis in his inerit veniens pax aurea cœlo,
Læta ferens dextra ramum felicis olivæ,
Et dulces natos, & pignora cara, nepotes.
Huc ades o Hyemenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Commiſtum genus hoc Italum cum ſanguine Iberos,
Clarum, illuſtre potens, omnique ex parte beatum,
Nequitiæ ignavæ quod nulla redarguet ætas,
Innumeros ſemper magnos volventibus annis

Armorumque duces pariet, paciſque magiſtros.
Quam multa in ſilvis orienti germina vere
Hac illac circum viridantia parturit arbos,
Quam multi in pratis, aura ſpirante Favoni,
Naſcuntur flores, aruiſque feracibus herbæ.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
 Audiſtis? lævum intonuit, læta omnia, fauſta
Omnia, felicis ſunt ominis omnia plena.
Inſubrum nunc ite nurus, accendite tedas
O pueri, ſimul ite viam, tuque optima virgo
Tolle pedem aureolum, conjux mox ipſe ſequetur
Os humeroſque Deo ſimilis, tua maxima cura.
Jam quos heroas nobis dabis optima virgo?
Accipe de magnis felix heroibus omen,
Quos fecunda nurus geminos feliciter edet:
Quod ſanctum, firmumque tibi Dux maxime Thoma
Fortunate ſenex dat carminis auctor Apollo.
Cernis ut extemplo ſpes ſit tibi facta nepotum?
Jam faciet virgo, ut terrarum intelligat orbis,
Ecquæ progenies, ecquæ divina propago
Venit ab Heſperidum ſemper felicibus oris.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.

Ad Jeannem Tonſum.

Laudator vatis Venuſini candide Tonſe,
Ne tibi me credas imponere, carmina mitto
Ad ſenſus efficta tui, moremque poëtæ,
Invito genioque meo, invitaque Minerva.
Quanti te faciam noſti pro tempore, abeſſe
A me ſi poſſum, tibi quo magis obſequar uni.
 Ille ubi jam numeris mulſiſſet dulciter orbem,
Argolica fretus cithara, fidibuſque Latinis,
Hellade ab uſque Remi & Muſas duxiſſet in urbem,
Libertate frui ſtatuit, placidaque quiete,
Et delectari ſtudiis ignobilis oti.
 Hinc dulces ſcriptis cùm compellaret amicos,
Protulit effetos, velutique ex tempore verſus:
Quos

Quos ſale Romano, atque Italo conſperſit aceto:
Quorum ſunt tamen hiberna nive candidiora
Verba, quaſi è liquido, & puro manantia fonte,
Sed fortaſſe nimis numerorum lege ſoluta.
  Felix ille quidem, natus melioribus annis,
Queis licuit metiri quemque ſuo modulo rem,
Atque aſpernari faſtus populaſis honores.
  Ambubajarum collegia, pharmacopolæ,
Nunc ego ſi inciperem, ferres? dic candide Tonſe.
Numquam quod ſentis dices niſi dixeris iſtuc,
Et ſi non dices, dicet Scaphenatius ipſe
Ingenuus, centum mihi qui eſt pro millibus unus.
  Eſt hoc principium ſatyræ; fac eſſe. ſemel ne
Labitur in numeros iſtos ridente camœna?
Includi non vult donatus jam rude ludo.
Ergo impetrata venia liceat mihi quidquid
Venerit in buccam, atque animum, proferre. laboris
Impatiens quiſque eſt, ubi jam tardante ſenecta
Sanguis hebet, ſegnes non jam aſpiramus ad illa,
Quorum ſpe erecti, quæ non juveneſque, virique
Fecimus, ingenti perculſi laudis amore?
  Eſt aliquo ambitio vitium pro tempore honeſtum,
Turpe ſeni emerito, qui ſi velit, ipſa recuſat,
Et prohibet natura, queat ne tendere contra.
  Orator placuit florens Hortenſius annis,
Non ita jam grandis natu, quin Roſcius ævi
Maturus jam, ex arte modos, cum tibia cantus
Æquaret pariter, fertur feciſſe remiſſos.
Cùm ſemel Æſopus voluiſſet tollere vocem
Altius, eſt raucus toto ridente theatro
Factus, cumque iterum acclamaret, vox magis ipſum
Defecit, vulgo tum perſonuere cachinni,
Plangor, & inviſus populari ſibilus auræ,
  Nil ſupra vires tentandum; ſat fuit olim
Verſatum in magna cum laude fuiſſe palæſtra
  Quod ſi forte ſenex duro contendere cæſtu
Jam velit, effœtæ cum ſunt in corpore vires:
Infliget plaga numquam: & ſi cum ictibus auras

Ne-

Nequicquam feriet, procumbat, deinde reſurgat,
Decidat & rurſus, riſum teneatis amici?
  Sic ubi jam vitæ gravior proceſſerit ætas,
Siquid adhuc parimus non id Dea ſuſcipit Hebe,
Gratia nec cingit natum florente corona,
Quod ſenis effœto recidivi e ſemine fluxit;
Quem ſapiens mater prope jam natura reliquit.

Dis manibus Sicini Pepuli.

Ut gravis attonitas pepulit mihi nuntius aures:
  O lux, decuſque nobilis Bononiæ,
Heroa amiſſum, nulli virtute ſecundum
  Domi foriſque in otio, in negotio,
Quàm præſaga mali mens eſt mea viſa timere,
  Ate ſiniſtra ne quid afferret tibi!
Cum te cara parens, cum te lectiſſima conjux
  Vocaret uſque, virgineſque pallidæ,
Quas amor in vita tuus, & ſpes dulcis alebat,
  Deſiderarent, & vocarent ſæpius,
Cumque chorus Phœbi, & quondam tua cura poëtæ
  Accingerentur ad canendum triſtius.
Augurium infelix, verus mihi nuntius ergo
  Hic, optime heros, eſt tuo de funere?
Cujus ego egregias laudes, & rapta trophæa
  Ab hoſte barbariſque nationibus
Ipſe meis prodam numeris, modo vita ſuperſit:
  Et annuant montes colentes Aonas:
Quæ me ex Inſubribus referant ad amœna vireta,
  Colleſque dulcis, divitiſque Etruriæ:
Hic ubi plus oti ſemper, facileſque Camœnæ
  Non te vetabunt verſibus ſcribi ſuis:
Nequa tibi noceant incanis ſæcula mentis,
  Edaxque tempus, & vetuſtas ſqualida:
Neve tibi faciat ſublimis aranea telam
  Sicini amice conſecrato in nomine.

Non

Nuſquam non Pepulum reſonabunt oppida, & arva,
 Nymphiſque amatæ ripæ, amata littora.
Non roſa, non violæ, non lilia, non amaranti
 Deerunt ſepulchro marmoratis laudibus.
Tantum dicta tua, tantum tua facta merentur,
 Alumne Martis, atque alumne Apollinis.

Ad Coſmum Medicem Florentiæ,
& Senarum Ducem.

O quem Mars pater, & Minerva Pallas
Ad ripam placide fluentis Arni
Regem fortibus edidere Etruſcis,
Ecquando mihi fata largientur,
Ut artes patrias, tuaſque laudes,
Quæ Phœbo auſpice prodeunt in orbem,
Mandem verſibus aurei libelli?
O quæ tum mihi grandiore plectro,
O quæ tum mihi bella ſunt canenda.
Nunc dum nos placida in quiete dia
Jubes otia ducere, omniumque
Florere ſtudia uſque litterarum,
Quas Græci coluere, quas Latini,
Hanc mi Rex tibi floribus coronam
Intexi ſine, patriaſque lauros
Inter littoream virere myrtum:
Ut qui poſt aliis erunt in annis,
Norint, quàm bene ſæculum beaſti,
Princeps unice liberalitatis.

De Annulo cum gemma oculata, quem Iſabella Columnia deſponſa donavit Aloyſio Gonzagæ viro ſuo.

Lumina dum in pulchram defixa teneret Eliſam
 Gonzaga proles regia Aloyſius;

Fla-

Flagrantem vultu divino his ore puellam
  Purpureo juvenem commonuiſſe ferunt.
Quod ſpectas avidus, miraberis haud ſatis unquam,
  Ipſe meis niſi me luminibus videas.
Mox juveni ardenti geminos donavit ocellos,
  Alter Amoris erat: alter erat Veneris.

Ad Marcum Antonium Maffæum, de Urſulæ Catello mortuo.

Catellus ille tam venuſtus Urſulæ
  Labella vix momorderat,
Cum viſus eſt repente ad illam mæſtulus
  Tardis redire greſſibus,
Cervice deflexa ad pedes, & auribus
  Preſſis, quaſi ſe noſceret
Cauſſam dediſſe inexpiabilis mali, &
  Caſum doleret Urſulæ,
A qua tot oſcula improbus decerpſerat
  Suaviora nectare.
E cujus ore tot cibos exceperat
  Dulci ſapore prœditos
Vincente Hymettium liquorem, & Indicum
  Et ſi quis eſt his gratior.
Sed cum fuiſſet Urſulæ propinquior,
  Tamquam ſibi ignoſci petens
[Dignorat illam namque ab omnibus, velut
  Suam parentem filia]
Non auſus eſt ſtatim in ſinum perrepere,
  Ut ſemper aſſueverat:
Nec extulit venuſtulum caput, ſed ad
  Pedes miſellus corruit.
Ubi eſt dici moratus, albula Urſulæ
  Sperans levari dextera:
At cum videret opprimi graviſſimo
  Illam dolore, ob mollia

De-

Demorſa labra, nec jacentem attollere,
  Verùm minari verbera,
Surrexit, erectis & auribus, bipes
  Aſtitit utrimque dimovens
Caudam jubatam; & altero pedum genu
  Lævum petivit Urſulæ,
Lambens eburneas manus, & blandiens
  Leni latratu, quo ſuæ
Heræ levaret voculas mæſtas, & ut
  Ei dolorem avelleret,
Niſus fuit tum ſaltibus conſcendere
  In mollicella femina.
Manu ſed illa reppulit jam ſæpius
  Fruſtra ſtudentem inſcendere,
Qui ægre ferens ſic negligi ſe ab Urſula,
  Cujus levamen unicum
Prius ſolebat eſſe, cui moleſtias
  Solus graves depelleret,
Dum ſe huc, & illuc erigit, dum dexteram
  Nunc porrigit, nunc alteram,
Conceſſit illico gemens in angulum
  Cubili herili proximum.
Ac ſtratus illic jacuit, altis perſonans
  Cœnaculum conqueſtibus.
Quouſque ſervi ſternerent triclinium,
  Dapeſque ferrent ſplendidas:
Qui non videtur amplius cognoſcere
  Ullum, ſed omnes negligit,
Ciboſque ſpernit, quos in os immittere
  Student: & illic condolens
Caſum tremendum, & horridas heræ minas,
  Moratus eſt ad veſperum.
Tunc una ſervularum ad Urſulam tulit
  Invitum, & ille deſilit
Gremio ſolutus, & redit celerrimè
  Quò jam ſemel confugerat,
Multum verens præſentiam ſuæ Urſulæ,
  Cujus labella preſſerat.

Mox

Mox conquievit involutus linteis,
Dum ardente Phœbus lampade
Luſtraret orbem quinquies, & quinquies
Caput ſub undis mergeret.
Nec ſumpſit interim cibum, nec faucibus
Ullum liquorem ſorbuit.
Nam & ſi benigne ancillulæ illum ſæpius
Omnes jacentem inviſerint
Cibóſque conditiſſimos injecerint
In os diebus ſingulis:
Tamen ſubinde reſpuit, nec lambere
Aquam vel aliud viſus eſt:
Quòd non videret Urſulam, quæ paſcere
Illum prius conſueverat.
Quare miſellum pænè vox defecerat,
Et effluebat ſpiritûs
Ab ore: quando nuntiatum eſt Ursulæ
Vita catellum excedere.
Accurrit illa exanguis, ac in limine
Gravi tremore concidit
Oppreſſa, quam repente ſervulæ duæ
Propinquiores ſublevant,
Et brachiis utrinque ſuſtinent, ab hoc
Dum ſe dolore recreat:
Nec inde multò poſt perita ſervula
Aſpergit illam citria
Aqua, ſuaviterque olenti perfricat
Unguento: at illa colligit
Vires, & ad mentem reverſa priſtinam
Recta ad catellum proſilit,
Qui non adhuc ſic ſenſibus defecerat,
Quin Urſulam dignoſceret,
Quam tantum amabat, nititur tum aſſurgere
Ut in ſinum ejus involet,
At debilis tam languida, & tam laſſula
Nequit movere cruſcula.
Tunc eſt profectus recta ad Urſulam ſua
Quæ in ſede vix conſederat,

Exi-

Exiſtimans illam recentis vulneris
  Oblitam, & ut depromeret
Ex ejus ore delicatulos cibos,
  Quos illa ſemper mandere
Libans ſolebat in catelli gratiam,
  Dum in prandiis accumberet,
Et indere in fauces ſuis molliſſimis
  Labris : quem ut ad ſe progredi,
Sedemque ſaltu ſcandere, ac velociter
  Menſæ inſilire conſpicit,
Irata dextera miſellum corripit,
  Et gannientem dejicit
Procul ; ſed ille dum videt coram omnibus
  Ab Urſula ſic deſpici
Formam elegantem corporis tam parvuli,
  Tam vividi, tam belluli.
Recedit illinc, conquerens aſperrimam
  Injuriam ſuæ Urſulæ,
Ancillulaſque petit, & advolat celer
  In viliora ſtromata,
Timens herilem in lectulum non amplius
  Errorem ob iſtum admittier,
In lectulum tam divitem, tam ſplendidum,
  Tot floribns lectiſſimis
Sparſum, tot optimis olentem odoribus
  Quales Hydaſpes, vel Saba
Non edit & tam bellule tam molliter
  Subſtratum, ut ipſa Cypria
Ejuſque filius, qui in illum devolat,
  Et hinc, & inde ſubſilit,
Miratus apparatum, & elegantiam
  Raramque pulchritudinem,
Tali potiri ſæpius deſiderent,
  In quo quieſcunt Urſulæ
Tenella membra, illius inclitæ Urſulæ,
  Qnam ſi videret Juppiter,
Junone ſpreta, & omnibus mortalibus
  Velox ad hanc aſcenderet

Non

Non imber aureus, nec ignis lucidus,
Valens nec arcu Cynthia,
Nec ſquammeus ſerpens, nec albicans olor,
Nec candidus Taurus, neque
Satyrus celer, nec paſtor armentarius,
Nec fulvus ales, ſed Deus.
Illum viciſſim omnes fovere ſervulæ
Nituntur, atque paſcere:
Sed denotat ſpectans ocellis Urſulam
Quanti antea illam fecerit:
Quem fera accubantem blandulo circumplicat
Amplexu, oborta e lumine
Lacrimula, & illum donat uno, & altero
Suaviolo, & in reconditam
Secedit aulam cum duabus ſervulis
Secum catellum deferens.
Et in miſelli guttur ingerit cibos
Lautis deorum ferculis
Suaviores, & calore confovet
Ut ipſum ab Orco retrahat.
Conatur ille ſumere, haud tam ſe judicans
Jam poſſe convaleſcere,
Quàm ne putetur ſpernere elegantia
Heræ ſuæ munuſcula.
Sed lingua jam palato adhæret, mandere
Nec dentibus quicquam valet.
Nunc intuetur Urſulam, quaſi rogans
Ignoſcere ut ſibi velit,
Si quod ſcelus conceperit, tenellula
Dum ejus labella ſtringeret.
Statimque vitam deferens, ſe ad Tartara
Tenebricoſa proripit.
Eheu catellus occidit pulcellus, heu
Catellus ille inquam occidit,
Qui floſculus fuit catellorum omnium
Quotquot fuere, quotque erunt.
Quem præditum tot artibus formaverant
Dii in Urſulæ ſpem gratiæ.

Nam dulce ſolatiolum erat, cùm viveret,
Cujuslibet moleſtiæ
Suaviſque delectatio, dum dexterum,
Dumque alterum crus verberat.
Cauda, aut in altum more ſemicirculi
Reflexus, arcumque æmulans
Se bellulè venuſtulo dorſo elevat,
Spectante cuncta hæc Urſula.
Qnæ dum Catellum mortem obire conſpicit
Quem plus ſuo illa corculo
Amavit, ac ei fuit jucundior,
Quam Lesbiæ paſſerculus,
Et quàm Cupidinis parenti, & Jaſidi
Celerrimæ mala aurea.
Effundit ab ſuis ocellis lacrimas
More effluentis rivuli:
Flavoſque ſcindit unguibus crines, ſua
Tunditque palmis pectora.
Seque impiam vocat, vocatque perfidam,
Et frigidis ſerpentibus
Crudeliorem, quòd catellum amabilem
Per hos dies contempſerit.
Negatque velle, aut poſſe poſthac vivere
Privata tanto gaudio,
Tantoque cœli munere, ac graviſſima
Suo minatur corpori.
Sed blandulis ſermonibus tum ſedulæ
Solantur illam ſervulæ,
Quæ cum doloris maximi præſentibus
Notas dediſſet omnibus
(Nam cognito caſu catelli plurimi
Eum in locum convenerant)
Lenire viſa eſt alta cordis vulnera.
At numquam ab illo tempore
Ridere, vel gaudere vidimus, nec id
Vidiſſe quenquam audivimus.
Quin ſi Catelli fiat hujus mentio,
Non temperare a lacrimis

Poteſt, & adjurat fore, ut dum ſpiritus
  Tenellulos artus reget,
Contenta numquam vivat: ac omnes Deos
  Incuſat, illoſque arguit
Crudelitatis, quod ſibi tot gaudia
  Tot deliciola extinxerint
Quare obſecro te ſumme Olympi conditor,
  Tecumque reliquos cœlites,
Qui curam habetis omnium mortalium
  Rerum, ut catellum ab inferis
Ne educere ad vitam gravemini, vel ut
  Formoſiorem deſuper
Mittatis, huc, pulcherrimæ ſi ulla amplius
  Vos cura tangit Urſulæ.

CAMILLI PALEOTI

BONONIENSIS.

Amor.

LÆta fluentiſono remeabat ab æquore Cypris,
Natorum ſtipata choris, ut forte ſecundi
Antrum ingens immane Jovis, pelagique ſonantem
(Natales trahit unde ſuos] conceſſerat aulam.
Hic etenim primos (ſic credidit alta vetuſtas)
Vagitus dedit, hic immenſum Hyperionis orbem
Hauſit, & igne caput cinctum Phaëtonta coruſco,
Spumanti prognata freto, & genialibus undis.
Unde etiam merito divam cognomine priſci
Spumigenam dixere patres. Sed & illa ſubinde
Nutrices viſura ſuas, Clymenenque Thetinque
Et Panopen nigro, & flaventi crine Thaliam,
Æquor adit, gaudetque ſuas inviſere cunas.
Nunc quoque ab Oceani digreſſa timentibus undis
Idalium in nemus ibat ovans, multoque calentem
Ture Paphon, gravidamque ſuis Amathunta metallis,
Gemmato reſidens curru, quem Mulciber olli
Saucius, & multo mentem labefactus amore
Ante toros dulces, ante optatos hymenæos
Ipſe ſua cælaſſe manu narratur, & artis
Egregiæ quodcumque fuit, rarique decoris
Inſumpſiſſe operi, multaque incude peractum
Sponte ſua donaſſe Deæ, flagrante Minerva
Invidia, torvumque oculis Junone tuente.
Scilicet hoc uno dulces mercatus amores

Mu-

Munere, & optati genialia fœdera lecti.
Proſequitur, lateque Deam comitatur euntem
Compoſio Pæane cohors. Inque agmine primo
Procedunt diſcincta ſinus de more fluentes
Otia, & indociles ſomno dare lumina curæ,
Curæ, quas junctim ſequitur temerarius error,
Error captivam rapiens per devia mentem.
Tum levitas rationis inops, & prodigus auri
Luxus, & Ebrietas teneris redimita corollis
Spirantes unguenta comas, raucæque precando
Excubiæ, fractoque ſeram de poſte revulſam
Rixa trahens. Mox juncta hilari Concordia riſu,
Totaque nectareo perfuſa liquore Voluptas,
Nec procul hinc blandæque preces, Nutuſqne loquaci
Fronte venit, miſeroſque fovens Spes anxia amantes,
Anxia, ſed nullis umquam moritura ſub annis,
Anxia, ſed miſero præſtans alimenta furori,
Anxia, ſed longo conſumens gaudia voto,
Et lacrimæ, & tandem lætus pietate reperta
Pallor, & aſpectu docilis manſueſcere primo
Ira ſubit, ſpretoque volant perjuria cœlo.
Ipſa Therapnæos medio ſtans agmine cycnos
Ire iubet, roſeumque quatit per colla flagellum
Marmorea Citherea manu, quam mille ſecuti
Hinc atque hinc pinnata cohors glomerantur Amores
Armati faculiſque manus humeroſque ſagittis,
E quibus hic niveo vehitur ſublimis olore,
Hic picto pavone ſedet, premit ille columbæ
Terga ferox, roſeiſque docet parere lupatis.
Hunc portat fluvialis anas, hunc Phaſidis ales,
Strymoniam regit ille gruem. ſtimuliſque fatigat.
Ante alios, multa variatus jaſpide plumas
Eſt Pyrois, quo non præſtantior alter amorum,
Seu rutilas vibrare faces, ſeu fundere cornu
Spicula, ferratis ſeu nectere colla catenis:
Poſt te poſtque tuos arcus pharetrate Cupido:
Gemmatumque humero, ſormoſæ ante ora parentis,
Fert ſpeculum, quo ſe curru deſpectat ab alto

Compoſitam, ridetque ſuæ Venus aurea formæ.
Stant prope Acidaliæ Charites, certantque viciſſim
Officiis meruiſſe deam, quas dicitur olim
Eurynome genuiſſe Jovi, dum margine ludit
Oceani, pictaſque legit per littora conchas.
Quarum quæ Somni dulces ſortita Hymenæos,
Paſithea, aureolum ne ventilet aura capillum,
Idalias infigit acus; tu ſpargis odoro
Nectare anhelantes dulci ſub pondere cycnos
Euphroſine, ut blando valeat ſupereſſe labori.
Tertia ne nitidos violentia ſolis ocellos
Præſtringat, nimioque genas ardore coloret,
Picta ſerenatæ præfert umbracula fronti.
Ridet humus gradiente Dea, paſſimque beatis
Luxuriat calcata roſis: quacumque relicta eſt
Orbita, fragrantes pingunt violaria campos,
Totaque puniceis veſtitur terra roſetis.
Ipſa etiam quæcumque ſubit nemora alta Dione
Ambroſium ſpirante trahunt de vertice odorem,
Sideream flexo venerata cacumine Divam.
Erumpuntque antris immania pantherarum
Agmina, ſetigerique ſues, currumque ſequuntur
Urſique, horrenteſque lupi, vaſtique leones
Sæva Citheriaco perculſi pectora thyrſo.
Exultat tacite ſecum, dulcique renidens
Ore Venus, nunc aligeris blanditur alumnis,
Nunc comites laſciva ſuos, pompamque ſequentem
Reſpicit, & faſtu creſcit tumefacta ſuperbo.
Hæc tum Ledæis invecta volucribus ædes
Attigerat Paphias, & centum altaria Cypri,
Cum procul aërio redeuntem a vertice Cynthi
Sminthea, ſuſpenſamque humero pharetramque fidemq;
Vidit & incaluit, tumidas ut ſemper in iras
Femineum proclive genus, ſtat corde repoſtum
Indicium vetus, & monſtrati injuria furti.
Nec dum Lemniacæ ceciderunt mente catenæ.
Primo igitur ſtetit aſpectu, paulumque volantes
Preſſit aves, mox ſigna dedit manifeſta furoris,
Pur-

Purpureas turbata genas, ſubitiſque ſerenam
Nubibus, & nigro frontem circumdata nimbo.
Atque ita, proh ſegnis animi, pro femina dixit,
Saturni mentita genus, nec jam amplius uſquam
Digna coli, poſtquam fœda, atque infanda tot annos
Ferre potes, nec tanta movent opprobria mentem.
Junonis cur non etiam inviſæque Minervæ
Servitium jam ſponte ſubis? cur mater Amorum
Nulla trahis inter famulas data penſa catervas?
Quandoquidem nil jam ſupereſt, & multa tuliſti,
Quæ neque Hamadryades, neq; ruſtica numina Nymphæ
Suſtineant, ſocio quas dedignamur Olympo.
Hic ne impune ferat, turpi de pellice natus;
Quem propter, ſed enim, pudet hiſcere, fabula cœlo
Nota diu riſuſque fui, monſtrata Deorum
Concilio, dum nuda meum complexa tenerem,
Inter blanditias, luctantiaque oſcula, Martem.
Proh pudor! indicii memorans temeraria pœnas
Suſtinui differre diu, ceu parva poteſtas
Noſtra foret, nullaſque meus torquere ſagittas
Noſſet Amor, rapidaſque faces, At nempe potentes
Cœlicolas, Erebique Deos, pelagique tyrannum
Perdomuit. Quænam ergo animis ignavia ſedit
Tanta meis? Poteram jam pridem imponere ſonti
Supplicium, ſi ſtulta mei memor ipſa fuiſſem,
Nunc etiam cur, ſera licet, vindicta moratur?
Talia jactantem jamdudum & torva tuentem,
Circumſtant volucres pueri, pharetriſque ſagittas
Depromunt, nixique genu, ſibi quiſque ſonantem
Incurvant arcum, & flagrantem lampada quaſſant,
Omnibus ulciſci læſam ſubit ira parentem,
Omnibus inviſum Phœbi exhaurire cruorem
Ardor ineſt. Primuſq; Phlegon, Quin protinus, inquit,
Aggredimur, quid ſtamus adhuc? jamque eminus ipſe
Pectora contento fixiſſet Apollinis arcu,
Sed vetuit gaviſa parens natoſque furentes
Alloquitur: veſtra o pueri (mihi credite] veſtra eſt
Hæc pietas jucunda nimis, furor iſte voluptas

Eſt mea; laudo equidem, nec me genuiſſe pigebit
Tam dulces natos tam caræ matris amantes.
Verum ſi qua mei reverentia, parcite flammis,
Parcite, & ultrices arcu prohibete ſagittas.
Vos ſuperos violare nefas, quamquam ille ſceleſta
Titanum de ſtirpe ſatus, tamen alta frequentat
Tecta Jovis, noſtraque ſolet diſcumbere menſa.
Ultio ferales vocet iſta cupidinis iras.
O pueri ſedate animos, lenite furorem,
Solus enim domuiſſe Deos, domuiſſe Tonantem
Fas habet: ecquis enim ſinuare valentius arcum
Novit, & abducto melius vibrare lacerto
Lampada, captivoſque pedes vincire catenis?
Scitis enim, meritoſque ultro ceſſiſtis honores,
Jamque adeo per vaſta poli convexa requiram,
Sidereaſque plagas, ubi nunc (ni fallimur) ipſum
Exultat viciſſe Jovem, facilemve domari
Ignigenam, noſtrumve ferit fortaſſe Gradivum.
Vos mea blanda cohors Paphios remeata penates.
Idaliaſque domos, & opima novalia Cypri.
Deſierat Cytherea loqui, jamque agmen Amorum
Præceptum carpebat iter, ſed lumina terræ
Fixa tenent, ſiccisque pudet remeare ſagittis:
Ceu lupus, aggreſſum quem nocte mapalia, fidi
Latratu pepulere canes, veſtigia retro
Preſſa legit; nemora alta petens, caudamque remulce
Hirſutam, vacuoque dolet diſcedere rictu.
Cypris Amiclæos magnum per inane jugales
Flectit, & aſtriferum dicto prius intrat Olympum.
Stellanti tum forte Jovis laſcivus in aula
Stabat Amor, ſtabatque puer qui pocula miſcet
Raptori jucunda ſuo, decor unus utrique,
Una eademque ætas, menſuraque corporis una eſt;
Ac niſi quod nullis humeros circundatur alis
Phryx puer, ipſa etiam potuit dubitaſſe Cythere,
Quem natum putet eſſe ſuum, quem credat Amorem.
Illi inter ſeſe fulvo radiantibus auro,
Aſtragalis ludunt: ſed enim luſiſſe Cupido
Do-

Doctior eſt miſcetque dolos pueriliter arte
Improbus, & victum ſalibus Phryga ridet amaris.
Hinc ubi progreſſa eſt Venus, & dedit oſcula nato
Blanda ſuo, per ego hanc pharetram cariſſime, dixit,
Perque arcus quos ipſa dedi, pone, oro, parumper
Hos luſus, matrique operam concede precanti.
Non te iterum Aſcanii faciem mortaliaque ora
Induere, aut cæcis Medeam incendere flammis
Nate precor, nec torva Jovis penetrare profundi
Pectora, & ad Stygios noſtrum uſque extendere fines
Imperium: fuerant olim hæc quoque vota, refluxit
Dum melior fortuna mihi: nunc te oro per iſtud
Dulce caput, quo non aliud formoſius uſquam eſt,
Hoc tantum, ne me ulterius patiaris inultam
Eſſe diu, nec enim mihi juſta piacula ſolvit
Phœbus adhuc, qui me duro cum Marte jacentem
Nil Junonigenæ timuit monſtrare marito.
Illum ego care puer vidi, puduitque videre:
Nuper Oronteo perfuſus odore decoram
Cæſariem, cytharaque humeros inſignis eburna
Ibat, & erecta tumidum ſe fronte ferebat.
Aſt ego quæ te utero talem, pulcherrime rerum,
Concepi, qui cuncta domas elementa Deoſque,
Ah piget, ingredior quoties ſtellantis Olympi
Atria, Lemniacas exprobrat acerba catenas
Pallas, & infami digito Saturnia monſtrat.
Quod ſi nate tuam movet hæc injuria mentem,
Tolle moras, læſique ulciſcere damna pudoris,
Actutum, luat ille mihi temerarius index
Supplicium, diſcatque tuam non temnere matrem.
Talibus orabat dictis: nec plura loquentem
Paſſus Amor, deſiſte queri deſiſte precari
Mater, ait: pœnæque moras ne necte querelis.
Dixit. & aſtragalos (tanta eſt puerilibus annis
Simplicitas) matri multum commendat: & arcum
Suſpendit fulgentem humero, ſtipatque pharetram,
Inſignemque auro medicatis felle ſagittis,
Fatiferaſque manus multa face fervidus implet.
Mox

Mox iter ad vaſti flammantia tendit Olympi
Mœnia: ſtant geminæ ferrato cardine portæ,
Ingentes cœli portæ, quarum altera terris
Nigrantes denſa effundit caligine nubes,
Altera collectas revocat, ſudumque reducit.
Has vigili ſtatione tenent, longumque per ævum
Florentes ſervant ſpatiis equalibus Horæ,
Horæ, quas Themis, ut perhibent, enixa Tonantis
Amplexu, obliquas Meandri fudit ad undas.
Huc poſtquam dilapſus Amor, mirabile dictu,
Sponte ſua ingenti vectis ſtridore ſonantes
Panduntur portæ, volat ille per aëra, ventis
Ocyor, & cæca velatus nube, cacumen
Invadit Parnaſſe tuum, ſtantemque vetuſti
Pro foribus templi frondoſo vertice laurum
Inſedit, ramiſque latet de more volucris,
Chalcida quam ſuperi, vulgus mortale Cymindin
Appellant, monteſque ferunt mulcere canendo.
Expavit tactum propenſa Cupidinis arbos,
Et viſa eſt vitaſſe Deum, traxitque comantes
Per ramos frondeſque novum concuſſa ruborem,
Scilicet antiqui nondum immemor illa pudoris.
At ferus ut dulci modulantem carmina plectro
Thymbræum conſpexit Amor, circumque novenas
Stare Deas, tumidam ſeſe exhortatus in iram,
Stridentem exturbat nervo impellente ſagittam.
Ingemuit volucri trajectus arundine coſtas
Delius, atque illi pariter plectrumque fideſque
Attonita cecidere manu: ſubituſque cucurrit
Perque artus, perque oſſa tremor, penituſque latebras
Intravit cæcas animi, furor igneus inſtat.
Sævus amor, pariterque faces, pariterque ſagittas
Spargit, & inſano nunc paſcitur igne medullas,
Nunc avet adducto præcordia rumpere cornu,
Exercetque truces pluſquam pueriliter iras,
Jamque gravem jaculis pharetram vacuaverat, ardet
Acer adhuc, ſeque incuſat, capitique precatur
Multa ſuo, quod non demens acceperit ultra,
Uſque

Uſque adeo & melle eſt & nectare dulcior ira.
Nec mora fatifero jamdudum ſaucius arcu
Ardet in Aoniam formoſus Oreada Pœan,
Succinctæ qua nulla magis jucunda Dianæ,
Nec denſas animoſa magis indagine ſilvas
Cingere perque altos montes, perque invia luſtra
Horrentes agitare lupos, agitare leones
Cominus, & fœtæ penetrare cubilia tigris.
Huic arcus, huic ſæpe ſuas dat ferre ſagittas
Innumeris jam laſſa feris Dictynna, nec ulla eſt,
Seu ſtudio formave prior, ſeu dote pudoris
Virginei. Comitem Nymphæ dixere Lycaſten.
Sed neque tam rapido virgo Peneja curſu
Aufugit te Phœbe olim per Theſſala Tempe,
Nil precibus lenita tuis, ut torva Lycaſte
Per montes perque antra fugit Dircæa ſequentem.
Jamque tibi facies deformat pallida vultus
Sidereos, jam forma perit, nulluſque comarum
Reſtat h nos, jam plectra jacent, jam barbita ceſſant,
Squalenti correpta ſitu, lugentque ſorores
Gorgoneæ, tantique rogant, quæ cauſſa furoris.
Inque dies magis atque magis præcordia ſerpit
Dira lues vacuamque tenent incendia mentem.
Ah miſer, ah medicam quoties accedit ad artem,
Nec dominum juvat illa ſuum, nulliſque fugatur
Graminibus feralis amor, rabiemve remittit.
Ah quoties piget eſſe Deum, malletque relicta
Luce mori, ſi forte furor minuatur amoris.
At poſtquam jam nulla quies, abeuntque medullæ
In cineres, ultraque nequit veſtigia Nymphæ
Dura ſequi, inſano vires tenuatus amore,
Quid faciat, quam poſcat opem? ſpes una relicta eſt.
Sublimem penetrare Paphon, timideque Dionen
Errori veniam lacrimis orare profuſis.
Ergo ædes Paphias atque Idalium frondoſum
Mœſtus adit: ſtabat poſito Venus aurea ceſtu,
Purpureis perſtrata roſis, virideſque per herbas
Ludentes paſſim circumſpectabat amores,

Quo-

Quorum alii vaſta deprenſam in rupe leænam
Fune alacres per prata trahunt, furaſque cothurnis
Hirſutis vincire parant, & pocula cornu
In rictum immergunt, immaniaque ora recurvo.
Hi reparant arcus, & vincla adamantina nectunt,
Maternam hic certant quis figat arundine myrtum
Certius, inſpectantque alii Pars cote cruenta
Ardentes acuit, pars dulci felle ſagittas
Armat, & auratis certat ſtipare pharetris.
Matris Acidaliæ pertentant gaudia mentem.
Cui Pæan miſerere, inquit, Cytherea, nec ira
Ulterius contende gravi, ſatis ampla ſuperque
Supplicia, immaneſque exſolvi ſanguine pœnas.
Da veniam, ſi Trojæ olim ſub mœnibus altis
Ingentem texi Æneam clypeoque cruentum
Tydidem excepi, nato crudele minantem
Excidium, Cytheræa, tuo; juvenilibus annis
Parce precor, ſubeatque tuam clementia mentem.
Vidiſti lacrimas flentis, genibuſque volutum,
Orantem veniam & meme peccaſſe fatentem.
Ulterior decet ira feras: tolle ocyus oro,
Tolle faces, diraſque evelle ex corde ſagittas.
Per Stygis horrendos latices, per flumina juro,
Tartareo poſſeſſa Jovi; celebrabere ſemper
Parnaſſo, ſemperque tuas Heliconia laudes
Turba canet, natumque Deos immane domantem
Cypri, tuum, notaſque mihi fera tela ſagittas.
Quin etiam Latiâ naſcetur origine vates,
Jamque inſtat matura dies, qui ſaxa, feraſque
Voce trahet, cantuque meos ſuperabit olores.
Illum ego te natoſque tuos, reſonare jubebo
Ingenti, Cytherea, tubâ quæ clara per orbem
Mugiat, æternumque per omnia ſæcula duret.
Deſierat Pæan, jamque ignoſcente Dione
Lætus abit, rediere animi, rediitque ſerenæ
Frontis honos, ſolitoque comæ fluxere decore.
Nec mora, flagrantem bello, & civilibus armis,
Pervolat Auſoniam, Sulmonemque intrat aquoſum:

Jamque ſalutantem primis vagitibus auras
Excipit amplexu, & Muſis commendat alendum
Naſonem, quem mox ſacris fovêre ſub antris
Pierides, cui pleƈtra dedit citharamque ſonantem
Ipſe; & Acidalios mihi concine, dixit, amores.
Nulla mora eſt, jam juſſa puer creſcentibus annis
Implet, & incertâ vix dum lanugine malas
Veſtitus, celebrem reddit tibi Roma Corinnam
Carmine, quod ſtupeant ſilvæ, quod ſaxa ſequantur;
Carmine, cui Libycus ponat fera ſibila ſerpens;
Carmine, quo tumidi deſæviat unda profundi.
Inde aliud canit atque aliud, ſed ſemper amantum
Intexit molles flammas, & dulcia furta.
Magnanimûm heroum, quin & quanam arte parari
Poſſit amor, quanam arte regi juvenilibus annis
Monſtrat, & immenſum Cythereja ſigna per orbem
Circumfert latè, & vires acquirit amoris.

VALERII PALERMI

De bello a Turcarum Rege in Venetos excitato.

TEucri olim Veneris ductu temerare penates
  Tantum auſi Grajos, hoſpitiique fidem;
In patriam retulere, ſimul cum conjuge raptâ,
  Bella, faces, luctus, denique & excidium,
Nunc Turcæ violant Venetos, & fœdera frangunt,
  Et duce Dianâ regna aliena petunt.
Si paribus pœnis ſimilis ſit culpa luenda,
  Imminet exitium perfide Turca tibi.
Hoc mage, quo Veneta arma magis felicia Græcis,
  Et majoris adeſt Numinis auxilium.

Ex Amore bella.

Cùm Venus imbellis mater dicatur amoris,
  Atque animo, ut formâ, prædita femineo;
Cur eadem eſt conjux Vulcani, & adultera Martis,
  Qui nova tela parat; qui nova bella facit?
Cur niſi quod blande primum Dea captat amantes;
  In furias captos, mox & in arma rapit?

BLOSII PALLADII.

De Imperia Romana.

DIi duo magna duo tribuerunt munera Romæ,
  Imperium Mavors, & Venus Imperiam.
Ac pariter totis nixi ſunt viribus ambo
  Condendo imperium Mars, Venus Imperiam.
Hos contra ſteterunt Mors & Fortuna, rapitque
  Fortuna imperium, Mors rapit Imperiam.
Imperium luxere Patres; nos luximus ipſi hanc:
  Illi orbem, nos nos cordaque perdidimus.

De Polo Card.

Fœdarant miſeras paſſim ſcelera impia terras,
  Nec quo ſe virtus jam tueretur erat.
Cùm Deus æterna impulſus pietate ruinas
  Deſpexit, noſtras indoluitque vices.
Sicque Polum ætherea juvenem demiſit ab arce
  Dixit &: hic noſtri pignus amoris erit.
Vindice quo priſcos virtus retinebit honores,
  Qui vitia infauſto conprimet exilio.
Ergo cùm hîc adſit cœleſtum munere, in illum
  Jure oculos cuncti fiximus, atque animos.

Tumulo M. Ant. Caſanovæ.

Comenſis Caſanova, dum priores
Et duces canit & canit Poëtas,

Præcurtis Epigrammatis; perennem
Ac longam ſibi gloriam paravit.

Agonalia feſta menſe Jani,
Lupercalia Februo, ac ſubinde
Liberalia Martio fiebant:
Megaleſia menſe poſt Aprili,
Dein Majo Tubiluſtria, ac Lemuria
Mox Veſtalia Junio, inde ſexto
Portumnalia menſe, poſt Decembri
Saturnalia ludicra, & jocoſa.
Sic hos, atque alios ſubinde ludos
Suo tempore quoſque deſtinarant,
Nec mutare locum, aut diem licebat.
At noſtra hæc lepida, inclyta, & jocoſa
Turundalia feſta quæ vocamus
Riſu plena, facetiis referta, &
Mille floribus elegantiarum,
Dum velis, celebres, die, atque nocte;
Cunctis menſibus, omnibus diebus;
Æſtu, Autumno, Hyeme, atque Vere; in hortis;
In pratis, ad aquas; domi, atque ruri;
Mane, veſpere; prandio, atque cœna;
Nonis, Idibus, & ſimul Calendis.

In Carolum V. Imperatorem.

Suas columnas non tranſcendit Hercules,
Novumque mundum non novere Cæſares.
At noſter iſte Cæſar, alter Hercules,
Qui monſtra victor edomat per Aphricam,
Longe columnas eſt tranſgreſſus Herculis,
Novumque mundum latè ſubdidit ſibi:
Cedant proinde Cæſares, & Hercules.

MAR-

MARCELLI PALONII

ROMANI.

De Andr. Matthæo Aquivivo.

NOn minus æternum ex Aquivivo habet Hadria nomen,
Nobilis immenſo quàm dedit ipſa mari.
Adde freto ſuus eſt ſupero quod terminus; illi
Nec limes tellus ulla, nec unda datur.
Nam Muſis ubi honos, Martique togæque manebit,
Et lucebit ubi Sol, Aquivivus erit.

FRANCISCI PANIGAROLÆ

MEDIOLANENSIS

Echo in Chriſti Natalem.

HÆc Bethlemitæ paſtoris verba referre
  Audita eſt Echo, quæ juga montis habet.
Quis natus? dixit, *natus*, patris an Judæi?
  Illa: *Dei* verus eſt ne homo? dixit *homo*.
Atque hic idem nonne Deus remanet? *manet*, eſtnè
  Ut pater, omnipotens? rettulit illa *potens*.
Hunc quid de cœlis duxit? *Lis duxit*. at iſtam
  Dic utrum vincet? *vincet* & ipſa refert.
Litis erat radix longæva? *Eva*. an mala? *mala*.
  Num gula ſic potuit? illa refert, *Potuit*.
An puer hinc fiet magnus? quæ reddidit *agnus*,
  Ipſe ait hoc? *ait hoc*. cur ita clamat? *amat*.
Is majus noſtro numquid dare poſſet amori?
  Reddidit illa nihil quàm gemebunda, *mori*.
Hoc faciet? *faciet*, moriens? *oriens*. Deus ille!
  Heus ille. eſt forſan cauſſa tua? *auſa tua*.
Diligere hunc ergo par eſt ſuper omnia Chriſtum?
  Iſtum. nonne Deum? dixit *eum*. & tacuit,

In mortem Pii IV.

Ut faceret fortuna Pium omni parte beatum,
  Vita, ait, huic dulcis, mors quoque dulcis erit.

De

De puero armato.

Mars Venerem, Martemque Venus dum quærit, uterq
Quæſitum, viſo hoc, ſe reperiſſe putant.

De curru Antoniæ Vicecomitis.

Cùm videam vacuos ſolis procedere currus,
Quid, Phaëtonta, niſi, bis cecidiſſe rear?

Luſus.

Unde Salmacidos Pactoli ſumpſit arena
Vim: puer hanc tangens Hermaphroditus erit.

De Jolâ.

Cùm lymphis nudum ſe credere vellet Jolas,
Effigiem fonti vidit ineſſe ſuam:
Nec ſemet noſcens, comites incurrite, dixit,
Depoſitis alis ecce Cupido natat.

De Jolâ pugnante.

Pugnantem cùm forte Venus vidiſſet Jolam,
Quid Mars, quid noſter, dixit, Adoni, facis?
Cognovit neutrum, ſed quem præferret utrique
Cognovit dignum, paucaque verba dedit.
Mars & Adonis huic merito ſunt diſpare; poſtquam
Vincitur hic facie, vincitur ille manu.

De Laurâ C.

Cur pueri toties transfixus Juppiter arcu
Jactare ille ſuum vulnera facta ſinit?
Tutus Amor, viduæ latitans ſub tegmine Laurus,
Vulnerat hinc, ſpernens fulmina ſæva, Jovem.

De ſuo incendio.

Quas patior flammæ Trojana incendia vincunt:
Uſſit Troas homo, me Deus urit amor:

Ad N. Boſſium.

Dum primas ambis partes, cognomine prima
Efficis ut maneat ſyllaba ſola tuo.

Ad clathros ferreos.

Ferra datis aditum cordi, reditumque negatis:
Quàm ſunt æqua parum veſtra miniſteria!
Vel date cor raptum, vel totum admittite corpus;
Si lubet, eſte dehinc irrevocabilia.

De origine pueri.

Quam moriens nondum perfectam liquit Apelles
Abſolvit Veneris Juppiter effigiem.
Et tantam nullis cernens mortalibus eſſe
Formam, quæ huic deerant unica, verba dedit.
Extemplo effari (mirum) cœpitque moveri,
Hæc quæ muta prius picta tabella fuit,
Tunc primùm formâ vinci Cytherea decorâ,
Pictam a picturâ vidit, & erubuit.
Mortalemque dolens Divæ præcellere, vertit
In puerum modo quæ facta puella foret.
Nec tamen huic formam minuit: nam firma Deorum
Non infecta queunt reddere facta Dei.
Sic fuit effigies, ſic mox pulcherrima virgo,
Qui demum roſeo maſculus ore nitet.
Sic matrem formâ qui vicit femina vincit
Nunc natum, factus matris ab arte puer.

Epi-

Epitaphium Vidii Medici.

Quâ primæ eripuit multos, hac arte ſecundæ
Se rapuit morti Vidius, hicque jacet.

De eodem.

Non tibi ſat fuerat viventi vincere mortem,
Hanc niſi defunctum vincere poſſe probes?

JOANNIS ANTONII PANNACHIONI.

BENEVENTANI.

Maſo Lucæ de Albicis Gubernatori Civitatis Beneventi.

NUper ab æde viros quoſdam remeare ſerenis
Frontibus, & placido vidimus ire gradu.
Ipſe pedes eadem dum per veſtigia noſtros
Dirigo nec longe dum ſua terga ſequor;
Auribus hæc hauſi concordes verba loquentes,
Omnia & in laudes protinus ire tuas.
Hujus in adventu civilia bella, rapinæ,
Ira, doli, cædes, furta ſepulta jacent.
Rixarumque Duces pro factis digna timentes
Infandi Cives terga dedere fugæ.
Novimus huic priſcæ ſpeciem bonitatis ineſſe
Maſo, Samnites qui regit arte Viros.
En priſcum eloquium Demoſthenis, atque Maronis
Divinum Carmen, Atiliique fides.
En Pius Æneas cum relligione Catonis,
En Fabius parvo, Fabriciuſque potens.

Alterque Auguſtus Cæſar, qui tempora vidit
Aurea, juſtitiâ corda ſuperba premens.
Cunctorum egregias laudes, moreſque verendos
Solus hic in ſacro pectore Maſus habet.

De Maſo de Albicis Civitatis Beneventi Gubernatori juſtiſſimo.

Subdolus eſt exul quidam, qui agnomine Tappo
Dicitur; inſontem me premit uſque minis
Me dare præcipitem ponto, vel ventre minatur
Scindere ſanguineâ viſcera noſtra manu.
Inde rogum ſtruere, & ſummittere cetera flammis
Membra; dare aut rabidis dilanianda feris.
Horrifero noſtros quin deſolare penates
Vulcano, & mitem perdere progeniem.
Non modo gerrhonem. ſcurram, te ſoſpite, Maſe,
Sperno, malos unus quin ego mille pares.
Quod meritas dederant pœnas tibi, Maſe, nefandi
Mortales: complex hic quoque jure dabit.

Ad Samnites, de eodem.

Pergere Samnites tranquilla per otia vitæ
Jam licet amotis ſollicitudinibus
Cervices paſſim duras, ſcelerumque miniſtros,
Quique agitant urbem nam pia cura domat.

Ad Eumdem Maſum.

Audierat Samnis profugos remeare nefandos
Deletum patriam: palluit ille metu:
Tunc ego: ne timeas: Samnites dum regit, inquam,
Maſus: erit noſtra nullus in urbe malus.

PAU-

PAULI PANSÆ

ROMANI.

De Franciſci Marii Molſæ obitu.

ESſe Deos credam? credam pietate moveri
 Numina? credam igitur curam hominum eſſe Jovi?
Cur credam, ſi fata preces, juſtaſque querelas
 Deſpiciunt, ſacris & data tura focis?
Molſa tuus vates, Muſarum gloria, Phœbe,
 Occidit, ah pietas, ah pudor, ah facinus.
Dic ubi eras, cum tabificus conſumeret artus
 Morbus, & inficeret pectus & ora lues?
Numquid in Aonia ludebas valle, madentem
 Aut crinem aptabas dente Cytoriaco?
An lotus niveos humeros, & candida colla,
 Tangebas blandæ fila canora lyræ?
An feſſus nimio cantu per florea Tempe
 Captabas ſomnos ad leve murmur aquæ?
Scilicet innumeris donis ornabimus aras,
 Concidet & templis hoſtia ſacra tuis,
Ut tu ignavus, iners, nulla exorandus acerra,
 Vota leves jubeas irrita ferre notos?
I nunc & medicæ inventorem dicier artis
 Te jacta, & ſoli gramina nota tibi.
Tene putem ſtraviſſe manu Pythona ſuperbum,
 Æſculea unde virent Pythia ſacra coma?
Tene Jovi Phlegræ in pugna faviſſe, Deiſque,
 Narretur ſæclo fabula ficta rudi?

Ah pudeat geſtare arcum, imbelleſque ſagittas,
Pone arcum & pharetram, tela reconde tua:
Abde tuos vultus latebris, te claude barathro,
Laurea non victrix convenit ulla tibi.
Et vos ite procul, jam non moror, ite Camœnæ.
Quas, licet heu ſero, me coluiſſe piget.
Veſtrum erat exorare necem exorare ſororum
Jura trium, & multa flectere fata prece.
Roboris, heu, tantum mors, eſt tibi, tanta poteſtas!
Debuit hoc ſaltem non licuiſſe nefas.
Illi non elegi, poterant qui ſaxa movere,
Et ferri, & chalybis vincere duritiem,
Illi elegi, languens fudit quos funere in ipſo
Flexere? ô ventis durior & ſcopulis.
Heu res ancipites, heu vota incerta? quid eheu
Sperandum? heu fragilem vitam hominumque brevem!
Certatim huc omnes docti properate poëtæ.
Publicus oſtendat publica damna dolor,
Et taxo impliciti crines, algaque fluenti
Plangite funeſtis pectora veſtra modis.
Omnibus idem animus, color unus, vultus & unus,
Affectis qualis mœſtitia eſſe ſolet:
Fundite & Aſſyrios ſuccos date lilia paſſim,
Atque Arabum verno rore madeſcat humus,
Huc caltha, caſia, & thymbra plenos calathiſcos
Afferte, & capuli cingite fronde latus.
Solvite lugentes gelido ſolemnia buſto,
Cereus & longo luceat igne focus.
Spumantes Bacco pateras, & cymbia lactis
Vergite, & actæi mella liquata favi:
Ter luſtrate rogum, tumulum ter ſpargite lympha:
Dicite: ter Molſæ molliter oſſa cubent
Natus ubi eſt? duram ah ſortem! qui lumina patris
Comprimat, & largis fletibus ora riget.
Per Mutinæ plateas nunc forſitan ille vagatur,
Proque patris reditu victima multa cadit.
Uxor abeſt miſera, infelix, quæ iuſta parentes
Ingrata, & peragat funeris exequias:

Uxor abeſt miſeranda, licet nec fingere labris,
  Oſcula, nec fugientem excipere ore animam.
Hæc poſſet flammis ſeſe immiſcere mariti,
  Clarior Evadne, Dulichiaque nuru. (quis
Quod tibi obeſt facinus? quodnam ſcelus obfuit? aut
  Error te damnat? quæ tibi culpa nocet?
Ecquid Latonam, veluti Sipyleia mater
  Læſiſti, an lucos templaque ſancta Deûm?
Quænam hæc invidia eſt, aut quod fatum obſtitit, ut tu
  Ultima non poſſis dicere verba viro?
Poſtquam igitur conjux fidiſſima adeſſe favillis
  Non valet, & Pario ponere verba cado;
Uxoris tu dia vices Victoria ſume,
  Aonides crebrò quàm decimam eſſe putant.
Nec dedigneris Romano ſanguine creta,
  Illuſtri quamvis ſtemmate fulta nites.
Claude oculos, miſce violas, contexe amarantos,
  Frigentique genæ laurea ſerta para.
Purpureas albis mixtim compone corollas,
  Certent Pæſtanis cana liguſtra roſis.
Præcipuè decus Italidum Gonzagia proles
  Julia, quæ viduum caſta cubile colit,
Quæ forma, & virtute omnes Heroïdas anteît,
  Phoſphoros exoriens cetera ut aſtra premit,
Defleat, atque indos mittat lugubris odores,
  Et myrrham, & nardum, Coryciumque crocum.
Convenit officium tibi Julia, convenit iſtud,
  Infelix nec habet quod notet invidia.
Namque tuam divam effigiem, quam vellet Apelles
  Pinxiſſe, & Zeuxis, Parrhaſiique manus,
Atque animi dotes divino carmine vates
  Extulit, ut ſtupeat ſedula poſteritas.
Lugeat humenti Nympha & Tiberina receſſu,
  Quæ meruit rauco ſæpius ore cani:
Unguibus & laniata genas, laniata capillos,
  Pectora percutiat candidiora nive:
Acclivis feretro incumbat, complexaque cippum
  Hæreat, avelli unde gemens nequeat.

Con-

Concita dein qualis Thyas per roſida prata
  Clamet, hinc colles, hinc nemora alta petat.
Clamet, Io, mi Molſa jaces: cur Atropos auſa es
  Pendula adhuc tereti rumpere penſa colo?
Lugeat hunc ſpatioſus ager, ſaltuſque relicti,
  Compitaque, & valles, ruſque; & ovile fleat.
Ingeminet queſtus, repetant ſuſpiria Nymphæ,
  Et luctu, & lacrimis perſonet omne ſolum,
Margine in herboſo reſponſent flumina Molſam,
  Amiſſum Molſam fonte queratur olor.
Extinctum referant Molſam reſonantia ſaxa,
  Molſam iterent montes, Molſam iterent ſilüæ.
Cærulus ereptum Nereus gemat, Amphitrite
  Augeat Halcyonum, quâ patet unda, ſonos.
Paſtores quò ſe referent, quo armenta, gregeſve?
  Ad mulctram quis aget nocte dieque pecus?
Squalebunt poſthac ſitienti in palmite gemmæ,
  Et tenerum in culmis perdet ariſta ſatum.
Arebunt per prata herbæ, dare poma negabit
  Hortulus, irriguæ deficient & aquæ.
Palladias æſtus baccas vel frigus aduret,
  Arboribus cunctis excutietur honos.
Non fœtus dabit armentum, nec vellera, nec lac,
  Nec fluet Hyblæus, Cecropiuſque latex.
Quis poſthac juvenum teneros cantabit amores?
  Quis Veneris poſthac dulcia furta canet?
Quis Romam & Romæ claros deſcribet honores?
  Quiſve Sophocleo bella ſonanda pede?
Jacturæ heu quantum fecit liquidiſſimus Arnus,
  Seu numeros, ſeu tu verba ſoluta velis.
Sed jam longa venit feralis pompa ſepulchri,
  Occupat en omnes ſexus uterque vias:
Conde, pater Tiberine, caput, cava ſtagna ſubito,
  Ne videas flammis ora verenda capi.
Heu fugite, heu properate citæ, petite antra frequentes
  Najades, & querula voce replete lacus.
Siccine Dii voluere, aut ſunt hæc præmia laudi?
  Hocne meret probitas, hocne meret pietas?

Nun-

Numquid cæde nocens fœdavit ſanguine dextram?
  Miſcuit an puro toxica dira mero?
Ecquid eum Antiphaten Læſtrygona credidit eſſe
  Juppiter, an Tityon, centimanumque Gygen?
Quid prodeſt vixiſſe pium, aut odiſſe profanum
  Vulgus, & a ſævis abſtinuiſſe malis?
Huc adſis Cytherea, tuum venerare poëtam,
  Te videat flentem femina virque palam:
Ne myrto redimita caput, ſed cincta cupreſſo,
  Accende in pullo funere pulla faces.
Frangat Amor pharetram, rumpat ſua tela Cupido,
  Polluat immundo pulvere & ora Jocus.
Interſit flammæ lacrimans Elegeja rogali,
  Et tanto incedat funere rauca Chelys.
Et teſtæ affigat titulos: Hic Molſa quieſcit,
  Quo moriente necem numina & ipſa timent.
Portitor excipiat cymba ducatque per alveum,
  Leniter alludat Styxque ſecunda rati,
Eumenides procul, atque Erebi procul omnia monſtra,
  Nec Phlegetonteæ flamma minetur aquæ.
Non rota, non ſaxum, non vultur terreat: abſint
  Belides infames, Tantaleuſque labor.
Aſt vos illuſtres animæ, Heroëſque beati
  Qui colitis campos, Elyſiaſque domos.
Ite catervatim, venienti occurrite vati,
  Aſſonet Orpheo pectine pulſa chelys.
Tu tamen ante alios multum lætare Petrarcha,
  Et qui Certaldi tollis ad aſtra lares.
Callimachus circumſtabit, Couſque Philetas,
  Et Sulmonenſis gloria prima chori.
Curret in amplexus Sappho, cultuſque Tibullus
  Gaudebit fronti comp ſuiſſe roſam:
Cynthia quem ſequitur formoſa, Propertius ultrò
  Aſſurgens ederæ, tempora fronde teget.
Excipient hilari vultu, & plaudentibus ulnis,
  Andinuſque pater, Mæoniuſque ſenex.
Felix ſorte tua vives poſt funera Molſa,
  Trans Iſtrum, & Gangem carmine notus eris.

Te flent Auſonii populi, te Bætis, & Indus,
  Te Getulæ urbes, te Daca, teque Getæ.
Albula præſertim tumidis immurmurat undis,
  Et queritur ſeptem Martia Roma jugis.
Nos etiam ex animo flemus, nos reſpice flentes,
  Sume tibi has lacrimas, ſume tibi hos gemitus,
Hos luctus, quando nequeo tibi ponere metas,
  Pyramidas, ſtatuas, ſigna & ahena dare.
Hos queſtus cape, & hæc ſuſpiria, qualia mater
  Primævi nati mittit in inferias:
Cultoriſque tui vocem cognoſce ſupremam,
  Sic o ſit cineri luxque quieſque tuo.
Ter ſalve, o longumque vale cariſſime Molſa,
  O Salve æternum, Molſa, diuque vale.
Annua paſtores ſolvant tibi ſacra quotannis,
  Et pingui ſpargant muta ſepulchra ſero.
Ante tuos veniant manes, agitentque choreas
  Et Fauni & Satyri, Panque & Hamadryades.
Purpureum tibi ver afflet levis aura Favoni.
  Te foveat tepido Chloris amica ſinu.
Populus, & platanus, lauruſque acceptior omni
  Arbore, te circumfundat opaca comas.
Frondeſcatqne thymum, naſcatur amaracus urna,
  Somnifero & juxta perſtrepat amne liquor.
Stillet Acidalios flores tibi Dædala tellus,
  Continuò divûm ſpiret & Ambroſiam.

PAR.

PARTHENII PARAVICINII

NOVOCOMENSIS.

In Caroli Magni effigiem.

HÆc verò longe ante alias quæ fulget imago,
Quam circum denſa mediam cinxere corona
Egregii bello reges, tibi maxime regum
Sacratur, priſcum reparas qui Martis honorem.
Nam vix Pipini imperio, ſceptriſque potitus
Francorum juſta arma moves, atque hoſte ſubacto
Ducis Aquitana celebrem de gente triumphum.
Nec mora quamquam ingens immani à Saxone bellum
Ingrueret, patrios fines tranſgreſſus, & Alpes
Vixdum victrices aquilas, auguſtaque ſigna
Expandis, cecidere hoſtes, rex captus, ab illo
Italia amiſſos primum ſperavit honores,
Et caput erexere arces, colleſque Latini,
Relligio, Petrique ratis jam feſſa procellis
Per te exoptatos ſubiit tutiſſima portus,
Tene adeo Auſoniæ pietas, laudumque cupido
In lituos, aræ, Romanaque ſacra, trahebant;
Qui Longobardum ſtrages, & Bætica dicam
Agmina? perfractos Mavortia pectora Iberos,
Et totum auſpiciis domitum felicibus orbem,
Poſt obitos quem tot exantlatoſque labores
Juppiter emeritum cœli ſuper arce locavit
Heroës inter claros, ſanctumque ſenatum.
Auſonia infelix, ecquem nunc æmula virtus
Excierit, quis jam pro relligione tuenda

Sol-

Sollicitus, ſacriſque Deum pia ceperit arma?
Vos ô qui ſocias odiis civilibus urbes
Vertitis, infandiſque decus ſperatis ab auſis,
Si famæ vos tangit amor, laudumque cupido,
Hoc agite, hinc juſtis quærenda eſt gloria bellis.

Sarræ Columnæ.

Hoſne animos pulſi Reges ſævæque ſecutis
Gloria, & imbuti natorum ſanguine faſces,
Æternumque decus Brutique ultoris honores
Hunc acuere tuo tam cæcum in corde furorem?
Ut dirum uſque adeo in facinus, crudeliaque orſa
Irrueres præceps? proh te non perculit horror
Attonitum? non majeſtas veneranda vel ipſis
Cœlicolis, illa & triplici redimita corona
Infula, tam fœdis tremefactum abſterruit auſis?
Si qua è tam ſcelere immani, atque è crimine tanto
Surgere fama poteſt, illud te forte levabit
Invidia, quod non Regni veſana cupido,
Sed patriæ pietas, ad factum hoc impulit atrox,
Pro re Romana, pro libertate tuorum.

In Jacobum Trivultium.

Non violam, aut Paphium florem, mollemve Hyacinthũ
Spargite, non magni poſcunt hæc munera manes,
Sed galeas, clypeoſque, enſeſque, & Martia dona
Ferte, & honorata feretrum præcingite lauro,
Hoc ducis egregii funus, ſacræque Trivulti
Inferiæ, quo fama Italum, Mavorſque Latinus
Extulerat caput, & priſcum affectabat honorem.
Armorum proceres celebrem longo ordine pompam
Ducant, & tanto perſolvant juſta ſepulchro
Concuſſiſque frequens exercitus aſſonet armis.
Tum vos Scipiadæ manes, umbræque Camilli,
Vos Decii, Fabiique duces, & clara Quirini
Progenies, ubi nox furvas extenderit alas

Fer-

Ferte pedem, & cineres venerati, & nobile buſtum
Magnanimi excipite Herois, fauſtoque ſequentes
Agmine, ad Elyſios umbram deducite campos,
Hos Mavors illi, Pallaſque indicit honores.

Hiſmaëli Sopho.

Hanc tibi Apelleâ referentem ex arte colores
Effigiem, famæ, laudumque appendimus ergo
Perſarum decus, ô Heros, quem Gangis ab oris
Extremoque oriente, ingenti gloria plauſu
Littus ad Heſperium, Soliſque cubilia vexit,
Clarum opibus, facie inſignem, & præſtantibus auſis
Egregium, dum pro ſacris cultuque Deorum
Pollutaque tui pro relligione Tonantis
Inſurgis, piaque arma moves, totque oppida victor
Tot populos & Regna tuis tot finibus addis,
Atque Aſiæ magno fundis certamine Regem.
Quin etiam (rarum Ducibus) ſtudiumque Minervæ
Excolis, Aonidumque artes; nil denique inauſum,
Nil intentatum, ingeniove manuve relinquis,
Macte ô juſtitiâ Princeps, & pacis honore,
Præclare & bello, Ducibuſque æquande Latinis,
Te curvo in Lari fulgentia littore tecta
Pieridum, ſacræque domus quibus altus Apollo
Præſidet, & ſpretis Cyrrhæ nunc incolit antris,
Accipient; ubi conſpicuum in primiſque micantem
Magnanimos inter Reges, Martiſque coronam
Suſpicient Populi, nec avari temporis ultra
Debentem invidiæ quicquam mirabitur omnis
Poſteritas, Joviuſque tuos celebrabit honores
Qui nunc æternis mandat tua nomina faſtis.

Antonius Leva.

Aſtus Hannibalis, moræ ſagacis
Maturæ Fabii, impigrumque & acre

Mar-

Marcelli ingenium, celerque curſus,
Et velox via Claudii Neronis
Hæc ſi ſingula ſingulis pararunt
Æternum decus, & perenne nomen;
Quanto in me omnia quum ſimul Gradivus
Unum contulerit, mage ipſe Lethes
Undas deſpiciam, minaſque Fati?
Quid quod mi attulit, & novos honores
Ac vivam effigiem, meoſque vultus
Muſæa Jovius domo dicavit?
Nec non & titulis referta noſtris
Conſcripſit monumenta docta, & omni
Ære & marmoribus perenniora.
Felicem effigiem, o meos triumphos
Hoc præcone ter ampliuſque claros.
Ecquem jam mihi conferat vetuſtas?

Alfonſo Davalo Vaſtio.

Siſte gradum, ſacrique hoſpes decora alta ſepulchri,
Et molem ingentem, ſpoliiſque inſigne trophæum
Haud mortale opus, & manes venerare beatos.
Ipſe olim celebres Vaſti dum ſolveret umbris
Inferias, meritoque Ducem decoraret honore
Armipotens, Lybico, Galloque ex hoſte recepta
Hæc ſpolia, hanc magnis ſacravit manibus aram.
Tunc etiam perculſa gravi Bellona dolore
Turbataſque effuſa comas Tritonia virgo
Funebrem ad pompam, exequiaſque ingentis alumni
Conveniunt, & Martis opus, dignumque laborem
Concelebrant, luſtrantque rogum, doniſque parentant.
Tum lectos urna cineres jam rite peractis
Exequiis, pariter ſuprema voce ſalutant.
Invicti ô cineres, queis hactenus inclita virtus
Auſoniæ enituit, longe victura ſuperbas
Pyramidas fama, hæc vobis monumenta dicamus;
Æternamque aram, vobis decora omnia belli

Ce-

Cedimus, & noſtros jam nunc largimur honores.
Hinc igitur cæco bellorum urgente tumultu
Duſtores reſpenſa petant, huc hoſte fugato
Sacra ferant, prædas, atque arma hoſtilia figant,
Veſtraque votivis placent ſibi numina donis.
Hic pulchræ virtutis honos, hæc præmia ſunto.
Hæc Mavors, comiteſque duæ, pullatus Apollo
Excipit, & mœſta Aonidum cingente corona
Flebilibus repetit numeris: mox numine dextro
Ferrea concordes volverunt ſtamina Parcæ.

JOANNIS PARDI.

Ad Jovianum Pontanum.

POntane optime, ſemper haud vocati
Cui Dî comiter adſident, Deæque,
Cui ſales nitidi facetiæque
Semper dulcibus inſideut labellis;
Cui perlucida multiplexque vena
Aut junctæ pede vocis, aut ſolutæ:
Dî magni, lepide ut fluit decenter!
Sic ſentis male de tuo ſodali?
Sic durum potes, ac putare ineptum;
Ut me ad balneolas tuas vocare
Te ſit ſuppuditum? invenuſte, inepte,
Hac in re modo; non venuſte inepte
Hac in re male, falſe viſe ubique,
Cùm ſis ſalſior Atticis ſalinis.
Mene non decet his locis ineſſe,
Ubi tu pater es ſeveritatis,
Ubi tu Cato ſæculi ipſe noſtri?

JOSEPHI PARLISTANEI.

De adventu ſenectutis.

JAm nec dulce mihi Venus
  Arridet gemini blanda Cupidinis
Mater, nec tepidi leves
  Adſpirant animæ dulcè Favonii.
Nec vernos aperit ſinus
  D.picta omnigenis terra coloribus.
Venas, viſcera, ſanguinem,
  Et rugis faciem contrahit aſpera
Ætas, nigraque tempora
  Spargit Threicia triſtis hiems nive.
Ac vis ignea languido
  Paulatim fugiens corpore deficit,
Ut flos aridus; unica
  Quod ſi tergemini gratia numinis
Præſens adſit, & ætheris
  Quod ſi præniteat lux mihi candida,
Flatus non ego Thracios,
  Nec triſtem metuam nubibus Africum.
Nec me dura neceſſitas
  Quicquam diminuet rebus in aſperis.
Inter mille pericula:
  Sed vivam Arſacida principe firmior;
Et cùm fila legent mihi
  Parcæ, quæ nequeunt parcere, nexibus
Hujus corporis exiens
  Vivam tunc hominum ſorte beatior.

Adhuc

Adhuc ejusdem argumenti.

Ruga jam vultus arat, & ſeveram
Contrahit frontem: capitiſque nigri
Albicant crines: tremulo & recedit
Corpore virtus.
Nec tamen cordi inſita vis malorum
Ponderi cedit: neque turbulentis
Fluctuat rebus, neque mens ſecundis
Æſtuat undis.
Namque ſeu dulci recreat ſopore
Atra nox terras, oriens Olympum
Sive ſol clauſum reſerat fugatis
Orbe tenebris.
Me fovet dextra Deus, occupatos
Et mihi nervos, mihi membra, & omnes
Corporis ſenſus glacie reſolvit
Nocte, dieque.
Alme ſol ergo, nova lux, & ingens
Flamma concordi comitata amore,
Perge languentes placido medullas
Igne fovere.
Perge, ne magnum tui amoris æſtum
Ulla vis umquam minuat, ſed uſque
Creſcat, & nervos graciles & oſſa
Torreat uſque.
Ultima ut vitæ fugientis hora
Ocyor denſis mea mens ſoluta
Corporis vinclis geminas ad aſtra
Explicet alas.

BERNARDINI PARTHENII

SPILENBERGENSIS.

Ad Pium V. Pont. Max.

QUalis rigenti cùm Boreas plaga
Lapſus ſonanti flamine trux gemit,
Silvæ comantes cùm laborant,
Et volitant ſegetes revulſæ;
Terramque inertem, atque alta Ceraunia
Dextrâ rubenti è nube Dieſpiter,
Molemque Olympi corruentis,
Et rigidam Rhodopen fatigat:
Sternuntur altis ſedibus oppida,
Turreſque pronæ, mœniaque ardua,
Urbes ſuperbæ procidentes
Terrificis recubant ruinis:
Inſurgit imo è gurgite, & igneis
Infertur aſtris indomitum mare,
Fervens procellis; hinc dehiſcens
Terra labat, trepidantque manes:
Sic tale, terras ah miſeras, parat
Efflans venenum vipereum, truces
Denteſque obarmans è latebris
Threiciis furiale monſtrum.
Attollit iras, ob Meliten fremens
Cruore ſiccis faucibus; incubat
Germaniæ amens, & patenti
Diluviem meditatur orbi.

Audi-

Auditis auras horriſonas, cavas
Valleſque equorum dira frementium
Hinnitibus terreri acutis,
Sub pedibus reboante terrâ?
Portenta fœda hæc, barbaraque agmina,
Molem hanc nefandam Cæſaris in ſacrum,
Labi feremus proruentem
Cum ſonitu, caput immerentis?
Vos, queis ſecundo numine rex poli
Frenare bellacem Italiæ dedit
Gentem, nec unquam ſævientis
Turbinis imminuit procella;
Quid tot, quid atro ſcabra latent ſitu
Arma? indecori quid malè conditi
Enſes? quid haſtæ, quid minaces
Vulnificæque jacent ſecures?
Deſes juventus indocilis jugo
Ceſſas? aviti nominis immemor
Hortum, juventus, Occidentemque
Heſperiis opibus ſubactum?
Iram cruenta progenitam Styge,
Cognataque arma, & ſanguine civico
Enſes madentes irruentem
Vertite funereum in tyrannum.
Ductore rerum ac præſide Cæſare
Armate dextras, dum licet: ignium
Regnis ſuperbis imminentum haud
Degeneres prohibete flammam.
Quis vel furentem Centimanum horreat,
Lernæve monſtrum, principe Cæſare
Ducente fulgentes cohortes
Auſpiciis Superûm ſecundis:
Vultum aut ſupremi non timidus patris,
Vultum tremendum ferre quis audeat?
Quem Styx, & ultricum profana
Eumenidum ſtupuere corda?
Cùm regna Ditis, cumque adamantina
Perrupit atri limina Tartari,

Scyllaſque terrens, Gorgonaſque, &
Fœda modis ſimulacra miris.
Eludet auſum is, ceu ſtipulam levem,
Injurioſi quam per inania
Jactant fatigantes, ſibique
Ludibrium poſuere Cauri.
At te, coronâ cui triplici caput
Latè refulget, quem Superi novum
Ut ſidus afflicto & labanti
Præſidium poſuere ſæclo,
Te juſta in hoſtes ira ferat truces;
Quando ad Deorum hos Ambroſiam vocas,
Hos condis Orco, exæſtuans quâ
Saxa ciet Phlegethon ſonorus.
Exſurge, dextram tolle tuam Pie;
Reges ſequentur nûmen, ut efferum
Monſtrum reformidet, ruantque
Præcipites Babylonis arces.
Nomen tyrannus tollere ferreus
Chriſti laborat, ſacra recondita
Delere patrum, atque acta avorum
Perpetuis abolere faſtis.
Invicte Cæſar, ſemideûm genus.
Spes orbis, unum quem dominum fremunt
Gentes, & Europæ ſolutis
Crinibus illacrimans repoſcit:
Aude tumentes auſpicibus minas
Arcere Divis, máxime gentium
Cuſtos; trabales & catenas
Excute terrificum minantis.
Votiva ſanctus en ſocialia
Ad templa Divûm ſacra facit pater,
Reſtinguat ut virus nefandi
Mortiferum penitus colubri.
Paſſim canentes virginei chori
Laudem Tonantis, dum omnia odoribus
Halant Sabæis, Regem Olympi
Sollicitis precibus fatigant.

Au-

Auctore tandem hoc conſilio & pari
Juncto, timendum? dum excubias agit
Paſtor, laborantique ovili
Conciliat ſuperum parentem?
Vindex venenis ſpicula Colchicis
Armata franges, ſcutaque ahenæ
Arcuſque aduncos; diſſipabis
Victor Amazonias pharetras:
Ea mox opimis te ſpoliis ferox
Votis ſolutis flos Alemaniæ,
Victrixque onuſtum te Vienna
Accipiet reducem triumphans.

Ad Maximilianum Cæſarem. De victoria adverſus Turcas parta.

Non fronde Phœbi, aut verſicoloribus
Spectanda pennis; palmâ at Olympicâ
Inſignis, auro, lucidiſque
Calliope radiata gemmis,
Heroas inter ſemideos, nigras
Oblita ſilvas Phocidis, & leves
Pindi ſuſurros, ſueſce Regum
Sedula liminibus potentum.
Tu vellis altis montibus erutas
Quercus canendo, tu rapidos lyrâ
Ventos, & abruptas procellas,
Præcipites remoraris amnes.
Te horrent loquaces Pierides, novas
Plumas amictæ, teque Acheloidum
Proles reformidat volucrum,
Puniceo ſpoliata dorſo.
Quod longè Iberus, quod Tiberis patet,
Atque alta lato cincta mari urbium
Regina miretur triumphans,
Perpetuum meditare carmen.
Montes niveſque tranſvolet, & ſacra
Vox ad profundum Danubium omnibus

Centum ſonantem, divitemque
Barbaricis properet triumphis.
Gratare Regi Cœlitum, & aureis
Incende templis pinguia munera.
Thuriſque Oronteoſque odores,
Divitiaſque Arabum beatas.
Admovit aurem rebus in aſperis
Votis, nitenti ac lumine conditor
Cœli refulſit, protinuſque
Exoriens pepulit tenebras:
Delevit ultor vindice dexterâ
Claſſem Tyranni funditus, & rates
Male ominatas belluoſo
Subruit Jonii profundo.
Monſtri furorem luſit, & impias
Portare ventos ſpes jubet irritas,
Tetro irruentis mox cruore
Cæruleas tepefecit undas.
Qualis leæna Marmarico è ſpecu
Obſcœna cædis quam ſtipulat fames,
In nos ferebatur tremendo
Dente fremens periturus hoſtis;
Stridens Libyſſam, hunc,ſed veluti Notus
Difflans arenam, aut Africus impotens
Frondes caducas, laborantem
Turbine diripuit tonanti.
Ergo ſonoris omnia plauſibus,
Et læto eburnæ carmine tibiæ,
Colleſque, pulſatæque valles
Laudibus aëriæ reſultent,
Lux è tenebris fulſit amabilis:
Soluta vinclis crura tenacibus:
Natis parentes, rurſus ægro
Pignora reſtituis parenti.
Terræ, polique ac rerum opifex, ſator
Divûm. procellis cui Boreas furens,
Nubeſque parent, fulminantem
Quem Stygiæ trepidant ſorores,
Aver-

Avertis altis culminibus faces,
Bombos ahenos turribus arduis;
Raptus nefandos, ac profanis
Relliquias manibus Deorum.
Totum hoc ſupremi muneris eſt tui:
Tu nos benigno numine protegis;
Tu perdis hoſtes, obrutoſque
Tartareis cohibes catenis.
Lætatur æther; terra parens novis
Paſſim renidet picta coloribus;
Nectunt odoratas Napeæ
Frigoribus mediis corollas.
Mutatur ætas: ver hiemi vicem
Cedit: tepentis rura Favonii
Fœcunda pubenti roſarum
Prole levi recreantur aurâ,
Frondoſa tutæ per juga deviæ
Errant capellæ; per freta navitæ
Pacata; tutæ per tumultus
Carpathios volitant carinæ.
At vos; quibus jam vel tripodes ſacri,
Lauruſque victrix, palmaque nobilis
Debentur Heroës, coronæ ac
Gemmiferæ radiantis auri,
Poſcente tanto cardine, pergite;
Præſens ſecundis rite laboribus
Dextra rubenti Cœlitum Rex
Dux aderit, animoſus auſpex.
Dirum patenti jam Antiphaten mari
Pulſum, cruento ac milite territas
Replere terras comminantem
Fertilibus prohibere campis.
At tu, tot urbes, regnaque ditia,
Romana quem res poſtulat, annue;
Succurre ſæclo fluctuanti,
Ambigui reparator ævi;
Invicte Cæſar, maxime Principum,
Cuï rerum habenas, atque adamantinis

Fix-

Firmata clavis promerenti
Sceptra boni ſtatuere Divi.
Ductore quis te, vel profugum Scythen,
Medumque, Dacumque, ac Macedûm agmina,
Qui vel Typhæos jam, vel hirtos
Eumenidum metuat colubros?
Reges ſequentur. Te Solyme, ac ſacrum
Chriſti Sepulchrum flagitat; hinc diu
Te Memphis, Euphrateſque, lateque
Irrigui tremit unda Nili,
Nunc famam Olympo, ac ſideribus licet
Proferre, terris Imperium ultimis,
Quacumque fluctu inhoſpitalis
Murmurat Oceanus frementi.
Exurge Cæſar, ſolicitis vigil
Curis: ſecundis vela tuis ſonent
Inflata ventis diſſecantis
Navifragum pelagus phaſeli,
Votis paventis excubitor gregis
Accurret ultro ſupplicibus Pius:
Is te triumphali, novaque
Accipiet reducem coronâ.
Nos dehinc ſuperbis molibus arduos
Tollemus arcus, ſideribus pares,
Stabuntque inauratæ ſub axem
Purpureis maculis columnæ.
Hic geſta terra, atque undiſono mari,
Cælata quondam fortia lubricè
Labente ſæculo obſtupentes
Magnaminimi relegent nepotes.
Suſpenſus alto e fornice acinacis
Et tela ferro fulta Cydonio,
Arcuſque pendebunt ſonantes
Exuviæque Oriente raptæ.
Hinc roſtro adunco atque unguibus aureis
Ales tonantis, fulmineo hinc Leo
Et dente frendens, & minaci
Ungue ferox, meditante pugnam;

Ad-

Adſtabit, ærisque increpitans ſonum
Bellona rauci impellet, & horrida
Vultu timendo perſonabit
Sanguineo minitans flagello.
Tonabit æther plauſibus. At miſer
Selimus atro pulvere ſordidus,
Ad Bactra mœrens, Caſpioſque
Vipereo fremet ore demens.

Ad Maximilianum Cæſarem.

Ingenti quamvis Regnorum mole labores,
Et premat Europæ ditis, & Orbis amor;
Exundanſque fremat circum Germania, Rhenus
Qua geminis findit cornibus arva minax;
Viſtula quaque alto ſe tollit flumine, quaque
Extremis Aquilo fertur Hyperboreis:
Cùm modo te auratis ſpectandum fortiter armis
Miratur belli Martia turba Deum;
Seu ducas aciem, & fortes in bella cohortes,
Cum trepidant gelido pectora pulſa metu;
Seu quatias validas tormento, ac viribus urbes,
Omnia cum terrâ ſubſiliente tremunt:
Et modo circumſtent populi, tibi publica vota
Dum ſolvunt urbes, & pia ſacra canunt;
Ne tibi longinquis veniunt quæ carmina terris
Garrulave imbellis deſpice fila lyræ:
Seu pacem mitis colis, & tibi tradita Jani
Æterna claudis limina ahena ſerâ;
Sive juvat ſacra redimitum tempora lauro
Muſarum in dulci te requieſſe ſinu.
Nam te quis poſitis armis & Gorgone, neſcit
Fortia Pieriis corda levare modis?
Et gelidis gaudere umbris Heliconis amœni,
Et canere ad ſacræ grandia murmura aquæ?
Felix, cui Mavors gentes frenare ſuperbas,
Spernere & obſtantum tela cruenta Ducum,

Cui-

Cuique dedit citharâ aurata formoſus Apollo
  Pieridum in dulci perſonuiſſe choro.
Infelix at, qui Muſarum & Apollinis artes
  Oderit; inviſum hic ſe ſciat eſſe Jovi.
Trinacriæ idcirco urgetur ſub mole Typhoeus,
  Dum gravis horrificis æſtuat Ætna modis.
Gaudentem at blandâ citharâ, fidibuſque canoris,
  Elyſiæ mulcent arva beata plagæ
Muſæum, mediâ in turbâ dum pectine eburno
  Suſpenſa ex altâ lumina turre canit,
Et medias puerum properantem currere in undas,
  Helleſpontiacis qua mare fertur aquis:
Proſpiciens virgo ſpeculâ ut ſuſpiret ab altâ,
  Dum vigilans niveo pollice verſat opus.
Immitis Borea, raptæ immemor Orythyiæ,
  Dum properat, ſaltem parce puella rogat.
Vana petit; ſurdis reſonant vada ſalſa procellis,
  Palleat ut celſo Parrhaſis urſa polo.
Ille canit, pulſæ lætantur carmine valles,
  Siſtitur Elyſium quæ colit aura nemus.
Dulcia ter ſalvete ſacrorum carmina vatum,
  Et mihi culta diu numina Pegaſides,
Lenta ſoporifero neſcit vos flumine Lethe;
  Vos Divûm cælique aurea templa juvant.
Vos ſuperos canitis: Stygias vos carmine numquam
  Ulla exoratas frangitis arte fores.
Tergimini Odryſio canis ora inhiantia vati
  Clauditis, Iſmariam dum ferit arte lyram.
Tartareæ ſtupuere domus, rota conſtitit, anguium
  Illigat Eumenidum ſquamea membra ſopor.
Siſtere Muſa poteſt ventos, dextraque potenti
  Excutere irato tela triſulca Jovi.
Cecropio reges exornat Muſa cothurno,
  Et tollit grandi fortia facta pede,
Auſtriadum illa canit æterna in ſæcula gentem,
  Heroas veteres, ſemideûmque genus:
Bellaque tot Divum auſpiciis confecta ſecundis,
  Claraque tot forti parta trophæa manu.

Illa canit victaſque urbes, populoſque ſuperbos,
Regnaque in ignotis ſubdita littoribus.
Illa canit fulvo inſignem diademate frontem,
Plaudit ut Auguſto maxima Roma ſuo.
Pergite Pierides, nova carmina dicite Regi,
Victriceſque novâ cingite fronde comas.
Ille decus ſervat veſtrum, profugaſque potentum
Liminibus largo vos fovet ille ſinu.
Ille dabit citharam collo ſuſpendere eburnam,
Et canere Æoliis orgia veſtra modis.
Utque unus victor ſpolia illa Feretria tentet
Ad Capitolini tollere templa Jovis:
Atque hoſtem Europa arcere, exuviaſque cruentas,
Raptaque de victo terga Dracone paret
Diripere, alipotens aderit Jovis armiger uncis
Unguibus, & Zephyris diſſoluiſſe dabit;
Cum late Euphrates demiſſis cornibus ibit.
Et fremet iratis turbidus Indus aquis.
Auroræ illi cum Reges fulgentia cedent
Armaque cum gemmiſque aurea ſceptra ſuis.
Præterea late devictis undique terris,
Serviet ut regi Tethyos unda ſuo:
Nilum ultra Gangemque Hypaſinque & littora rubra,
Quaque jugo taurus Caſpia regna premit.
Centum aras, centum fulgentes ære columnas
Conſtituet patriis grandia dona Deis.
Auſpice te, memoranda canam: tu maxime Cæſar,
Aurea ne ſpernas munera Pieridum.
Illa tibi ſine fine parant producere vitam
Sedula, & æternas vincere Olympiadas.
Illa tuam properant ſtellis inferre coronam,
Cui nitido invideat pulchra Ariadna polo.
Roma potens, magno jam nunc gratare nepoti,
Aurea qui pulſo ſæcla adamante refert.
Exoptata redit libertas: omnia paſſim
Pax habet, & concors gratia, Amorque viget.
Læta Ceres flavis inſignis tempora ariſtis,
Effundit pleno dona beata ſinu.

Id-

Idcirco in teneris herbis operata juventus,
Cantat ad agreſtes, ruſtica turba, Deos:
Teque vocat, menſiſque adhibet te in vota ſecundis;
Inceditque tuis thurea dona focis.
Tuque parens Regum, populiſque, opibuſque ſuperbus,
Pacis amans, eadem Marte Vienna ferox,
Æternum ſalve, imperii Regina potentis,
Quam Scytha, quam dominam Bactria regna tremunt:
Quam tot commendant tituli, tot fortia facta,
Et decorant veterum tot monumenta Ducum.
Pax te alma, & populi foveat concordia: vobis
Devolvat rutilas aureus Iſter aquas.
At tu, quem volitans tollit fulgentibus alis,
Ignotos ultra fama Boryſtenidas.
Qui te Diis miſces paullatim, atque inſeris aſtris:
Pacis honos, duræ gloria militiæ,
Macte animo & virtute, diu Rex Maxime vive,
Principe quo mundus ſoſpite ſoſpes erit.

Ad Franc. Melchiorium, de fonte Gualdio.

Hortule, Najadum ſedes pulcherrima, cui jam
Heſperides, & cui ceſſerit Alcinous:
(His licet inſomnes narrent vigilaſſe dracones,
Moviſſe atque ipſos aurea mala Deos)
Digne jocis, feſtiſque epulis, per gramina cujus
Virgineos agitet læta juventa thoros.
Is mihi contingat: ſtructos contentus acervos,
Et pellucidulos deſpiciam lapides.
Sim dives, ſi iſtis tecum recubare ſub umbris,
Aut pictis liceat ponere membra thoris.
Quid mi aliud Franciſce velim, formoſus Apollo
Cui carmen dulci cum cithara ipſe dedit.
Quod ſi adſtans veteres Nemenſis ſuccenderit ignes,
Ah valeant rubri quæ vehit unda maris.
Huc ades, argutæ exercent dum rure cicadæ,
Et canis arentes findit hiulcus agros.

Car-

Carmine fallamus properantis jura ſenectæ,
  Furtivo obrepit clam fugitiva pede.
Arripe mortalis vitæ fugientia dona,
  Arripe, & in dulci gaudia conde ſinu.
Grandia ſublimi depone è pectore mentis
  Conſilia: haud pudeat deſipuiſſe loco.
Pampineis liceat umbris ſuccedere, lympha
  Qua cadit exeſis Gualdia pumicibus.
Non mihi tam Eurotæ libeat requieſcere ripis,
  Nec tantum Elyſiæ mulceat aura plagæ.
Adſpice, ut immineat tophis pendentibus antrum,
  Saxeaque è ſacro procubet umbra loco.
Naturam dicas arti ſuccumbere, Gualdus
  Ex quo tam bellas currere juſſit aquas.
Cryſtallo inſignes ſervant ſua numina ſedes,
  Succincta & tenui candida veſte Nape.
Nuſquam tam dulces ſomni, dum murmure leni
  Proſilit irriguo fons ſacer è lapide.
Nulla vel ingentem defeſſi corporis æſtum,
  Gratior arentem nec levat unda ſitim.
O mihi frigidulæ, & dulces ante omnia lymphæ,
  Det vobis utinam ſors mihi ſæpe frui.
Huc Franciſce veni, tibi dum felicia rident
  Sæcula, carminibus ſæcla beata tuis.
Hic veteres Divum recoles ſecurus amores,
  Aptans argutæ carmina docta lyræ:
Ut puer extiterit teneri ante exordia mundi,
  Omniaque inter ſe conciliarit Amor.
Ille Deos princeps ſtellanti immittit Olympo,
  Altaque cœleſtes ſidera habere jubet.
Nulla ante umbroſæ norant animalia ſilvæ,
  Denſaque nec pictas noverat arbor aves.
In numerum nondum curvi delphines in undis,
  Luſerat aut vaſto cætera turba mari.
Nondum purpureis veſtita coloribus arva,
  Cum primum agreſti eſt falce dolata Pales.
Præbuerant rutilos in ſerta nitentia flores,
  Ornaratque rudes nulla corona Deos.

Idem

Idem hominum genus educit de montibus altis,
Et ſocias monſtrat primum habitare domos.
Tum primum, celſis cinguntur mœnibus urbes,
Cognitaque extremis marmora cæſa jugis.
Ille dedit primus tædas præferre jugales,
Et teneros juveni diſſoluiſſe ſinus.
Dulcia tum primum ſuxerunt ubera nati;
Balbaque tum cœpit fundere verba puer.
Ille chaos format, rerumque elementa coërcet,
Præcipit & juſſo quælibet eſſe loco.
Sola hominum requies, mundi reparator inertis,
Omnia quem poſſe, in quo omnia ineſſe putant,
Seu te cum gemina delectat matre, Cupido,
Spectandum lucos ire per Idalios,
Seu celeri vectum Delphine per æquora Ponti
Cæruleis gaudes currere ſumma rotis:
Dum te ſublimi Franciſcus carmine dicit,
Ignota & vulgo myſtica ſacra canit,
Huc ades ô primis cultum mihi Numen ab annis:
Triſtia ſollicito pectora ſolve metu.

Ad Hieronymam Aragoniam.

Qualis cum puro fulget Latonia cornu
Deſuper, & bijugis vecta renidet equis,
Cæruleus nullis denſatur nubibus aër,
Roſcida nox cæcas Orco operit tenebras;
Mille acies ſtellarum ardentes crinibus aureis
Percurrunt rapidum nocte ſilente polum:
Ipſe opifex mundi rerumque in vertice Olympi
Nocturnas gaudet ſidera obire vices:
Miratur vario diſtinctum lumine cœlum,
Noctivagoſque ignes currere noctis iter:
Hinc gelidum ſpectat ducentem plauſtra Booten
Quæque nitens ſummo ſtat Cynoſura polo.
Andromeden ſcopulo hærentem, in diverſa revinctam
Brachia, ridenti lumine Caſſiopen:
Inde

Inde Lyram ſe tollentem Ægocerotis ab ortu,
  Et torvum auratis cornibus Eridanum:
Hydramque, Hœdorumque aſtrum, Oleniamq; capella
  Quæque ratis fulvæ vellera vexit ovis:
Plejadaſque, Hyadaſque & amantem vellera Cycnum,
  Quem narrant plumis occuluiſſe Jovem.
Inde alia atque alia inſpectat radiantia latè
  Lumina, quæ Eoo, quæ Heſperio orbe nitent.
His alios ſi quis ſuccendere quæritet ignes,
  Non animo captum hunc deſipuiſſe putes?
Quæ manus his, doctus vel quis decus addat Apelles?
  Tam pulchrum ullius indiget artis opus?
Talem te Virgo memorant pulcherrima, nullo ut
  Carmine te merito tollere Muſa queat:
Perſimilis cœlo atque aſtris fulgentibus una es,
  Quæ [mirum] nulla creſcere laude potes.
Sic neque cum pronas effundit Aquarius urnas,
  Augetur nullis amnibus Oceanus.
Non illum effuſus ſepteno flumine Ganges,
  Non tot collectis turbidus Indus aquis;
Euphrateſve auget, ſtagnanti aut gurgite Nilus,
  Aut quotquot circum littora curva fremunt.
Sic tibi ſola ſatis, tibi ſufficis omnia; virtus
  Nam tua nullius indiget artis ope.
Quis formæ decus, aut geminos duo ſidera ocellos,
  E quibus occultus ſpicula torquet Amor?
Sidereæ vel quis divinum frontis honorem,
  Cui invideant Charites, invidet ipſa Venus?
Quis mentem atque alias juvenili in pectore curas,
  Excultum aut claris artibus ingenium
Diceret? aut poſſet numeris ornare canendo
  Tam felix quiſquam munere Pegaſidum?
Egregium ſæcli, & ſummum decus Heroinon,
  Te gelidæ valles, te cava ſaxa ſonant.
Te pleni celebrant Muſarum nomine vates,
  Et ſacra certatim plectra lyramque dicant.
Te latæ diſcent terræ, te cærula ponti:
  Ibis ad extremos ales Hyperboreos;

Et paribus cum matre ferere per æquora pennis,
Qua cadit, & qua Sol proſilit æquoribus,
Dumque ſecans nubes, cœlo & loca diſſita noſtro.
Percurres urſæ frigora Mænaliæ,
Sive axem Oceano inviſes delapſa latentem,
Te licet obſcuro carmine, Diva ſequar.

Zephyris.

Luteolam hanc caltham, hoſq; immortales amarantos
Collapſos pleno Chloridos è gremio
Servat Acon vobis, Zephyri, texitque coronam:
Conveniunt veſtris mollia ſerta comis.
Vos modo Leucotheam. Nymphis dum immiſta Dianæ
Et cingit ſaltus, perſequiturque feras;
Incolumem ſervate æſtu, neu mollia lædat
Oraque, neu redeat Sole peruſta domum.

Cereri ac Baccho.

Has epulas flavæ Cereri, atque hæc pocula plena
Agricolæ fundunt, mitis Jacche, tibi.
Cernite quam lætis collucent ignibus arva.
Ut Cererem ingeminant, teque Lyæe vocant:
Vos modo, dum facibus latos percurrimus agros,
Annuite, agreſtum ne pia vota cadant.
Neu ſegetem meſſis vanis eludat ariſtis,
Neu deſint plenis pinguia muſta labris.

Paſtoribus.

Cuſtodes ovium, dum per juga ſumma capellas,
Balantumque agitis per nemora alta greges,
Parva meo, ſed grata abeunti dona ſepulchro
Ferte; quis extremo parva neget cineri?
Exultent mihi laſcivi cum matribus hædi
Ad tumulum; errantes dux canat inter oves.

Ve-

Vere novo nova ſerta ferat mihi ruſtica pubes,
Et cumulet vernis funus inane roſis.
Atque aliquis matrum diſtento ex ubere ſinum
Impleat, & manes donet habere meos.
Eſt etiam inviſas Lethæi ad fluminis undas,
Atque aliqua ad Stygias gratia vivit aquas.

Ad Cornelium Frangipanem.

Lethæos latices, æterna oblivia vitæ
Potabas, valles cum petis Elyſias;
Et tibi felices animæ jam ſerta parabant,
Æquanti magno cum Cicerone pedem,
Corneli, miſerûm ſpes: verum anima ipſa reluctans
Grandior, exiguo corpore abire nequit,

LUDOVICI PASCHALIS

ROMANI.

Ad Marianum Bizantium.

DUm te ſollicitæ Lites componere turbæ,
Et juvat in medio dicere jura foro;
Me vero urbanis vacuum Bizantice curis
Rura tenent, ſtudiis commodiora meis.
Hic ver perpetuum, rapidique ſub igne Leonis
Nutrit odoriferas terra benigna Roſas;
Mille nitent variis depicta coloribus arva
Floribus, & tenero gramine vernat humus.
Hic ſunt arbutei fœtus, hic mitia poma,
Lucidaque in gravidis vitibus uva nitet.
Hic nobis fœta præbent lac dulce capellæ,
Suppeditantque ſui pocula mellis apes;
Et fœcunda ſeges, & pleno copia cornu
Aurea Dictæi ſecula reddit avi.
Pauper, & anguſti cultor ſtudioſus agelli
Cæruleas vitam Najadas inter ago.
Securos capio, quum nos venit humida, ſomnos,
Et ſatis eſt humili quælibet herba toro.
At matutinum quum Lucifer exerit aſtrum,
Et toto nitidus panditur orbe dies;
Nunc juvat in denſis diſponere retia ramis,
In quibus incautæ præcipitentur aves.
Nunc lepores per ſaxa ſequor vulpeſque fugaces;
Et jubeo celeres voce ſubire canes.
Ite alacres, properate alacres, urgete trementem,
Effugiat veſtros ne fera viſa pedes.

Ful-

Fulmineos alii quærant in montibus apros,
  Et cupiant rigidas perdomuiſſe feras:
Hæc me præda juvat, hæc ſunt mihi gaudia cordi;
  Conveniunt animo non fera facta meo.
Quum vero in medio Phœbus ſpatiatur Olympo,
  Paſcitur & ſparſum longa per arua pecus;
Tunc ego frondiferæ ſub qualibet arboris umbra
  Decipio lentos carminis arte dies.
Hic mihi dum veteres animo repetuntur amores,
  Et Lyra dat querulos pollice tacta ſonos;
Credo equidem noſtros intellexiſſe dolores;
  Sic mecum raucæ dulce queruntur aves.
Solanturque meas arguto carmine curas
  Turtur, & infauſtum quæ gemit Ales Ityn,
Et conjux placida cantantem Chloridos aura
  Ductus ab occiduis leniter afflat aquis.
Talia in Elyſiis memorantur gaudia campis,
  Vatibus antiquis ſi datur ulla fides.
Hinc modo ſublimes animo provectus in auras
  Protinus Aonii montis ad antra feror.
Illic Gorgonei florenti in margine fontis
  Ludunt perpetuis numina docta choris.
Inter Amadryadas, & Oreadas, atque Napæas
  Stant Satyri, celeri turba notanda pede,
Sylvani, Faunique agiles, Dryadeſque puellæ,
  Mixtaque Najadibus flumina cana ſuis:
Extremumque agmen Choreæ longo ordine ducens,
  Explicat Aonii turba novena jugi.
Hos inter medios cantat formoſus Apollo,
  Increpat aurata Calliopea Lyra.
Pan Deus Arcadiæ gracili modulatur avena,
  Ad ſonitum reliquo ſubſiliente choro.
Parte alia umbroſo cantat ſecretus in antro
  Tityrus, Auſonii gloria prima ſoli:
Et dum ſeptena modulatur arundine Thyrſis,
  Paſtorum ludos Alpheſibœus agit.
In medio ſaltat cœtu formoſus Amyntas,
  Nec ceſſat Lycidas, nec Corydonis amor.

Exultant circum montes, atque ardua ſaxa,
Et nihil in ſacro vertice triſte ſonat.
Sic Mariane meæ tranquilla per ocia vitæ
Labuntur celeri tempora tarda pede.
Hæc ego pace tua, præponam quantulacumque
Sunt bona divitiis aurifer Herme tuis.
Oh poſſim tales inter deducere luſus
Quæ ſuperant vitæ tempora cuncta meæ.
His ego nam ſtudiis contingam nomine cœlum,
Famaque poſt cineres noſtra perennis erit.

Ad Marium Brutum.

Dum mea Pegaſei verſatur in aggere fontis,
Et vacat Aoniis prima juventa choris:
Nec ſeſe gravibus potis eſt accingere curis
Quam ſemel immiti compede vinxit Amor,
Tu vero, Euganea quà lapſus ab arce Timavus
Fundit in Illyricos ora novenna ſinus,
Incolis antiquam Trojani Antenoris urbem,
Atque Sinopeis mœnia jacta viris,
Ardua Cecropii tractans præcepta Solonis,
Et volvens animo grandia jura tuo.
Ecquid adhuc inter tantarum pondera rerum
Paſchalis memorem te facit eſſe tui?
Si penitus veteris non es oblitus amici,
Nec tua lethæus pectora torpor habet,
Qualiacunque libens noſtræ cape munera Muſæ,
Quæ tibi ſint animi pignora certa mei.
Et quamquam majora tuo ſub pectore verſas,
Sunt tamen hæc ſtudiis non aliena tuis;
Nam modo Caſtaliis nemo eſt tè notior antris,
Nemo Caballino largius amne bibit.
Atque (ita ſim felix) quoties tua docta revolvo
Carmina (judicio eſt gratia ſi qua meo,)
Scripta cothurnati videor verſare Maronis,
Aut Colophoniaci nobile Vatis opus.

Quis tua ſcripta neget culto certare Tibullo,
Cumque Phileteis vivere digna modis?
Quæ te florentis ſub tempora prima Juventæ
Flebilibus numeris ſcribere juſſit Amor.
Perge igitur (ſint æqua tuis modò numina factis)
Accipies meritis præmia digna tuis.
Vidimus a prima præſagia multa juventa,
Et jam tunc laudis nuntia ſigna tuæ.
Novimus ingenium, nec dum patientibus annis
Æmula Nelidæ verba diſerta Seni.
Quis te mellifluis referantem pectora dictis
Doctius Arpini non putet ore loqui?
Jam Romana ſuas in te facundia vires,
Et priſcum reparat Attica lingua decus.
Non ignota tibi Chryſippi inventa, nec ullus
In tam difficili qui latet arte locus.
Sacra Stagiritæ tibi ſunt tentata Magiſtri,
Quæ numquam pauper qui colit, eſſe poteſt.
Felix cui licuit ſpretis vulgaribus auſis
Ante diem ſtudiis invigilare bonis.
Nunc alii veterum titulis cenſentur avorum:
Sed tua jam veteres gloria vicit Avos.
Sed jam tempus adeſt patriis te reddere terris,
Summaque jam Patriæ ſolvere vota tuæ.
Abſentem quæ ſæpe ſuum ſuſpirat Alumnum,
Teque dolet tantas ducere Brute moras.
Tolle moras igitur, noſtraſque revertere in oras:
Sic tua felices cœpta ſequantur aves.
Ut vaga te reduci verrentem cærula remo
Accipiat placidis Hadria mitis aquis.
Ludant connexis circum tua roſtra choreis,
Quotquot cœruleos continet unda Deos.
Et tonet inflata Triton ſuper æquora Concha,
Ad ſonitum virides ſubſiliantque Dei.
Et vectus curru per inanes Juppiter auras
Æquora proſpectu mulceat alta ſuo.
Nulla micent toto contraria ſidera cœlo,
Nec madidus pluvias concites auſter aquas.

Læta ſed immenſum foveat concordia pontum,
Spiret ab occiduo Chloridos aura Polo,
Et tua felices comitentur carbaſa venti,
Incolumis Patrio dum referare ſolo,

Ad Joannem Bonnam.

Me tenet Hadriaco circum pulſata profundo
Terra gelu, & rigida nunc adoperta nive.
Hic inter glacies, atque horrida frigora brumæ
Uror, ut Aſſyrio ſub Jove nudus Arabs:
Uror ego, ut celſum quum Sirius exerit aſtrum,
Uritur Eoa quem rigat Indus aqua:
Uror ego, Æthnæis ferrum velut uritur antris,
Mulciber irato quum ſtruit arma Jovi.
Uror ego, ut liquido perfuſa bitumine lampas,
Flavaque ſuppoſito flagrat ut igne ſeges:
Uror ego, & vivos jam jam converſus in ignes
Accendo afflatu frigida ſaxa meo.
Si mea florentem tangant ſuſpiria ſylvam,
Excutiet tremulas ſylva peruſta comas.
Si mea Caucaſeos adeant ſuſpiria montes,
Ardebunt Scythicæ per juga ſumma nives.
Solveret hic Hebri glacies, hic ſolveret Iſtri
Frigore concretas plurimus ardor aquas.
Ite procul dulces, miſerumque relinquite amici,
Ne cadat in veſtros hæc mea flamma ſinus.
At vos tergeminæ mea rumpite penſa ſorores,
Arbitrium vitæ eſt quas penes omne meæ.
Nam quid ego inviſam cupiam producere vitam?
Si non ulla meis luctibus hora vacat,
Si non ulla meæ veniunt ſolatia menti,
Sed reſonat gemitu noxque dieſque meo?
Quum nox atra venis, veniunt ſuſpiria tecum,
Et mala, quæ ſævus plurima mittit amor.
Non mea jucundo declinant lumina ſomno,
Nec venit (heu miſero) noctis amica quies:
Sed

Sed dolor, & lacrimæ, triſteſque ante omnia curæ
Exagitant animum per freta vaſta meum:
Nec faciunt noſtri finem cum nocte dolores,
Sed magis eſt ſtimulo noctis acerba dies.
Quicquid ago, ad ſolitas rapitur mens anxia curas,
Et nihil eſt, quod jam me, niſi flere juvet.
Jam mihi nec riſus, nec ſunt mihi gaudia cordi:
Conveniunt animo triſtia cuncta meo.
Nec juvat aſſiduis cœlum laſſare querelis,
Deſpiciunt noſtras numina ſurda preces.
Nulla animo requies, nulla eſt ſpes certa ſalutis:
Quàm foret in tantis mors mihi grata malis!
Sola meos etenim potis eſt finire labores,
Et requiem tantis mors dare ſola malis.
Forſitan & mortem fruſtra imploravit inanis
Spes mea; quum nullam mors dare poſſit opem.
Forſitan & nobis idem poſt funera ſenſus
Permanet, extremam qui fuit ante diem:
Scilicet, æternos ut cogar ferre dolores,
Nullaque ſit lacrimis ultima meta meis.
At tu, quem placida reſpexit fronte Cupido,
Cui dat Amor faciles per ſua regna vias;
Bonna, jubar patriæ, juvenum pulcherrime, ſed qui
Ingenii ſuperas dotibus oris opes;
Dum legis hæc noſtras teſtantia carmina flammas,
Exemplo poteris cautus amare meo.

Ad eumdem.

Quæ mihi miſiſti dulciſſima carmina, noſtris
Solamen tribuunt non mediocre malis;
Carmina, quæ Coo poſſint certare Philetæ,
Carmina, quæ moriens vix imitetur Olor.
Certe ego ſim demens, dum noſtros arguis ignes,
Si querar, aut ſi te dicere vera negem.
Vera mones fateor, & cuncta ſalubria: ſed me
Alterius nutu vivere cogit amor.

Qui

Qui valet heu facile ſitienti conſulit ægro,
  Abſtineat gelidis ut patienter aquis.
Tu quoque, quem nondum violenta Cupidinis ira
  Uſſit, & intactum vulnere pectus habes;
Alterius facile damnas incendia, nec te
  Uſus, ut indoleas ad mala noſtra, facit.
Omnis amans, teneræ quem torquet cura puellæ,
  Id quod amat nimium, vellet amare minus;
Vellet ut ille ferus ſenſim decreſceret ardor,
  Et levius fieri vellet amoris onus:
Sed contra aſſiduo depugnat Marte Cupido,
  Quoque magis retrahis te, magis ille premit.
Non tamen accipias ita, quæ modo ſcribimus, ut me
  Legitimi immemorem Bonna reare thori.
Forſitan & caſti me dulcis cura cubilis
  Decoquit, & niveo cogit amore mori:
Sed tu dum lacrimas, mea dum ſuſpiria ſentis,
  Non amor eſt, dices, ſed furor iſte tuus.
Si, quod amas, ſecurus habes, votoque potiris;
  Cur gemis? & lacrimis turpiter ora rigas?
Flere decet miſerum, qui ſpe fruſtratur, amantem,
  Nec potis eſt longas ferre in amore moras.
Hæc tua ſed contra, quæ nos adducimus, audi;
  Et ſuper addictis hæc potiora tene.
Innumeri, quorum ſunt nota poëmata vates,
  Quos ſacer æterni nominis urit amor;
Fingere multa ſolent, & veris jungere falſa,
  Ilicet ut varium pulchrius extet opus.
Credulus es, ſi vera putas ceciniſſe Tibullum,
  Dum cupit in gelidis montibus eſſe lapis.
Credulus es, ſi vera putas ceciniſſe Poëtas,
  Quos legis aſſidua garrulitate queri.
Credulus es, ſi grandiloquis & lege ſolutis
  Vatibus indubiam credis ineſſe fidem.
Me quoque, qui vatum veneror veſtigia, ſæpe
  Cogit Apollineus fingere multa calor;
Et nunc tam duros tibi ſum mentitus amores,
  Quos legis in ſcriptis Bonna diſerte meis.

Quan-

Quandoquidem audieram blandam cœpiſſe Dionen
In tua neſcio quos damna movere dolos;
Scilicet ut facerent te noſtra incendia cautum,
Incautus placidis ne caperere dolis.

Ad Camillum Draconem Ægrotantem.

Quod nunc immerita torqueris febre, moleſtum
Paſchali nimis eſt culte Camille tuo.
Et certe, ſi vel precibus, vel viribus ullis,
Arte tibi, aut aliqua ferre valeret opem;
Pro te non fugeret quæcunque pericla ſubire,
Dum tibi prima foret reſtituenda ſalus.
Et nunc cœlicolas pro te languente fatigat,
Nam pia cœlicolas vota, preceſque movent.
Huc ades è ſummo gratæ tibi vertice Cyrrhæ
Phœbe pater, medicæ prime repertor opis;
Perque ſalutiferas tecum, quas noveris herbas:
Dignus hic auxilio eſt quem tueare tuo.
Solus hic in vario terræque mariſque tumultu.
Promptus in officio perſtitit uſque tuo.
Dumque alii gladios, & Martia munia tractant,
Ingentes aliis accumulantur opes;
Delectat Sylvis alios venatus in altis,
Aſt alios culti cura fatigat agri;
Hic vacat Aonidum ſtudiis felicibus, & te
Et tua ſecurus ſacra beata colit.
Dignus hic eſt igitur [ſi te tua ſacra colentis
Cura movet] docta cui medeare manu;
Qui tibi perpetuas grates pro munere habebit,
Offeret & templis thura Sabæa tuis.
Aſt ego mille ſuper gratiſſima carmina pangam;
Si modo Phœbe tuam ſenſerit æger opem.

Martinales Luſus.

Jam Martinalis redeunt ſolennia pompæ,
Feſtaque non tacito prætereunda pede

Hæc

Hæc celebrat præſens pro Saturnalibus ætas,
  Ut nihil antiquis invideamus avis,
Diſcurrunt juvenes paſſim, celereſque puellæ
  Per medias urbis, ſedula turba, vias:
Atque ferunt, referuntque cito vaga munera curſu,
  Munera, quæ certi pondus amoris habent:
Lætitia, cantuque ſonant loca cuncta, virumque
  Excipiunt hilares ſidera celſa ſonos:
Ducuntur variæ per compita lata choreæ,
  Saltat amatori juncta puella ſuo:
Impiger in medio populi fervore Cupido,
  Molliter accenſas vibrat in ora faces.
Interea multi tepefacta calore Lyæi
  Fertur inornatis ebria turba choris,
Qualiter, Ogygio rapitur quum protinus œſtro,
  Saltat in alternos concita Baccha pedes.
Haud aliter noſtram rapitur veſana per urbem
  Illa tumens multi turba calore meri.
Cernuntur læti mediis ſub noctibus ignes,
  Accenſæque micant per latus omne faces:
Pulſa tremit pedibus tellus, clamoribus æther,
  Ingeminant lætos concava tecta ſonos.
Non tuba, non litui, non illic tympana deſunt,
  Non Ægyptiacis ſiſtra verenda Deis.
Haud ſecus Idæis reſonabant æra ſub antris,
  Quæ puerum morti ſurripuere Jovem.
Perque domos paſſim convivia læta parantur,
  Sternitur Attalicis menſa beata thoris,
Libantur veteri carcheſia fervida Baccho,
  Nec mala fumoſum diluit unda merum.
Tunc circum pleni calices hinc inde vagantur,
  Et caſtus toto pellitur orbe pudor,
Per riſum, atque jocum, & cantus nox ducitur omnis,
  Oblectat madidos alea jacta viros;
Sive coloratæ Getulo murice chartæ,
  Quamque tenent gemini picta tabella Duces.
At levior teneras exercet cura puellas
  Ludicra per teretes mille reperta nuces.

Hos

Hos inter luſus, hæc inter feſta latenter
Nox abit, & roſeis aſtra fugantur equis.

Martinalia.

Nunc mihi, dum poſitis colo Martinalia curis,
Suggerat Ambroſias docta miniſtra dapes;
Et Bithyniaco majora Toreumata Baccho
Impleat, & celeri det mihi plena manu.
Nunc o Pierides, nunc o mea numina Muſæ,
Ocius ad noſtras ſumite plectra preces:
Nunc Aganippeas pertundite pectine chordas,
Et mihi mellifluos fundite voce ſonos.
Nil hic triſte ſonet, penitus ſint omnia læta,
Conveniant animo carmina veſtra meo.
Torva procul duri valeat cenſura Catonis,
Quæque Cleanthea lumina nube latent:
Vos quoque ſollicitæ procul hinc diſcedite curæ;
Hic jocus, & riſus, mollis & adſit amor.
Non pudor eſt viridi crines præcingere ſerto,
Nec feſta annoſo luce calere mero.
Nunc decet & preſſis impellere cymbala palmis,
Et teſtudineæ plectra movere Lyræ:
Nunc etiam charos miſtum decet inter amicos
Ducere continuos nocte dieque choros:
Nunc decet & lætos ad ſidera tollere cantus,
Et dare lætitiæ conſona verba meæ.
Surge anime, & tantis, quantum licet, utere donis,
Dum vacat ad faciles blanda juventa jocos.
Nam citò de noſtro ſpargentur vertice cani,
Nec poterunt tremuli membra levare pedes.
Non dabitur lætas cantu traducere noctes,
Fallere nec variis tempora tarda jocis.
At tu clara dies, nulliſque obducta tenebris,
Sæpe mihi culta es, ſæpe colenda redi.

De Roſa Argentea.

Dic roſa, quæ ſpinas caput exeris inter acutas,
Coryciosque tuo vincis odore crocos,

Cur-

Cur te Phœbei nequeunt violare calores,
  Quum micat Icarii ſtella proterva Canis:
Cur neque ventoſæ lædunt te frigora brumæ,
  Tros puer aſſiduo quum ſuper imbre pluit.
Hunc mihi non tribuit tantum natura decorem,
  Inque comas nullum jus habet illa meas:
Hunc florem, has ſpinas, tenui contexuit auro
  Egregia Dominæ ducta ſed arte manus.
Addidit argentum, nec non molliſſima Serum
  Vellera, quæ varius tinxerat ante color.
His ſimul intextis Arabas infudit odores,
  Et mihi naturæ munera cuncta dedit:
Hoc etiam præſtat; quia, quod creat illa, repente
  Effluit, at longus hic erit artis honor.
Nil mirum natura nova ſi vincitur arte
  Illius, in qua ſe vicerat ipſa prius.
At tu dulce mei me, floſcule, munus amoris,
  Fac memorem Dominæ nocte, dieque meæ.

Ad Amicos.

Vos mihi nunc veteres pauliſper adeſte ſodales,
  Dum feror in longas per freta vaſta vias:
Quos mihi adhuc teneris æterno fœdere ab annis
  Una ſemel junxit tempus in omne fides;
Abſtrahor à vobis, & vix mihi cognita fama
  Sponte ſequor veteris Gnoſia regna Jovis,
Quo mea me fortuna vocat: vos omine læto,
  Læta mihi, & noſtræ dicite verba viæ.
Jungite complexus, & noſtri pignus amoris,
  Accipite hæc lacrimis oſcula mixta meis.
Eſte mei memores, nec vos via longa moretur,
  Et quo non poterunt membra, ſequatur amor.
Et vos Illyrides ſilvæ, monteſque valete,
  Cunctaque carminibus flumina nota meis.
Jam valeant Patriique lares, patriique penates;
  Et loca, quæ ſtudiis culta fuere meis.

At

At vos cœlicolæ faciles in carbaſa ventos
  Mittite, Dictæa dum potiamur humo:
Et, quum tempus erit, pelago mea vela remenſo
  Ad patrios referant numina veſtra ſinus.
Sed jam quiſquis adeſt, mihi vota faventia fundat,
  Ultima dum noſtra ſolvitur ora manu.

Ad Eugenium Bucchium.

Ille tuæ cultor virtutis, & inter amicos
  Paſchalis veteres qui fuit, eſtque tuos,
Hanc (ſi fata ſinent) cito perferet ipſe ſalutem,
  Quam modo Gnoſiaco mittit ab orbe tibi.
Me tenet ignotis tellus Saturnia campis
  Hic, ubi perpetuas ſuſtinet Ida nives;
Ida, Jovem celſis quæ jam ſervavit in antris,
  Exitium nato patre parante ſuo;
Ubera cui mites admorunt blanda capellæ,
  Dulciaque aërii munera mellis apes;
Et Nymphæ violas, & cornua plena tulerunt,
  Curetum ſonitu dum ſtrepit omne nemus;
Multaque adhuc veterum ſuperant veſtigia rerum,
  Nam Jonis in ſummo vidimus antra jugo.
Vidimus obſcuras, quas ſtruxit Dædalus ædes,
  Cæcaque ſemiviro tecta habitata bovi.
Vidimus & muros, præruptaque ſaxa jacere
  Hic ubi Gnoſiacæ jam locus urbis erat,
Et centum populis ubi Minos jura ferebat,
  Nunc verſant validi raſtra, & aratra boves,
Non tamen eſt tanti nobis tot regna, tot urbes
  Mirari, & veterum tot monumenta Ducum,
Ut non plus mihi ſit Patrii juga nuda Leontis,
  Bithynique humiles cernere fontis aquas,
Et te dulcis amice meo gratiſſime cordi
  Aſpicere, atque tuo cominus ore frui:
Nam, licet extremos fortuna releget in ortus
  Me, vel ad auriferas, quas bibit Indus, aquas;

Seu me Parrhaſiam procul hinc propellat ad Arcton,
  Bruma ubi ſemeſtri nocte ſepulta jacet;
Sive Caledonios me cogat adire Britannos,
  Seu quaſcunque meas juſſerit eſſe vias:
Semper ero, velut ante, tuus: nec terra, fretumque
  Immemorem faciet, nec via longa tui.
Et, quamquam variis disjungimur æquoris oris,
  Et teneant medias mille pericla vias;
Non tamen illa tuæ potuit pietatis imago,
  Quo ſemel eſt animo, cedere, fixa meo.
Quidquid ab aſſuetis nobis datur artibus oci,
  Illud amicitiæ tradimus omne tuæ;
Et modò tranſactæ tecum ſolatia vitæ,
  Et juvat antiquos volvere mente jocos;
Et te, quem præſens nequeo, tamen alloquor abſens;
  Omnis in Eugenio ſtat mea cura meo;
Et modo ſcripta tua repetita Epiſtola dextra,
  Qua nihil hic nobis gratius eſſe poteſt.
Hanc ſemel atque iterum, hanc terque quaterq; revolvo
  Quoque magis relego, hoc magis uſque placet.
Gratia magna tibi, mihi tu ſolatia præbes,
  Unica tu mentis pax requieſque meæ.
Tu licet in gelidæ degentem vallibus Idæ,
  In medio patriæ me tamen eſſe facis.
Dii maris & cœli patriis me reddite terris;
  Excipiunt humiles numina ſi qua preces;
Reddite me charæ matri, charæque ſorori,
  Quæ pia pro noſtra votâ ſalute ferunt.
O modo dilectos liceat mihi cernere amicos:
  Ultimo lux vitæ ſit licet illa meæ.

Ad Marcum Grimanum claſſis Pontificiæ Præfectum.

Hunc mihi Pierides gratum præſtate laborem,
  Ut nihil hic querulum, nil mihi triſte ſonet,
Et lauri virides, & odori cingite flores,
  Et violæ, & variæ tempora noſtra roſæ,

Dum

Dum referam quæ pauca meus mihi dictat Apollo
  Carmina, lætitia non aliena mea.
Ecquis enim taceat quæ gaudia percipit? ecquis
  Poſſit lætitiam diſſimulare ſuam?
Quum videat trepidis ut claſſis Barbara ſignis
  Ambracio lateat victa timore ſinu.
Hinc vero Euganeum trepidanti inſtare Leonem,
  Clavigerumque poli pone ſubire Senem;
Et volucrem geminas geſtantem fronte coronas,
  Ardua Cæſareas quæ nitet ante rates;
Quos nuper ſancto junxerunt fœdere Divi,
  Fœdere, Barbaricæ quo minuentur opes;
Quo cadet Iſmarii rabies antiqua Tyranni,
  Et feret Heſperium Barbara terra jugum.
Non ego vana cano, ſed mens præſaga futuri
  Certius Euboica vaticinatur Anu:
Sunt etenim, quorum ſequimur veſtigia, vates,
  Pectore qui credant numen habere ſuo;
Et nos illud agit, venturaque dicere fata
  Numen, & è multis pauca referre jubet.
Tempus enim, jam tempus adeſt, quo Barbara tellus
  Submittet tumidum ſub juga noſtra caput.
Cernere erit domitum leges mutare Niphatem,
  Et dare jam victas ultima Bactra manus.
Spargentur totum victricia ſigna per orbem,
  Diſcolor Eoas quà bibit Indus aquas,
Et quà, dum Titan æqualibus æſtuat horis,
  Aſſiduo medius uritur igne dies:
Quaque latus Libyæ longe procurrit in auſtrum
  Signiferi extrema de regione poli;
Quaque mari noſtro, quam cernimus, occidit Arctos,
  Alteraque oppoſito ſidera ab axe micant;
Et qua regna novi priſcis incognita mundi
  Abluit occiduis maxima Thetys aquis.
Hæc eſt terra Deum, mediis ubi fluctibus aurum
  Naſcitur & variis copia plena bonis.
Non illic faſtu, non ambitione laborant:
  Quæritur aut ullo res aliena dolo.

Non illic ſævo miſcentur bella tumultu,
Nec limes latos dirimit ullus agros.
Omnia ſunt paſſim cunctis communia; cunctis
Unus amicitiæ, pacis & ardor ineſt.
Qui pietate prior, qui relligione ſuperſtat,
Ille tenet merita regia ſceptra manu,
Has quoque perdomitas noſtro ſub ſtemmate gentes
Cernemus patrii cedere jure ſoli:
Cernemus Scythicos glaciali è littore Reges
Ire catenata poſt fera terga manu.
Accipiet noſtras gens quæ tot ſæcula, leges,
Fertur Hiperboreis vivere clauſa jugis.
Chriſti Sancta fides cunctas ſpargetur in oras,
Quas vagus ignivomis Phœbus oberrat equis:
Unus Paſtor erit, uno qui claudet ovili
Innumeros Chriſti ſub pietate greges.
Hæc ego non humili cantu [Dii vota ſecundent]
Mæonioque canam facta ſuperba ſono:
Nec mihi tunc muſæ tribuent in carmina vires,
Majus at in noſtro pectore numen erit:
Numen erit Cæſar: Cæſar mihi carminis auctor;
Cæſar erit cymbæ rector, & aura meæ;
Cæſaris innumeros referam poſt bella triumphos,
Partaque felici mille trophæa manu:
Et quodcumque mihi ſtudiis vitæque ſuperſit,
Laudibus invicti Cæſaris omne dabo
Nec te prætercam mundi ſanctiſſime Paſtor,
Qui cœli errantes ad juga ducis oves.
Noteſcet pietas per me tua magna per orbem,
Et tibi commiſſi plurima cura gregis;
Hinc referam Venetæ præconia debita gentis,
Qua nihil in terris juſtius eſſe poteſt:
Illius innumeras percurram carmine laudes,
Et mihi ſub Veneto nomine ſurget opus:
Quod repleat ventura novo nova gloria bello,
Quæque fuit veterum parta labore Ducum.
At vos qui tantæ verſatis molis habenas,
Quem Leo, Cæſareæ quem decus urget avis.

Tu-

Tuque adeo ante alios ſplendor Grimane tuorum,
  Cui bene clavigeri eſt credita cura ſenis;
Cujus honorata tellus ſtupet Itala fama,
  Et tremit inſolito Barbara terra metu:
Quo duce ad extremos penetrare & vidimus ortus
  Victrices Latias, & dare jura, manus:
Ille quidem vidit, qui te hoc dignavit honore,
  Nullus ad hoc munus quod magis aptus erat:
Nec magis eſt tibi partus honor Grimane decori,
  Cinctaque temporibus infula ſacra tuis;
Quodque tuæ tenuit ſeries clariſſima gentis
  Præcipuum Veneta ſemper in urbe locum:
Quam, quod te tanto dignum cognovit honore,
  Qui tenet in noſtra relligione caput.
Sed quid plura moror? jam carbaſa poſcit in altum
  Lenis ab occiduo quæ venit aura polo.
Ite alacres: properate alacres: nil veſtra retardet
  Signa, nihil veſtrum triſte moretur iter.
Ite Deis ducibus; nam vos fortuna ſequetur,
  Et faciet tutas faſque piumque vias;
Et tandem celeri veniet victoria paſſu,
  Cujus in æternum fama ſuperſtes eat.

Ad Vincentium Capellum, Venetæ Claſſis Præfectum.

Dic agedum noſtri ſolatrix Muſa laboris,
  Curarum, atque animi conſcia ſola mei:
Cur modo tot varios emittunt arva colores,
  Quum referat gelidos Ilias urna dies?
Aut cur palantes fundunt violaria flores?
  Vendicat & vernas cur ſibi bruma vices?
An mutata novas cœperunt ſydera ſedes?
  Jamque erit Hydrochous hic ubi Taurus erat?
An vero quod adhuc verni potuere tepores,
  Nunc poterit triſti frigore ſegnis hiems?
Quidquid id eſt, certe noſtris oſtendere ſæclis
  Neſcio quid magnum fata, novumque parant.

Hæc ego. At argutas pertentans pollice chordas
  Reddidit hos tenui murmure Muſa ſonos.
Non æterna novos mutarunt ſydera curſus,
  Occupat aut Tyriæ Tros puer aſtra feræ.
Nec ſibi purpurei florentia tempora veris
  Vendicat hirſutis horrida bruma comis.
Sed ſi ſcire cupis tantæ novitatis origo
  Unde ſit, hæc memori pectore verba tene.
Aſpicis Aſcrivias hæc lintea tenſa per undas,
  Lintea Cecropiæ numine tuta Deæ.
Illic Euganeis vehitur digreſſus ab oris
  Splendor, & Hadriacæ fama Capellus aquæ;
Creditur aligeri cui maxima cura Leonis,
  Munere quo nullus dignior alter erat.
Gratantur Nymphæ, ſuperi gratantur cunti,
  Signaque lætitiæ dant manifeſta ſuæ.
Hæret & Idalio defixus Juppiter aſtro,
  Continet & reliquos ſub ſua jura Deos.
Ceſſerunt Hyades, torvus conceſſit Orion,
  Quique hebes algenti volvitur Orbe ſenex.
Aſpice, Amyclæi proceſſit Caſtoris aſtrum,
  Aſtrum quo tumidi concidit ira maris;
Et ferus Hippotades æterno carcere clauſit
  Flammiferum Boream, nubiferumque Notum;
Et tantum occiduis laxavit vincula ventis,
  Lenis ut æquoreas aura foveret aquas;
Neptunuſque pater, Nereique exercitus omnis
  Propellunt celeres in vada tuta rates:
Halcyones placidos condunt per littora nidos,
  Et tranquilla ſuæ tempora pacis agunt.
Hæc inter variis certantia numina donis
  Venit ab occiduo Chloris odora polo;
Quodque poteſt, violas venienti, & lilia fundit,
  Parcior huic reliquis ne foret una Deis.
Sed quo nota tibi ſint omnia, percipe cauſas,
  Cur videat placidi munera veris hiems.
Illius hoc natura parens indulget honori:
  Officiumque leve non leve pondus habet.

Nam

Namque, velut verni brumæ ſub tempora flores
  Diſtinguunt pictis frigida prata comis;
Illius hoc noſtro ſic virtus floruit ævo,
  Deterius certe quo nihil eſſe poteſt.
Hoc duce erunt Veneti victricia ſigna Leonis
  Fixa per eoas, occiduaſque domos;
Et Venetum cunctas implebit gloria gentes,
  Quas celer aëreis Cynthius ambit equis.
Sic ubi diſſeruit motis per inania pennis,
  Aonium petiit Calliopea nemus.
At tu, quem tanto ſuperi dignantur honore,
  Cui violas gelida pro nive fundit hiems;
Perge age magnanimis jam tandem accingere factis,
  Sentiat ut vires Barbara turba tuas,
Teque proba verum Phrygia de ſtirpe nepotem,
  Auctoremque tui ſanguinis eſſe Capyn.

In reditu ex Cretâ.

Contigimus metam: ſuperis jam ſacra ferantur,
  Et patrios ornent florida ſerta Deos.
Exorata meis venerunt tempora votis,
  Et requiem curis impoſitura meis.
Antiquæ tandem mihi linquere littora Cretæ
  Fas erit, & patrios ad remeare lares.
Jam mihi neſcio quid lætum ſub corde reſultat,
  Et reficit ſenſus gratior aura meos.
Jam videor patriæ colles diſcernere terræ,
  Et notos celeri puppe ſubire ſinus:
Jam videor patriis retinacula tradere ſaxis,
  Et ſimul è ſumma deſiluiſſe rate.
Ecce mihi veteres, gratiſſima turba; ſodales
  Obvia, ubi exceptos implicat alga pedes.
Qui poſſet nitidi radiantia ſidera cœli,
  Joniique undas enumerare maris,
Ille & amicorum poſſet numerare meorum
  Oſcula ſæpe meis fixa refixa genis.

Quando erit illa dies meritis digniſſima tantis,
Quam mihi candidior ſignet olore lapis?
Qua fruar his, quæ nunc mihi ſpes præſaga futuri
Nunciat, & fauſta vaticinatur ave?
Qua tandem pelago noſtro gratiſſima cordi
Aſpiciam montes Illyris ora tuos?
Atque illos, quorum vivos ſub pectore vultus,
Conditaque in medio nomina corde fero,
Aſpicere, & gratas audire, & reddere voces
Detur, & exactas enumerare vias?
O quoties, quæ ſint gentes, quæ nomina quærent,
Quos veteres ritus Creta, habeatve novos;
Si qua etiam priſcæ ſuperant veſtigia famæ:
Quid modo quæ magnum jam tulit Ida Jovem.
Quid centum vario celebratæ carmine gentes,
Cæcaque Dædaleo ſtructa labore Domus.
Multa ſuper Creta quærent, ſuper æquore multa,
Quæ fuerint noſtræ per freta tanta viæ.
Aſt ego cuncta ſuo referam memor ordine; pauca
Eſſe ſuper veterum nunc monumenta virum.
Scilicet in cineres ſolvit carioſa vetuſtas
Omnia, quæ priſcis ſcripta leguntur avis.
Nec centum populi, nec quæ Rhadamanthus habebat
Regna, ſuæ quicquam nobilitatis habent.
Vidimus antra ſuper ſcabro pendentia topho,
Cæcaque vix rabidis tecta colenda feris;
Interſepta rubis, putrique informia limo,
Semivirum memorant quæ tenuiſſe Bovem.
Vidimus excelsæ cunctis in montibus Idæ
Præter inacceſſas jam nihil eſſe nives.
Nunc genus acre virum, pictiſque inſigne pharetris,
Plurima cui cordi gloria Martis ineſt.
Pone libens referam, lætis ſpirantibus auris,
Liquimus ut celeri Gnoſia ſaxa rate,
Utque Cythereas primum ſuperavimus oras,
Dum cadit à dextra ſæva Malea manu;
Tænarioſque ſinus, ubi ſummo in vertice fumant
Infera Dulichio pervia clauſtra Duci,

Et

Et Pelopis terras, & te nemoroſa Zacynthos,
  Et Samon, atque Ithacen, Neſtoreamque Pylon,
Et qua præruptis ſe Neritos ardua ſaxis
  Tollit, & Ambracio littora clauſa mari,
Epirique latus, cœloque Ceraunia juncta,
  Alcinoique novo regna ſuperba ſitu.
Utque per Hadriacum tandem penetravimus æquor,
  Conditur Aſcrivio quo maris unda ſinu,
Hæc, & plura meis a me referentur amicis,
  Dummodo ſint noſtræ fata ſecunda viæ.
Talia dum meditor, placido mea carbaſa vento
  Plena trahunt celerem per freta vaſta ratem:
Jamque propinquamus terræ. Da tuta Palæmon
  Littora, da placidos cœrule Glauce ſinus.
At vos humanos ſemper miſerata labores
  Ferte pedem votis Numina magna meis;
Ut tandem patriæ contingam littora terræ,
  Ad fidos redeam ſalvus ut ante lares.

Vindemia.

Sacra corymbifero vindemia venit Jaccho:
  Inficiunt patulos ſpumea muſta lacus;
Lætitia, plauſuque fremunt nemora avia, & alto
  Reddunt exceptos concava ſaxa ſonos.
Libantur patrio paſſim per compita ritu
  Grata ſalutifero pocula plena mero.
Salve ò pampinei donum cœleſte Lyæi,
  Salvete Ogygii munera ſancta patris.
Tu depelle graves noſtro de pectore curas,
  Lætificaque animum mollis Jacche meum.
Qui te rite colit, tantum horrida frigora curat,
  Æthiopas quantum qui foret inter agros,
Aut qui Niliacos nondum bene comperit ortus,
  Exuſti Blemyas pauper arator agri
Hæc mihi lux multos rediit celebrata per annos,
  Hac licet effuſis nectere ſerta comis:

Hac licet annoſo victum titubare Lyæo,
Perque mea inſtabili ludere rura pede.
Feſta ſemel toto hæc nobis celebrantur in anno:
O veniant ſemper candidiora precor.

Ad Philippum Fabritium.

Dum mea ſollicita curarum preſſa caterva
Haud ullum poſſet mens reperire locum,
Torquererque levi, ceu ſaucia Cerva ſagitta,
Aut vexata gravi panda Carina noto;
Nec potis optato demittere lumina ſomno
Verſarem toto languida membra toro:
Extemplo noſtras dulcis concentus ad aures
Pervenit Cytharæ, culte Philippe, tuæ:
Diſcuſſitque meas grato modulamine curas,
Et ſolitus rediit per mea membra vigor;
Quale levis Zephyrus feſſis ſub ſidere Cancri,
Aut ſopor, aut placido murmure lympha ſonans;
Quale quies ægris, optataque littora nautis,
Tale mihi cytharæ carmen & aura tuæ.
Quot Ledeus Olor placidi ſuper amne Cayſtri
Ore movet varios deficiente ſonos:
Aut quot diſtricto format Philomela palato,
Dum miſerum querulo gutture deflet Ityn:
Tot mihi mellifluos cantus ſentire videbar,
Quos percuſſa tuo pollice plectra dabant.
Deſinat Iſmarium mirari fama Poëtam,
Atque Amphioniam ſaxa ſecuta lyram;
Cogentemque ſuo Delphinas Ariona cantu,
Inſolita in medio pondera ferre mari.
Hic novus eſt Orpheus, hic Methimnæus Arion,
Hic Aracyntheas paſcere dignus oves.
Non hic ſaxa movet, non horrida corda ferarum,
Robora non ſummis detrahit alta jugis;
Sed movet humanas mira dulcedine mentes,
Pectoraque inſolito capta ſtupore ligat.

Qui-

Quinetiam ſenſus, animaſque abducit ab ipſis
  Corporibus, querulas dum movet arte fides.
Miteſcent Furiæ, claudet tria Cerberus ora,
  Dum ferit hic docta fila ſonora manu.
Liber erit Tityus, comprendet Tantalus undas,
  Siſyphus in ſummo colle reponet onus,
Nec rota raptabit miſeros Ixionis artus,
  Nec toties Stygias urna reſumet aquas:
Suavius haud ſummo (ſit fas mihi dicere) cœlo
  Delius immenſum perſonat ante Jovem.
At tibi pro tali faciles ſint munere Divi:
  Audiat has placida Juppiter aure preces:
Ut, quum Neſtoreos feliciter egeris annos,
  Protinus Elyſiis adnumerere choris.

Ad Hieronymum Bertatium Atticum conſolatio, in morte Conjugis.

Attice Romuleæ quem ſumma peritia linguæ
  Pene facit magno cum Cicerone parem;
Cujus rarus honos, vulgataque gloria lumen
  Aſtruit Illyrico non mediocre ſolo.
Legimus aſſiduis tua carmina plena querelis,
  Elicit è medio quas tibi corde dolor;
Conjugis extinctæ dum triſtia funera defles,
  Abſtulit à thalamo quam fera Parca tuo.
Me quoque crede tui partem ſentire doloris:
  Hoc tuus ex veteri fœdere poſcit amor;
Qui non illacrimat, flentem dum cernit amicum,
  Neſcit Amicitiæ quid ſibi jura velint.
Ergo amor, & pietas, duo maxima vincula mentis,
  Sæpe tuis cogunt me illacrimare malis:
Nam neque tot lacrimas, neque tot ſuſpiria fundit
  Orba parens uteri pignore facta ſui:
Perdidit unanimem nec quum ſoror anxia fratrem,
  Qui lux una ſuæ, ſpeſque ſororis erat:
Filia nec gemino pariter viduata parente,
  Nil videt in vacua quæ ſupereſſe domo;

Denique, ſi pariter coëat genus omne dolorum,
  Pars tamen omne tui parva doloris erit.
Halcyonum ſunt victa tuis lamenta querelis,
  Quæ renovant tumidi quum fremit ira maris;
Et gemitus quem triſtis agit ſine compare, Turtur
  Et cum Threicia pellice mœſta ſoror.
Urit adhuc animam ſtimulis præſentibus ægram,
  Quæ volat ante oculos Conjugis umbra tuos.
Hæc te pervigiles cogit traducere noctes,
  Et lacrimis viduum ſæpe rigare thorum.
Spinoſas ſerit illa tibi ſub pectore curas,
  Et claro offundit nubila nigra die.
Hac ſine nulla tuæ veniunt ſolatia menti,
  Eſſe nihil gratum, nil tibi dulce poteſt.
Quicquid erat gratum, quicquid tibi dulce, ſepultū eſt:
  Delicias operit invida terra tuas.
Illa tegit luſuſque tuos, riſumque, jocoſque:
  Obruit illa animi gaudia cuncta tui.
Sed tu, dum lacrimas, dum queſtus fundis inanes,
  Surdaque dum gemitus diſſipat aura tuos:
Forſitan illa tuos ridet ſecura labores
  Flammiferi ſumma de regione Poli;
Hic ubi cœlicolûm ſedes tenet aurea Regem,
  Aureaque æthereos continet aula patres:
Nam, ſi quid ſpectata fides probitaſque meretur,
  Denique ſi ſanctis moribus aſtra patent;
Illa quidem ſummo eſt digniſſima vivere cœlo;
  Spiritus æthereis convenit ille choris:
Aut, ſi vera ferunt, certas poſt funera ſedes
  Elyſios caſtis Manibus eſſe locos;
Hic ubi perpetui narrantur tempora veris,
  Et Caſiæ viridis, Ambroſiæque nemus:
Illic formoſas inter ſedet Heroinas
  Forſitan & pulchro pulchrior ipſa choro;
Et modo Lethæi ſpatiatur in aggere fontis,
  Colligit & niveas, purpureaſque Roſas;
Adſtruit & capiti vario de flore corollas,
  Jucundoque ſuos implet odore ſinus.

Forſan & inde tuos ſæpe eſt miſerata dolores,
 Et daret haud dubiam ſi licuiſſet opem.
Sed fati lex dura vetat, quam viribus ullis
 Irritus eſt, ſperes ſi revocare, labor.
At revocat pietas, & blandæ gratia linguæ,
 Et pariter miſtæ cum pietate preces.
Infera Threjcio patuerunt oſtia vati,
 Dum caneret querulæ conſona verba lyræ.
Umbrarumque ferunt captum dulcedine Regem
 Eurydicen cupido reſtituiſſe viro,
Nec ferus ille canis ſparſis per colla colubris
 Propoſitum potuit flectere vatis iter:
Nec minus aſſiduis Proſerpina mota querelis
 Dicitur humanis indoluiſſe malis;
Reddidit Emathio quum charam Alceſtida Regi,
 Illius ſubiit quæ moritura vices:
Illa eadem vanam dilecti conjugis umbram
 Miſit in amplexus Laodamia tuos:
Et licet umbra foret, placuit tibi Conjugis umbra,
 Jamque tui levior pectoris æſtus erat.
Aſt ubi ſe tenues fugiens diſſolvit in auras,
 Te ferus armavit in tua damna dolor.
Æneam pietas; pietas deduxit Ulyſſem,
 Cernere ut extinctum poſſet uterque patrem:
Innumeroſque alios, quorum vulgata per orbem
 Nomina ab antiquis ſcripta leguntur avis.
At tibi nec pietas, nec paſſim cognita virtus,
 Attice, facundæ nec valuere preces.
Nil valuit vox illa tuæ dulciſſima Muſæ,
 Æmulaque Orpheis carmina culta modis:
Namque preces, lacrimaſque tuas, tua carmina venti
 Diripiunt, voto non potitura ſuo.
Hæc quoque crede mihi, veterum monumenta virorum
 Finxit ad arbitrium Græcia vana ſuum:
Nam ſemel infernas quiſquis penetravit ad undas
 Rurſus ad æthereum non redit inde diem.
Quid ſupereſt igitur? niſi quod reparabile non eſt
 Ex animo jubeas ut procul ire tuo?

Pone modum lacrimis, nec tantum indulge dolori:
  Perniciem lacrimæ ſæpe dolorque ferunt.
Teſtis erit Niobe, teſtis tibi turba ſororum,
  Eridani vitreas quæ ſuper aſtat aquas.
Teſtis erit propria qui captus imagine vidit
  Flens ſua purpureo corpora flore tegi.
Et quæ clauſa cavis reſpondet vallibus Echo,
  Verſaque in æternas impia Byblis aquas;
Et quæ præteritos ſuſpirans Solis amores
  Vertitur, igniferum qua rotat ille caput:
Nec minus & pompis feralibus apta Cupreſſus,
  Quam juvat aſſiduus nunc velut ante dolor.
Hæc dixiſſe ſat eſt, quamvis & plura ſuperſint,
  Quæ foret hic ingens enumerare labor.
Hæc ſubeant exempla tibi, luctuque repreſſo
  Solentur caſus damna aliena tuos.
Eſt dolor hic magnus (dices) & cauſa doloris
  Major, & humanæ negligit artis opem.
Difficile eſt, fateor, tantos compeſcere luctus,
  Convenit at cunctis rebus ineſſe modum.
Namque hanc immenſi faciem, quam cernimus orbis,
  Quattuor in cujus ſunt elementa ſinu;
Si riget aſſiduus tepidis ſine ſolibus imber,
  Eſſet inhumanis vix habitanda feris:
Sin ferat æternos ſine gratis imbribus æſtus,
  Torrida non homini, non erit apta feris.
Fert tamen illa homines, necnon genus omne ferarum;
  Natura alternas ſic variante vices,
Ut quum triſtis hiems gelidos effuderit imbres,
  Ceſſerit & Boreæ vis fera, viſque Noti,
Incumbant placidæ cœlo Zephyritides auræ,
  Veſtiat & nudam vernus amictus humum.
Aſpice ut omne nemus ſummis nova germina ramis
  Extulit, & læto gramine terra viret.
Hic violas, illic formoſa papavera cernis,
  Canaque Corycio lilia miſta Croco.
Attamen hic glacies; illic paulò ante videbas.
  Grandinibus miſtas cuncta operire nives:

At-

Atque ubi ventorum rabies violenta fremebat,
  Spirat ab occiduo nunc levis aura mari.
Undique jucundo reſonant nemora avia cantu,
  Dum paſſim dulces dulce queruntur aves;
Teſtanturque novi felicia tempora veris
  Eſſe per aſſiduos ſemper agenda jocos.
Tu tamen interea triſtes ſub pectore curas
  Volvis, & ingrata eſt brumaque verque tibi.
Hactenus immenſi proceſſerit ira doloris:
  Ultima mœſtitiæ meta ſit iſta tuæ.
Triſtia nulla decent, ſed gaudia læta poëtam,
  Flumina Gorgonei qui ſemel hauſit equi.
Tu ſacer es templi Aonidum, Phœbique Sacerdos,
  Qui tua Caſtaliis ora rigavit aquis.
Te riſus cantuſque decent luſuſque perennes,
  Te decet & lætos ſemper habere dies.
Ergo age, Dalmaticæ rarum decus Attice gentis,
  Diſcute jam mentis nubila nigra tuæ.
Aſpice quid deceat vatem, quid denique tantum,
  Cui modo noſtra parem non habet ora, virum.
Nec tibi ſit tanti quamvis cariſſima Conjux,
  Quique tenax imis oſſibus hæret Amor,
Immemor ipſe tui videaris ut eſſe decoris,
  Debet enim magnis cedere cura minor.
Illa quidem ſummo (ſit phas mihi credere) cœlo
  Seu quæcumque piis manibus ora datur;
Te te hora ex illa miſeratur triſte querentem,
  Forſitan & tales fundit ab ore ſonos.
Chare mihi Conjux, quodnam dum vita manebat,
  Plus oculis multum, plus animaque mea:
At nunc chare mihi, quantum nec dicere verbis
  Poſſum ego, non animo concipere ipſa meo:
Parce meam triſti gemitu turbare quietem,
  Et ſine me placida pace perenne frui:
Hæc tua namque meam turbant ſuſpiria pacem,
  Rumpitur hoc querulo noſtra dolore quies.
Sed, ſi tantus amor, ſi te juvat Attice noſtro
  Connubio æternos continuare dies;

Vive pius, noſtræque ſequens veſtigia vitæ,
Carpe ſalutiferas verſus ad aſtra vias.
Sic ego te meritis modicum poſt tempus onuſtum
Excipiam, & charo cominus ore fruar;
Atque hic æterni vinclis jungemur amoris,
Terminus & noſtri nullus amoris erit.

Ad Galliæ Regem reliquoſque Principes Chriſtianos.

O qui terrarum magnas moderaris habenas,
Quas hinc aëriæ celſis amfractibus Alpes,
Inde Pyrenæi prærupto vertice montes
Obcingunt, mediaſque vago ſecat amne Garumna,
Quem Pater æterno ſuperum dignavit honore,
Excelſumque dedit ſuper omnia nomina nomen:
En tibi protenſis tellus Oenotria palmis
Supplicat, & poſito jam mitis Iberia faſtu,
Atque omnis, cui laudis amor, cui Martia cordi
Gloria, qui caſtas Chriſtum veneratur ad aras,
Summiſſa te voce rogat: jam parce furori,
Parce odiis, iramque animo depone receptam;
Et jam ſi qua tuam (licet æqua injuria) mentem
Verſat adhuc, mirum, vindictæ dulcis amorem
Comprime, vel ſaltem potiora in tempora differ:
Nec tibi ſit tanti ſævo indulxiſſe dolori,
Inviſæque animum gentis ſaturaſſe ruina,
Ut, procul infrenis dum te rapit impetus iræ,
Ante tuos oculos fruſtra tibi credita, Chriſti
Hei mihi, Barbaricæ populentur ovilia turmæ.
Nec modò non tantam ſtudeas avertere cladem
Sed (ſcelus, haud ullo quod non delebitur ævo)
Ipſe caput, tantique unus ſis cauſa furoris;
Unus agas rabidas noſtra in præſepia Tigres,
Et, Chriſti quem ſancta Fides ſperaverat omnes
Ante alios, contra infidos, contraque rebelles,
Semper habere Ducem, ſolum nunc ſentiat hoſtem,
Solius infeſtis videat ſua templa catervis

Et

Et ſua ſacra rapi: nec te, ſuper æthera fama
Cognite, commoveant proavorum exempla tuorum;
Qui toties Scythico Latium turbante tumultu
Tranſgreſſi gelidas multa cum laude per Alpes,
Sponte ſua, afflictis per mille pericla tulere
Rebus opem, mediiſque feri de faucibus hoſtis
Innocuos rapuere greges: majoraque longè
Audentes, tumida victricia ſigna per undas
Vecta Palæſtinæ fixere in littore terræ;
Tantus erat pietatis amor, Chriſtique recepto
Intermiſſa diu renovarunt ſacra ſepulchro.
Si te nulla movet priſcæ virtutis imago;
At ſaltem moveant, quos pulchros ſiſſa capillos,
Et lacrimis ſuffuſa genas, tibi porrigit uni
Aſſiduas Europa preces, age reſpice fines
Illyricos, quanto furiarum turbine perflat
Thracia ſæva Phalanx; quanto fœdata cruore
Circumquaque Novi videantur mœnia Caſtri:
Quot ſtrages, quot damna ſuis oſtentet in agris
Tota Phalantei miſerabilis ora Tarenti.
Nam Rhodos, & gelido quiſquis circumjacet Iſtro,
Quot paſſim lacrimas, quot hiantia vulnera pandat,
Prætereo; ceu priſcà nimis, levioraque tantis
Annumerare malis: veteres nova damna ruinas
Exuperant, veterumque ferunt oblivia cladum.
Quid memorem, celſis qua Neritos ardua ſaxis
Ambracio prætenta ſinu ſe tollit in auras,
Barbaricos Latiis immiſſos navibus ignes?
Infandumque, rates immiſſis ignibus hauſtas?
Occiduæque manus raptam ſine Marte, nec ullo
Hoſte premente fugam, quum neſcia vincere bello
Corda Phrygum, timiduſque Oriens Hiſpana, ſimulq;
Itala Barbaricis toties aſſueta triumphis
Roſtra per Jonias ſequeretur turpiter undas.
At non ſic patriis pollens Octavius auſis
Illo eodem Cleopatra loco tua ſigna, tuaſque
Dicitur extimuiſſe rates: ſed fortius urgens
Diripuitque Orientis opes, turpique coëgit

Te dare terga fugæ, victæque reducere claſſis
Relliquias, patrii latebroſa in flumina Nili.
Nunc verò indecores, priſcæ virtutis egeni,
Immemoreſque ſui, toties proſtrata tremiſcunt
Hiſpani Latiique Duces Rhodopeïa ſigna.
  Nullane tantorum, ſuperi, jam meta malorum?
Nullus erit modus afflictis o numina rebus?
Sat furiis, ſcelerique datum, ſat denique noſtri
Innocuo toties maduerunt ſanguine campi.
Pone odiis Rex magne modum: tibi ſupplicat uni,
Unum te totus terrarum reſpicit orbis.
  Crede & ab Elyſiis unum te poſcere campis
Priſcorum tot vota Ducum, quos inclita quondam
Græcia Barbaricis genuit ditata ruinis;
Atque alios prior ante omnes, qui lignea ſuaſit
Mœnia pro patrio cives conſcendere muro,
Et Salaminiacis Xerxen ſuperavit in undis:
Quique prius clarum medio in Marathone trophæum
Extulit; & parvo qui facta ingentia campo
Edidit, anguſto qua pandunt tramite montes
Thermopylæ, Stygiæ certus diſcumbere cœnæ;
Totque alii proceres. totque inclita nomina regum,
Quos Macedum, quoſque ora tulit non ultima bello
Illyriæ, tibi protenſis ad ſidera palmis
Commendant patrias poſt tot diſcrimina terras.
  Quin procul Iliaco te te de littore ſolum
Hectoris umbra vocat: per te mea Troja ruinis
Eruta, ait, veteres iterum reparabit honores;
Impius Hellæi nec Barbarus accola Ponti
Dardanii cineris rumpet clamore quietem.
Projce Tela manu ſanguis meus: aſpice quo te
Extra æqui rectique vias dolor impius aufert:
Et bellis accinge tuos melioribus auſus,
Juſtaque in Iſmarias infer tua ſigna Phalanges.
Quod fortuna decus? quales tibi fata triumphos
Hinc tribuent? quantiſque tuum ſuper æthera nomen
Cum titulis, quantiſque virûm cum plauſibus ibit?
  Ipſa etiam gelido, quæ præjacet Helleſponto,
Urbs

Urbs Regina Aſiæ, toti licet imperet oræ
Eoæ, ſuper & multas caput efferat urbes:
Totque ſuum videat cunctis in partibus orbis
Ferre jugum reges; ſine te tamen eſſe videtur,
Non ſecus ac Matrona ſuo diſcreta marito.
Novit enim ſua deberi tibi ſceptra, tuiſque
Natorum natis, & qui naſcentur ab illis,
Novit enim quantis Orientis gloria rebus
Auſpicio producta tuo ſe tollet in auras:
Teque ſibi totis (ut dignum eſt credere) votis
Exoptat, poſcitque ſuis tua lilia terris.
Eja igitur jam ſume manu rationis habenas,
Et curſus animi latè compeſce vagantis.
An neſcis cui bella moves? quem tendis in hoſtem?
Quem petis irarum impatiens victricibus armis?
Non pudet ah dirum cognata in viſcera ferrum
Stringere, & innocuas damna in communia gentes,
In commune nefas ſtimulis urgere malignis?
Quin potius, miſſis odiis, cauſiſque malorum,
Prævaleat pietatis amor, nexuque perenni
Amborum placidas jungat concordia mentes,
Quas nequeat fortuna ſuâ turbare procellâ,
Nec nova ſuſpicio, nec cæcus ſolvere livor.
Tu quoque, qui victor ſuperas expandis ad auras
Victrices Aquilas Cæſar, tua ſigna, per undas
Occiduas, & regna novi tibi ſubdita mundi,
Quidquid id eſt, tantas penitus quod mulceat iras,
Cognato concede tuo non multa petenti,
Manſuramque diu tandem componite pacem:
Atque ambo comitante Deumq; hominumq; ſecundo
Auſpicio, pariterque animis, & viribus auctis
Vertite in Eoos vexilla infeſta tyrannos,
Et Chriſti proferte fidem, Chriſtique ſepulchrum
Priſcorum nobis exemplo reddite avorum.
Pro dolor, ah pietas, Domini cunabula veſtri
Linquitis indecores genti tractanda prophanæ:
At vos interea, quo vos agit ira, furorque
Alter in alterius ſtruitis noctesque, dieſque

Perniciem, varias toto conanime fraudes.
Nec tu Magne pater, triplici qui cincta corona
Tempora ſacra geris, cui claudere limina cœli
Et reſerare datur; nec tu ſanctiſſime Paſtor
Deſtituas miſeras tanto in diſcrimine gentes.
Sed qua præ reliquis, quibus ingens ſubjacet orbis,
Majeſtate vales, populi tua juſſa ſequentis
Infrenes auſus, inſanaque comprime corda.
Diſcordes tu junge animos, & pectora Regum
Evacuata odiis fraterno fœdere necte.
At tu ſancte Leo, Veneti quo præſide gaudent,
Terrarum; cœlique decus, qui cuncta tueris
Littora ſollicita quæ circuit Hadria cura;
Quæ maris Jonii, quæque impetus alluit Ægei,
Regnaque Niliaco Cypri prætenta Canopo,
Reſpice mille tuæ crudelia vulnera gentis;
Reſpice quanta tuos circumſtent barbara fines
Agmina, & in noſtros vertat jam ſigna penates.
Barbaricis ne crede dolis, ne crede rebelli
Turcarum populo, ſed, te quoque viribus adde
Occiduis vireſque tuas, age jungite dextras,
Jungite concordes æterno fœdere mentes.
Hactenus inſanæ curſus proceſſerit iræ,
Hactenus alterno ſpumarint ſanguine fontes,
Et jam depoſitis placato pectore rixis
Vertite in Iſmarias tot mutua vulnera terras.
Illic indomitum bellandi extinguite amorem,
Atque illic veſtras cum laude oſtendite vires
Immiti populo, natiſque ad dira catervis
Threiciis, videat verſis in proſpera fatis
Ipſa ſuam ſobolem noſtris Europa ſub annis
Inſultantem Aſiæ: videat ſub nomine veſtro
Ire Triumphatos Rubro de littore Reges.
Bactraque, & edomitum leges mutare Niphatem,
Et totum victas Orientem tradere palmas
Heſperiæ, luctuſque ſuos ſoletur amaros,
Et ſua Barbaricis compenſet damna ruinis.

Ad Æmilianum Schænium Placentinum.

O vindex Latiæ merito qui dicere linguæ,
  Solus in Idæis Æmiliane locis;
Accipe, quæ triſtis inter fera murmura belli
  Pangimus, & raucas Martia ſigna tubas.
Dumque alii varias verſant ſub pectore curas,
  Tu mecum hæc hilari carmina fronte lege.
Bella gerant fortes; ſed nos lateamus inermes:
  Sit tibi Corycium, ſit mihi Parma nemus.
Forſan & hic noſtris aliquid ſuccurret avenis,
  Quod ſuperet gracili Claſſica rauca ſono.

De Specu Corycio Sylva.

HÆc inter mediæ glacialia tempora Brumæ,
Quum terras nix alta tegat, quum frigore pontus
Algeat, & denſa pulſentur grandine campi,
Impulſu Æmiliane tuo, dum bella quieſcunt
Pauliſper, Scythicifque jacet Mars feſſus in antris,
Semideos, Nymphaſque canam, campoſque virentes,
Coryciumque Nemus. Vos o bona numina cœptis
Aſpirate meis, quibus hæc inculta dicamus
Carmina, ſed gratam certe teſtantia mentem.
  Eſt, humiles inter quos pandit Iſauria colles,
Intonſoſque Syros, Regio; quam deſuper horrens
Taurus, & ingenti ſe vertice tollit Amanus;
Quà mediam niveo præterfluit æquora Tarſon
Cycnus, honorato quem fundit ab amne Coaſpes.
Hic ſuper impoſitus pelago ſublimis, opacum
Mons aperit, ſeptumque cavis anfractibus Antrum:
Corythium indigenæ patrio cognomine dicunt:
Quod circum lætas denſum nemus efficit umbras,
Et placidæ labuntur aquæ, quo credere dignum eſt
Naturam artificem cæcis ſpectacula terris
Admiranda ſui voluiſſe oſtendere partus.
  Principio namque anguſti panduntur in ipſo

Veſtibulo, & ſpinis aditus armantur acutis.
Hinc via difficilis, hederaque implexa ſequaci
Ducit ad interiora loci: mox tramite recto
Pandunt ſe campi ingentes, & latior orbis
Luce perenne fruens, placidis quem flumina rivis
Multa rigant, reſonantque vagis per prata ſuſurris:
Et nemora, umbroſæque virent circum undique ſylvæ.
 Illic Medorum veteres referentia lucos
Citria procero ſe tollunt ſtipite in auras
Æthereas, ſuccique ferunt præſtantis honorem:
Punica nec paſſim deſunt pendentia ramis
Poma ſuis, duris habilis nec Fraxinus haſtis:
Illic & celſæ (victorum præmia) palmæ,
Necnon pallentes inſignia pacis olivæ,
Et Myrtus Veneri, & Phœbo gratiſſima Laurus,
Atque Abies dubiis pelagi jactanda procellis:
Illic Cinama rara, & odori virgula Thuris,
Et ſudans gratum de cortice Myrrha liquorem,
Et Coſtum, & molles quicquid legere Sabæi.
Pendent, & rigidæ præruptis cautibus orni,
Necnon Chaoniæ civilia præmia quercus,
Pendent ferales pompas viſura Cupreſſus,
Caſtaneæque, nuces atque autumnalia corna,
Et nemoris latera ingenti munimine cingunt:
At Phaëtonteæ ſublimi fronte ſorores
Hærent flumineis avidæ ſe mergere ripis,
Veraque corticibus ſudant electra, nec uſquam
Nobiliora ferunt, nuſquam ſe vertice in auras
Attollunt magis, aggeribus niſi forte ſuperbis
Fluviorum Ducis Eridani, quo fluctibus impar
Immiſcet Trebia exiguas majoribus undas,
Et jacet in mediis Romana colonia campis;
Non plebe ex humili deducta, ſed ordine equeſtri,
Eloquio culti celebrata Placentia Tincæ,
Quæ tulit hoc noſtro te, cui vix vidimus ævo
Æmiliane parem; magno tibi tanta decori
Eſt patria, & patriæ magno tu tantus honori.
 At ſubjecta novis variata coloribus arva

Et

Et caſia, atque aliis vernant redolentibus herbis.
Hic violæ genus omne nitet; hic lilia cana
Purpureæ, niveæque Roſæ, miſtique coloris
Terra crocis adoperta latet, queis gloria prima
Geſtandas nuribus veſtes tinxiſſe latinis.
Hæc paſſim variæ per amœna vireta volucres
Dulcibus æthereas mulcent concentibus auras:
Illic ante alias mutilo Philomela palato
Defiet Ityn; rubro ſtat juxta pectore Procne,
Ipſa ſui referens in corpore ſigna cruoris,
Nec deſunt nivei fluviali in margine Cycni
Deficiente vagas formantes gutture voces;
Quique natent nigri per frigida flumina Mergi;
Et placidæ Halcyones, & quas Anates pontus fert,
Pſittacus Eois ales celeberrimus Indis,
Et pictæ Junonis aves per gramina ludunt,
Tum volucris, noſtro quæ nondum apparuit ævo,
Illic clauſa latet, longos ubi terminat annos
Rurſus, & è proprio renovatur pulvere Phœnix.
Illic lanigerumque pecus, ſimæque capellæ,
Cervorumque greges campis paſcuntur apertis,
Et lepus, & timidæ ludunt per roſcida damæ
Prata, nec immites metuunt armenta leones:
Errant herboſos incuſtodita per agros
Agmina læta boum, & præſtanti corpore tauri
Inſueti ſervire jugo, quos improbus inter
Ludit Amor, quum defeſſus majoribus actis
Regales thalamos, & magnas deſerit urbes,
Atque hinc inde volat, medicataque tela veneno
Spargit, & indomitis ſuccendit pectora flammis.
Illi inter ſeſe magna vi prœlia miſcent,
Nec procul in medio victoris præmia campo
Alba juvenca manet: ſtat circumfuſa, pavetque
Cetera plebs, tanto & demum terrore ſoluta
Inſultat victo, & victoris juſſa faceſſit.
Victor honore tumens, prædaque potitus amata
Sublimis graditur, quem tota armenta ſequuntur.
At victus ſtimulante Deo, ſtimulante pudore,

In ſylvas abit, & lucis ſe condit opacis.
At vero inferius, ubi ſeſe rurſus in arctum
Cogit Sylva patens, & denſior imminet aër,
Miſta ſtrepunt rauco Dionyſia cymbala cornu
Baſſaridum pulſata manu, lituique, tubæque,
Siſtraque, & horriſonis crepitantia tympana bombis:
Illic pampineis frontem redimita corollis
Cuncta corymbiferi verſatur turba Lyæi,
Et quatit implexos hederis per devia Thyrſos:
Ebrius ante alios pando Silenus aſello
Fertur, & incerto nutans pede lampada vibrat,
Non intellectis implens clamoribus auras.
Hinc deducta novos oſtendit ſemita campos
Lucis egens, atque anguſto vix pervia calle:
Quoque magis teritur, magis hoc formidinis affert.
Namque hic è medio fractæ telluris hiatu
Ingens ſe fluvius ſuperas oſtendit ad auras,
Cæruleaſque undas, & fluctus voluit amaros,
Rurſus & in primo ſub terras mergitur ortu,
Cum ſtrepitu & magno curſum comitante fragore,
Verticibuſque fremens, & ſpumis turbidus atris,
Nec quenquam, licet audentem, maris obiice vaſti
Ulterius penetrare ſinit, ubi cognita nulli
Camporum ſpatia, & luci cernuntur opaci,
Admiranda Deûm, cæcis arcana cavernis.
Forſitan & vera eſt, quæ fertur fama, ſuperbos
Terrigenas olim cœlum affectaſſe Gigantes,
Et bellum monuiſſe Deis, & Pelion Oſſæ
Impoſuiſſe ſuper, ſubjectoque Oſſan Olympo,
Et jam ſideribus captis per tecta Deorum
Infandas ſparſiſſe faces: & victa timore
Numina ſub variis ſeſe occuluiſſe figuris,
Tum plenum terrore Jovem vix fulmina dextra
Tollere, vix tantam potuiſſe avertere cladem,
Et tandem ſumma cœli ſuper arce fugatum
Nimborum fregiſſe fores, pluviaſque niveſque
Emiſiſſe, feris laxaſſe & vincula ventis,
Grandinibuſque geluque atras ſparſiſſe procellas,
Ful-

Fulguraque & fracta generata tonitrua nube,
Sævaque ſulphureis ſtridentia fulmina flammis;
Tum demum aggeſtos montes ad ſidera, verſis
In præceps cecidiſſe jugis, ſævoſque Gigantes
Fulminis afflatos flammis; hinc inde per orbem
Disjectos, tantam late ſparſiſſe ruinam;
Quorum de numero membrorum mole, Typhœum
Et longe ante alios rabie & feritate priorem,
His demum cecidiſſe locis; vinctumque catenis
Crura, manuſque ſuæ pœnas perſolvere culpæ,
Fruſtra indignantem, & terras cervice moventem,
Dum miſer Enceladus flagrantem concutit Ætnam,
Et premitur Siculi non ſola mole Pachyni.
At locus exterior placidis ſpirantibus auris
Semper vere novo fruitur, non ſideris æſtu
Icarii, Iliacæ nec frigore læditur urnæ,
Hic reor Elyſios celebravit Græcia campos,
Illuſtreſque animas, & regna beata piorum.
Alcinoi veteres ſileat Phæacia Sylvas;
Nec mihi Maſſylo quis cuſtodita Draconi
Prædia divitibus jactet fulgentia pomis,
Et toties biferi celebrata Roſaria Pæſti:
Nam neque in æterno (ſi fas eſt dicere) Olympo
Nobilior ſtatio eſt, quamvis duodena per axem
Signa micent variis animantum inſignia formis,
Et Phœbus, Phœbique ſoror, ſtellæque minores
Aſſiduo cunctas illuſtrent lumine partes.
Illic immiſti Satyris ſaltantibus errant
Capripedes Fauni, & præcincti tempora pinu
Panes, & agreſti gaudens Sylvanus honore:
Pars inter frutices arbuſtaque denſa latentes
Effuſis ſtruit inſidias per gramina Nymphis,
Pars ſeſe aucupio exercent, ramiſque repoſtos
Arboreis laqueos, viſcoque infecta tenaci
Fila locant, pars fluminceis piſcantur in undis,
Octipedeſve legunt muſcoſa per antra Paguros;
Hos calamos inflare juvat, hos dicere verſus
Alternos, dulcique diem ſubducere cantu;

Hos ſaltu, celerique juvat contendere curſu,
Aut Lacedæmoniæ ſtudio inſudaſſe Palæſtræ,
Tum Dryades, virideſque ſimul per prata Napææ
Aſſiduas ducunt noctuque dieque choreas:
Inter Hamadryadas, & Oreadas innuba caſtos
Exercet Diana choros, ſeu Najadas inter
Candida flumineis aſpergit corpora lymphis:
Nunc canibus premit illa feras, nunc retia tendit,
Et laqueis cingit ſaltus venatibus aptos:
Illic & doctæ (Parnaſſia turba) Sorores
Poſthabito veteris verſantur vertice Cyrrhæ,
Atque alios fontes, alios fecere receſſus,
Unde novi capient graviora exordia vates.
Hunc ego crediderim Ducibus poſt funera magnis
Servari ſuprema locum: qui multa gerendo
Fortiter, & nullos renuentes ferre labores
Rem patriæ coluere ſuæ; nec regna, nec ullas
Divitias pulchra præ libertate tulerunt:
Atque his, qui vitam dignas egere per artes,
Et qui jam bene de multis liquere merendo
Clara ſuorum operum totum monumenta per orbem;
Atque his, qui numeris vincto pede, quique ſoluto
Plurima Mercurio vel Apolline digna locuti,
Dum laudant alios, alienaque clara recenſent
Facta, ſibi æternam pariunt per ſæcula laudem;
Quò jam tranſactæ ſapienter præmia vitæ
Accipiant, vivantque omnes ſine fine per annos,
Deliciaſque jocoſque inter ludoſque perennes.
Quos inter te, meque etiam, non ultima ſedes
Æmiliane manet: nam tu felicibus uſus
Auſpiciis Venetæ res prima ab origine gentis
Orſus ad hæc cultis narraſti tempora libris,
Quæ non indignum tanto te munere reddunt.
Aſt ego (ſi pia fata ſinant) dum vita ſuperſit,
Numquam carminibus deſiſtam tollere clarum
Hujus & hujus opus, mihi quæ venientibus annis
Corycias forſan tribuent poſt funera Sylvas
Sed tamen, hoc utcumque cadat; Deus optimus orbis
Con-

Conditor atque opifex, manuum miranda ſuarum
Hæc olim ſæclis linquit monumenta futuris:

In Fœdus ictum inter Principes Criſtianos, Sylva.

Solvite jam noſtræ damnata ſilentia Muſæ:
Sat precibus, votiſque datum: tacuere parumper
Armorum ſonitus, nec claſſica rauca, tubaſque
Audimus, nec jam ſævos horreſcimus enſes;
Jamque retroverſis claſſis Rhodopeja ſignis
Terga dedit, notaſque petit Athamantidos undas.
Atque hinc auricomi victricia ſigna Leonis
Stant erecta polo; & pedibus Jovis armiger uncis
Aurata geminum caput exornante corona
Pone ſubit, cœloque alacer dominatur aperto:
Necnon & Senior, cui claudere jus datur uni,
Æthereaſque aperire fores, ſua ſigna, ſuaſque
His adjungit opes. Idem omnibus ardor, & idem
Eſt animus, ſævam Mahumeti excindere gentem,
Et Chriſti perferre fidem; quà magnus Hydaſpes
Fertur, & auriferis Ganges devolvitur undis,
Et qua ſtelliferi radices lambit Atlantis
Oceanus, poſuitque ſuas Tirynthius aras,
Et qua perpetuis nivibus riget ultima Thule
Parrhaſiæ damnata feræ, quaque accipit ortus
Nilus ab ignotis ducens cunabula terris:
Fallere nec ſpes tanta poteſt, hinc faſque piumque
Et ſincera fides, & (quod ſuper omnia pollet)
Ultores ſcelerum ſuperi & Rhamnuſia virgo,
Quæ poſcit meritas pro rupto fœdere pœnas,
Inde nefas, inde impietas, rectique Deumque
Contemptus, tum mens tantæ ſibi conſcia Culpæ.
At quamvis mediis hinc atque hinc numina votis
Æqua forent, tantaſque regat ſors molis habenas:
Non tamen eventu rerum ceſſabitur æquo.
Si quid enim valet armorum experientia, ſi quid
In Marte ingenium, virtuſque, animuſque pericli

Contemptor, nullique obnoxia corda pavori,
Vinces Sancte ſenex, vinces Leo, tuque rebelles
Disjcies late volucrum Regina catervas,
Queis tantum furor, & rabies, ſed pectus egenum
Virtutis, patrioque animus algentior Hebro.
Horrendum fuerat, & formidabile nomen
Barbaricum, multos ad ſæcula noſtra per annos:
At nunc, ſi qua prius fuit hujus gloria gentis,
In ventos abiit, turpique eſt obruta labe.
Vidimus Iſmarii, vireſque omnemque Tyranni
Virtutem, quum Pannonios penetravit in agros
Mente furens, totum quo ſecum traxerat orbem.
Quotquot ab Auroræ regionibus ad freta Rubri
Æquoris, extremis quotquot numerantur ab Indis
Uſque ad Hyperboreos ſinuoſo tramite montes,
Immanes populi, quotquot rigat Amphitrite,
Syrtibus à geminis, & littoribus Nabathæis
Ad Tanaim; rurſuſque alio ſe margine curvans,
Donec in Hadriacas ſua brachia porrigat undas,
Convenere omnes: nec cernitur obruta tellus
Sub pedibus, tantas nec quis numerare catervas
Sufficeret, Libycas potius numeraret arenas:
Omnibus his animi immites, & pectora bello
Prompta ſatis: ſed enim rudis indigeſtaque turba
Conſilii, & rationis inops, non ſtringere ferrum,
Non inferre gradum, nec ſcit pulchro ordine juſſo
Stare loco, premit & premitur, ſeque implicat ultro.
Contra autem, magni clarum qui Cæſaris agmen
Cerneret, humanæ nihil illic artis ineſſe,
Omnia ſed ſuperum manibus curata putaret.
Illic Auſoniæ bello delecta juventus
Ingentes animos, & fortia pectora pandens,
Hiſpanique Duces, quos Martia gloria cœlo
Extulit, æternumque dedit tolerantia nomen,
Et Rheni gens clara armis, & vincere ſueta,
Sive mori, nulli eſt victo cura ulla ſalutis,
Omnes aſſueti bellis, fulgentibus omnes
Septi armis ſtabant, quiſque ad ſua munia, juncti,
Or-

Ordine diſpoſiti ductorum juſſa tenentes.
Flexit inops animi trepidas Solymanus habenas
Non auſus tentare novi diſcrimina Martis,
Cuncta timens, ſolitoſque aliis mutavit amictus,
Ignotuſque ſuis patrias aufugit in oras:
Terga dedere ſuo vacuæ ductore catervæ;
Et quo quem fortuna tulit, ſine lege, ſine armis
Palanteſque vagique ſuas referuntur ad oras;
Profuit hybernis fugientibus imbribus auctus
Danubius gelidæque nives tenuere ſequentes,
Quos tum laudis amor longe ad majora tuliſſet
Facta, modum reliquis forſan factura periclis.
Sed vetuit fortuna, Deuſque, ut Cæſar habere
Poſſet ubi innumeris ſeſe exercere triumphis;
Tunc, ubi nulla data eſt optatæ copia pugnæ,
Protinus Heſperias vertit ſe victor ad oras
Cæſar, & Iſmario ſtatuit de Rege trophænm,
Cœlitibus, meritoſque aris indixit honores.
Parte alia impatiens irarum Cæſar in undis
Eventum renovare parat, miſſiſque repente
Claſſibus innumeris incautos opprimit Afros,
Atque hinc ingentes ubi erant Carthaginis arces
Haud procul, antiquum ſub proditione Tunetum
Occupat, & patrio pulsum ſecedere regno
Cogit, amicitiæ prætenſo nomine Regem,
Et longa exilia, & longinquas quærere ſedes.
Non tulit hoc Cæſar, ſubito ſed comparat omnes,
Quas habet in ditione rates, citiuſque relatu
Eiicit infeſtos Libycis de finibus hoſtes,
Disjecitque mari claſſes, atque ignibus hauſit,
Multaque (quod longe ante alia eſt memorabile facta)
Millia captorum, quos ſæva compede vinctos
Barbarus obſcura clauſos in rupe tenebat;
Molibus everſis quæ carceris oſtia duri
Undique cingebant, ſuperas eduxit ad auras:
Et quot nec votis poterant ſperare ſolutos,
Muneribuſque graves patrias dimiſit ad urbes;
Ipſumque extorrem parvo poſt tempore Regem

Advocat, & ſceptrum lætanti reddit avitum.
Non fuit Iſmario toties tentaſſe Tyranno
Fortunam ſine laude ſatis; ſed rurſus in arma
Fertur, & inſano bellorum flagrat amore:
Ac, veluti Herculeæ reparatur bellua Lernæ,
Majores reparat terraque marique catervas:
Obruit arva viris, & totum claſſibus æquor,
Quot neque Threiicias Xerſes traduxit in oras,
Per medium cum navit Athon, neque littore ab Indo
Demens Leucadiæ traxit Cleopatra ruinæ.
Miratur Triton, imis Neptunus in undis
Extimuit ſortita rapi ſibi jura tridentis;
Et celer Herculeas aufugit ad uſque columnas.
Jamque animo totum terrarum concipit orbem
Barbarus, haud fidei memor, & rectumque piumque
Spernit, & incautos neglecto fœdere pacis
Aggreditur Venetos, Phæacumque obſidet arces,
Et late ferro populatur, & ignibus agros,
Quodque poteſt genus omne mali Phæacibus infert.
At contra Veneti, quum ſe videre nephando
Marte peti, toto extemplo conamine nixi
Inſtruxere ſuas quotquot potuere Carinas.
Illic Euganei convenit turba Timavi
Vincere ſueta mari, volucreſque æquantia curſu
Roſtra Liburna notos: nec non Mavortia pubes
Illyriæ manus æquoreis aſſueta triumphis,
Illic Dictææque rates, quibus omnis in armis
Gloria, difficilique arcu, levibuſque ſagittis.
Adjungit ſeſe ſocium, cui credita mundi
Cura, caputque datur triplici irradiare Tyara.
Nec Cæſar negat auxilium. Venere tenentes
Sceptra maris Ligures, necnon Trinacria pubes,
Et Melitæa Rhodos veterem mutata figuram:
Tum, qui nubivago Balearica littora plumbo
Nota colunt, herbaſque legens Sardous amaras;
Quoſque Pyrenæis Hiſpania miſit ab oris,
Quam Bætis, quam findit Anas, & major Iberus,
Et Tagus auriferis quam nobis irrigat undis;
Qui

Qui ſinuoſa colunt Tyrrheni littora ponti,
Venerunt ad juſſa alacres ſub nomine magni
Cæſaris. Iſmario cecidit ſpes fracta Tyranno;
Extemplo rapit inde fugam, curſuque citato
Navibus, infandum! amiſſis, ſparſiſque per æquor
Threicias refugit formidine victus ad undas.
At vos, quos ſancto junxerunt fœdere Divi,
Tuque adeo Cæſar, cui ſe fortuna perennem
Dat ſociam, virtuſque Ducem, cui terra fretumque
Et conſpirati famulantur ab æthere venti:
Namque tuis meritis hic, qui nos continet unus,
Non ſatis orbis erat: alias tibi numina terras
Atque alium tribuere orbem, quem cœlifer Atlas
Neſcit, & a ſummo Phœbus miratur Olympo;
Unde tibi pleno cœleſtis copia cornu
Advehitur, magnumque argenti pondus & auri,
Divitiæque aliæ, & quicquid natura creavit.
Ite alacres, properate citi: nil veſtra moretur
Arma Deis ducibus: nobiſcum Faſque piumque
Et pietatis amor, cauſæ & melioris honeſtas:
Et tandem plenis veniet victoria velis.

IN MORTE LUDOVICI PONTANI.

Calidorus, & Arganthus Paſtores.

Cal. Aſpicis, ut ſaturæ ludant per prata Capellæ,
Nec dulcem Cythiſum, aut Salices paſcantur amaras,
Arrectiſque canes ſtent auribus: omnia circum
Tuta vides: tu neſcio quid miſerabile triſti
Fronte foves, duciſque alto ſuſpiria corde.
Quin age, dum lætas hæc populus efficit umbras,
Et Zephyri movet aura nemus, tenuique ſuſurro
Præteriens vitreis Bithynius obſtrepit undis;
Cantando æſtivi fugiamus tædia Solis.
Sentiat Illyricus poſt ſæcula multa Leontes,
Vermanuſque pater, quod Mænalus ante ſolebat
Partheniuſque audire ſui Corydonis ab ore.

Mi-

Mirenturque ſuos, ſi qua eſt ea fama, nepotes,
Hadriacum nemus Arcadicis obtendere Sylvis.
Arg. Ergo ego fluminceæ florenti in margine ripæ
Silveſtri lætum carmen modulabor avena.
At tu noſter amor, tu noſtræ gloria gentis,
Immiti abſumtus fato Pontane jacebis;
Munera nec gelido dabimus ſuprema ſepulchro?
Non ſum adeo veteris Calidore oblitus amici,
Nec me adeo immemorem fecerunt gramina Lethes,
Ut non ſpiret adhuc cineris mihi ſemper amati
Gratus odor, teneatque meæ clauſtra intima mentis.
Quin potius Pontane tuos repetamus honores:
Tertia namque ſubeſt, poſtquam te amiſimus, æſtas,
Ter ſine te pingues lacubus calcavimus uvas,
Occidis ante diem, medioque abreptus in ævo
Occidis heu nimium cœlo confiſe maligno:
Nam, te dum chari trans æquora vaſta vocaret
Fratris amor, propriæ nulla eſt tibi cura ſalutis.
Sed ruis ignotæ in manifeſta pericula terræ:
Neſcio quam Veneris Paphon, & vix cognita fama
Cypria regna petis: non illic commoda terræ
Temperies, non deliciæ, celebrataque priſcis
Otia carminibus, ſed noxia ſidera cœli,
Et quæ perpetuis male ſint toleranda colonis:
Tu tamen incautus dilecti fratris amore
Raptus abis, fratremque tuis complexus in ulnis,
Et fratrem pariter, & dulces deſeris auras:
Exin nec læti ſoles nec candida nobis
Ulla dies fulſit, nec denſas porrigit umbras,
Nuda ſed amiſſis rareſcit ſylva capillis.
Jam neque floret ager, neque jam redolentibus herbis
Vernat humus, nec, ut ante, colunt hæc prata Napææ:
Quinetiam ſolitas tellus negat arida fruges,
Horrenteſque rubos, & ſpiniferum Paliurum
Pro molli viola, pro ſuavi nutrit acantho.
Interitu Pontane tuo ingemuere leones,
Hircanaſque ferunt fleviſſe in funere tigres:
Quin & lanigerum nullas pecus attigit herbas,

Nec

Nec quadrupes turbavit aquas, & gramine ſueto
Abſtinuere boves: tecum Pontane tuliſti
Gaudia, deliciaſque omnes, tua funera fontes
Et vitrei flevere lacus, his ipſe notavi,
His oculis his ipſe oculis, quum volveret atras
Gurdus aquas, majorque ſuo Bithynius alveo
Obrueret latos ipſis cum frugibus agros.
Et ſecum noſtros traheret ſata læta labores;
Quin etiam celſi nemoroſa per antra Leontis
Vermanique alto fleverunt vertice Nymphæ.
Cal. Hoc erat aërea quod nuper ab arbore turtur,
Quæ mediis Pontane tibi conſurgit in agris,
Neſcio quid querulum gemeret: nāque una ſuperſtes,
Una tuo nuper plauſus enata ſepulchro
Læta fronde viret, rapido non pervia ſoli.
Turtur ad inferias, turtur nos ille vocabat.
Arg. Inferias Pontane tibi cape munera Muſæ
Parva meæ, ſpargat violas, emittat acanthos:
Fundat humus varios, quot habet novus annus odores,
Floret huic tumulo tellus, huic germinat arbos:
Dignus erat cui vernet humus, cui germinet arbos,
Pontanus, qui naturæ nos abdita primum
Edocuit, quæ ſigna imbres, quæ ſidera ventos,
Quidve ferat noctes hyeme aut æſtate ſerenas,
Cur tumeant fluctus, rurſus cur unda reſidat,
Qualis alat magnæ vigor intus Tethyos undas,
Unde ſuos habeant ortus vaga flumina, quo ſit
Avertenda modo præſtigia, multaque nobis
Docta ſui monumenta dedit, ſed pauca tenemus.
Ipſe mihi memini quoties Calidore ſolebat
Dicere, nocturnas converſus ad aſtra per umbras,
Diſce puer quid fata ferant, viden' horrida Martis
Sidera, ut enſiferi Sydus ſecat Orionis?
Falciferoque Seni nimboſos copulet ignes
Hœdus, & Icarium Phœbo ſupereminet aſtrum?
Hæc bellum duramque famem morboſque minantur
Affore, & innumeras terrarum ſigna ruinas.
Felices, qui noſtra colent hæc rura, nec ullos
Ar-

Armorum ſtrepitus, non claſſica rauca timebunt.
Vos inter ſylvas, atque inter paſcua nota
Paſcite oves pueri, celſas furor impius urbes
Concutiat: vobis ſint hæc nemora avia curæ.
Cal. Non ſic Orpheos mirata eſt Thracia cantus,
Aut Aracyntheæ cantantem Amphiona rupes,
Ut tua Dalmaticæ mirantur carmina ſylvæ.
Cernis, ut omne nemus motis ſua gaudia ramis,
Teſtetur? non te moriens Arganthe canentem
Carmine vincat olor, ſed jam naſcentia rauci
Sidera ſomnifero Grylli ſtridore ſalutant.
Surgamus, lætiſque domum repetamus ab agris.

FRAN-

FRANCISCI PATRICII

SENENSIS.

De Chriſti Natali, ad Pium Secundum Pont. Max.

Collocutores. Lycidas, Menalcas, Nuntius, Joſeph.

L QUid modo concubia meditaris nocte Menalca,
Sedulus ac cœli tract[illegible], [illegible]x ſidera ſervas?
Exigis inſomnis prælonga ſilentia noctis;
Te neque permulcet ſomnus pars optima vitæ.
M O Lycida, gelidi relegebam ſigna Bootæ,
Fulgentem Arcturum ſubter præcordia, & illa
Quæ docuit quondam Mœris præſagia vitæ,
Velleribus niveis adoperta cacumina cernes
Cras, niſi me vani fraudarit dogma Magiſtri.
Sed tu nocturnis tandem quid vepribus erras?
L Bucula laſcivi fugiens contagia Tauri
Delituit ſylva? vix multa ego nocte redegi.
Algidus, eſuriens, nunc ſera Mapalia quæro,
Quandoquidem extinctos jamdudum contuor ignes.
M. En tibi Vulcanum magnæ de robore quercus:
En tibi fiſcellam: cerealia munera ſume
En quoque caſeolos: ſervetur bucula ſeptis:
Huc ades, interea mecum ſpectabis Olympum,
Vel feſſus molli poteris requieſcere culmo,
Dum Phaëtontis equi perfundant lumine campos.
L Muneribus tantis ſervas me, chare Menalca,
Non ſecus ac dulces natos fovet anxia mater.
Dii tibi fortunent meſſem, pecuaria, natos,

Et modo perpetuos Jordanis præbeat hauſtus,
Dulcia corticibus ſtillent tibi nectare mella,
Incultique etiam ſudent opobalſama ſentes.
Tu tamen interea gelidos ediſce Triones.
Ante focum panis languentia membra fovebit.
M. Auguror, en magni quicquid nutantia cerno.
Sidera præcipitant lapſus, ſtellæque coruſcant
Uſque adeo, ut tremulos credas ardere cometas.
Volvitur Eridanus, flammataque cornua tollit;
Proſilit, & rutilat Draco; quin furit ardua patrem
Andromede fugiens, fidicenque exſultat Arion.
Spicula contorquet Virgo; micat uſque Corona.
Ah te quid moror, o Lycida? ruit undique Cœlum.
Ah ego ne flammis uratur mundus iniquis.
Dii, Maria, Oceani, laticeſque invergite Averni.
Audieram quoſdam magicas vulgaſſe per artes
Venturum in cinerem Mundum, cum Juppiter igni
Æthereo miſſus magnos exuſſerit orbes.
Heu redit ecce chaos; pluet igni, ac ſulphure; magna
Intremit en tellus, pavido & ſudore madeſcit.
Huc ageſis, Lycida, amplexi moriamur in unum.
L. Bucula ſic fauſtum ſuſpectat lumine Cœlum,
Succubuitque genu, veneratur & magnum Olympum,
Sunt & oves genibus flexis, & numen adorant;
Protinus intonuit Cœli jam parte ſiniſtra.
Omnia quæ quondam noſtri dixere benigna;
Ne trepida: Deus uſque, Deus, miſerebitur; ecquid
Æthereo dilapſa polo Cyllenia proles
Devolat? agnoſco faciem; rutilumque capillum,
Sed dexter pedibus talaria gemmea quiſquis
Sis, precor o felix: cœleſtis Nuntius aulæ.
Ecce venit: referet ſummi mandata Tonantis.
Horreo flagrantes oculos, vultumque coruſcum,
Nec proferre aciem poſſum: tremebunda labaſcunt
Membra gelu, trepidis nequeo conſiſtere plantis.
Quo falſa attoniti ruitis formidine? quonam
Paſtores fugitis torpentes? ſiſtite læti
Et quæcumque metu poſito Deus æthere ſummo
Nun-

Nuntiat, intentis ediſcite mentibus ultro.
Progeniem omnipotens miſeratus crimina Mundi
Dimiſit Cœlo, magnique potentia Patris
Unica Natus erit rerumque accepit habenas,
Cui Maria, & Cœlum, tellus, Acherontia templa
Parebunt, Chriſti nomenque verebitur omnis.
Hunc peperit Virgo, & numquam polluta virili
Congreſſu, verbo divini Numinis aucta.
Hujus in adventu exultantia cernitis aſtra,
Omnigenumque pecus, terram,.Neptunia regna.
Vana ſuperſtitio cecidit, ſimulacraque falſa
Lapſa caduut Chriſtum verum teſtantia numen.
Nunc tranquilla quies, nunc pax erit inclita terris,
Aurea compoſito redeunt nunc ſæcula Mundo.
Ite igitur ſanctum venerantes diſcite Numen.
Lumine ſtella micans, facili vos limite ſiſtet.
O Cœli interpres, o vox prænuntia Divûm,
Audi paſtores: alarum comprime nixus,
Reſpice tendentes ad ſidera reſpice palmas,
M. Heu fugit, ad ſuperas volitanſque evanuit auras.
O Lycida & noſtras voces fruſtratur inanes.
Heu fugit, incæpto ſic nos ſermone reliquit,
Ut ſolet ex ſiccis depulſam faucibus agnam
Uberibus matris ſitientem linquere paſtor:
L. Præſtat nunc mandata ſequi: quærenda, Menalca,
Eſt via, qua ſuperi Regis veneremur alumnum:
En tibi promiſſum ſidus, veſtigia noſtra
Duxerit, errantes monſtrat per devia calles:
M. Ocius at propero, nec me res ulla moratur,
Quin te magne Deum quæram, caſtamque parentem.
Annua jamque tibi vigilabitur hoſtia ſeptis
Pinguior e noſtris, ſertiſque ornabitur ara.
Ipſe ego præfulva mactabo fronte juvencum,
Mella feram calathis, Panchæo thure litabo.
Hic erit ille Deus, quem dicunt ſcribere Moſen
Paſtores, regum regem, Divûmque potentem.
Dixerat Alcidamas vocem ſenſiſſe per umbram
Clamantis, rerum Dominum cognoſcite gentes.

Aſt ego nunc memini Mœrin dixiſſe Sibyllam
Fatidicam, dederat mentem cui clarus Apollo,
Euboicum ſtimulante Deo ceciniſſe per antrum,
Progeniem cœlo quondam demittier alto,
Qua redeat priſcum Mundus victurus in aurum.
Hic puer æterni referens mandata Parentis
Delectos proceres cœleſti rore rigabit;
Aſtræam referet terris, caſtamque ſororem,
Et frontem glaucâ redimitam prorſus olivâ,
Pacem, quæ miſeris nunc eſt vix cognita terris.
Hic quoque Tartarei portas effinget Averni
Inſonteſque animas ſanctorum reddet Olympo.
Dixerat hæc Mœris, memini: nam cetera mentem
Heu Lycida noſtram fugiunt, hanc ille canebat
Progeniem æterno divinam Numine cretam.
L. Deſine plura modo, & ſpeculam conſcende Menalca.
Eja age nunc propera: fulgentia tecta videbis
Ignibus haud noſtris fumoſis: lampade cœli
Illa micant ſuperi; prætendunt lumina dextris,
Aſpice ſemideos manes quos ardua Virtus
Donavit Cœlo volitantes culmina circum;
Cœlicolæ famulantur enim, pia turba miniſtrat.
Hinc referunt violas, aſt imbres ille roſarur
Spargit: perpetuo vernant convexa Tonantis.
Maturare viam præſtat, viſendaque ſancta
Eſt hominum, Mundique quies, divûmque propago.
Sed qui nunc aditus nobis, quive oſtia pandet?
Pro foribus felix obſervat lumina Joſeph.
O dilecte ſenex ſuperis, o Janitor almæ
Uſque domûs juſſu Divûm, venientibus adſis.
Nunt. O fortunati Paſtores, cernite regem
Æthereum, genuit ſummi quem conditor orbis,
Et paſtorali peperit ſub culmine Virgo.
Ponite vota Deo, & caſtæ procumbite Matri.
Hinc vitam vobis, fata & meliora petatis.
Nam dabit hic requiem feſſis, atque otia Mundo.
L. M. Alma Dei ſoboles, divorum maxime Jeſu,
Terrarumq; cœlique decus, hominumq; redemptor,
Re-

Reſpice ruricolas paſtores Numine juſſos
Huc properare ſacro, & noſtris nunc vocibus adſis.
Pabula da læto pecori, fætumque feracem,
Frugibus & gravidas meſſes: quin ruris alumnis
O bone da facilem victum, longævaque fata,
Noſtraque felicem comitentur tempora pacem.
Tu tamen ante alias longe Sanctiſſima Virgo
Rectorem connixa poli, nunc annue votis.

Jos. Iſte animo intrepido firmavit ſingula vobis
Ecce Deus, riſu facili, quo temperat aſtra,
Atque ſerenato depellit nubila cœlo.
Ite alacres igitur; communia gaudia cunctis
Pandite, paſtores, Natumque edicite Chriſtum.

FABII PAULINI.

De victoria navali Senatus Veneti, contra Turcas.

VIderat adducta Neptunus in æquora Claſſe
 In ſua velle Scytham ponere regna pedem;
Tunc ait uxori quales temeraria fratris
 Nata olim pœnas Laomedonte dedit;
Cecropiæ aut nepti quales Colophonia Arachne,
 Aut quales Vati Marſya Pierio;
Tu quoque, Turca mihi tales dabis improbe pœnas;
 Accipe venturæ nunc monumenta necis.
Dixerat, & magnum dextrâ rapit inde tridentem,
 Et pelago claſſem ſubruit ille ſuam.

De eadem.

Ut quondam indutus vultum, exuviaſque Leonis
 Terrori cunctis turpis Aſellus erat;
At ſpolio nudatus, heroque recognitus ipſo
 Ridetur cunctis, quem timuere prius:
Sic Turca, Heſperias qui dudum terruit Urbes,
 Chriſticolas bellis in ſua fata trahens,
Nunc jacet amiſſa Naupacti in littore claſſe,
 Ridiculus cunctis, queis metuendus erat.

ANTONII PERCINI.

Ad Julium Caſ. Scaligerum.

DUm gravis Heroos molitur Cæſar honores
  Et ſua cuique ſerit facta, genuſque Duci,
Ipſe ubi ſit dubito: Genios nam verſus in omnes
  Haud una meruit ſede tenere locum.

ANTONII PERONII

FLORENTINI.

Ad Ægidium Menagium.

DEſcende Pindi vertice, Lesbium
  Dictura mecum, Melpomene, meios,
  Pulcherrimam qua Galliarum
    Sequanicus rigat amnis Urbem.
Docto canendus nunc mihi carmine,
  Lux Galliarum, Menagius meus:
  Qui vos colit; quem vos amatis;
    Qui Superis, & amicus imis.
Hunc, ceu perennis vis ſuperantium
  Ripas aquarum, plura per oſtia,
  Nilum in procelloſos ruentem
    Æquoreos jubet ire campos;

Vis magna mentis, venaque nobilis,
  Totumque veſtri plenum, & Apollinis;
  Per ſaxa deſertaſque ſilvas,
    Expediunt ad amœna Pindi.
Nam ſive Græcis, ſeu Latiis modis,
  Heroas aſtris condere, ſeu faces
  Cantare Cyprias Etruſca,
    Aut patria properat loquela;
Regina ut ales, deſpiciens humum,
  Fertur ſupremum clarus ad æthera:
  Non dente livoris premendus,
    Non Stygia rapiendus unda.
Sed quid meis te verſibus Ægidi,
  Laudare tento? quid dare lintea
  Tam parva vaſtum per æquor,
    Artis inops, viduuſque remis?
Dicêris uno Vate Renerio,
  Summo Latini carminis alite.
  Ni Gallicâ malit Camœnâ
    Aut fide te celebrare Ibera;
Seu (qua ſtupendus) cogitet Itala;
  Namque hac ſtupendus his quoque Vatibus,
  Qui pulchra nati ſunt ad Arni,
    Qui Tiberis rapida ad fluenta.
Utrumque veſtrûm ſoſpitet, ah precor,
  Ridens benigna luce dieſpiter:
  Claroſque vos fortuna longum
    Servet, & incolumes, per annos:
Ut clara noſtri nomina ſæculi:
  Ut clara veſtri prœlia Principis;
  Ut cuncta terrarum canatis
    Francigenûm Imperio ſubacta.
Victoriarum hæc neſcia gens vagum
  Tardare curſum: ipſa addere geſtiens
  Belgas triumphatos paternis
    Finibus, imperioque Gallo.
Nil Gallicæ non efficient manus,
  Quas Gallicani gloria nominis

Intendit, invictuſque ducit
In medios Lodovicus hoſtes.
Sed quo, triumphos, Muſa, per inclitos,
Incedis audax? deſine, deſine
Tam grande nomen, tam verendum,
Deterere ingenio impotenti.

JO: AMBROSII PERSONÆ

Ad Petrum Bembum Cardinalem.

DUm nitet eloquio, rubro dum ſplendet amictu,
Purpuream Petrum quis neget eſſe roſam?
Eſt roſa, dum loquitur, redolet ſic namque diſertus,
Eſt roſa purpureus, ſic roſa namque rubet.

NICOLAI PESSINI

LUCENSIS.

De Pompejo Arnolphino.

URis medullas qui juvenum intimas,
Amor, papillis quid roſeis lates?
Duciſque rejectus quietos
In Veneris gremium ſopores?
Viſco volucrem fallere quid paras,
Complet querelis quæ liquidis nemus?
Quid junceis clauſam Cupido
Viminibus, digito laceſſis?
Te cura talis nunc (miſer ah miſer)
Tenet micellum? ſic teris ocia?
At occupat ſitus pharetram,
Et calamos, variumque ceſtum.
En terra vernat: cernis ut emicat
Longe capillis Delius aureis?
Laſciviunt hœdi ſub umbra
Propter aquæ fluvium ſalubris.
Te nunc puellæ, te pueri vocant,
Tibi corollas floribus implicant:
Dormis, eheu, dormis coma, atque
Longa nitet religata myrto.
Sed ſurge, ſurge, & terge oculos manu;
Surge; heu Lyæo num madidum pudet
Oblivioſo, te ſerenas
Ad medias recubaſſe luces?

Jam

Jam ſume cornu: ſume faces Amor:
  Infecta amaro jam cape ſpicula
  Abſynthio; quæ melle circum,
  Sed leviter, Cytherea ſparſit.
Tela in protervos mitte juvenculos,
  Accende molles igne puellulas,
  Arctè revinciens amore
  Inſtabiles animos tenellos.
Arcus juventam ſpernere non decet
  Tuos, Aprilis cum tepidus redit:
  Eſt turpe non tuos fovere
  Igniculos penitus puellam.
Miratur altos. aſpice, vertices
  Pompejus Hæmi, proximus aſſidens
  Apollini; & ducente Baccho
  Pierios adit ipſe fontes.
Nec ictus umquam vulnere adhuc tuo,
  Collumque ſævo non domitus jugo,
  Et Pana lætus, & jocoſum
  Antra docet reſonare Jacchum.
Cantat furentis munera Liberi,
  Cum vina truncis, mellaque decidunt:
  Sed arma, quæ vibras lacertis,
  Arma diis metuenda temnit.
Huic ergo blandas iniice flammulas,
  Huic uſque lentus pectore inhæreas,
  Et coge crines, coge ocellos
  Hunc dominæ celebrare dulcis.
Quod ſi feroces incutiunt tibi
  Vultus pavorem, nectite vincula,
  Jam dulce dormienti in herba,
  Tuque Amor, & quæ Amathunte regnas.
Sed quid ſupremos, quidnam ego cœlites
  Docere conor? quo mea pervicax,
  Quo Muſa tendis? non levem te
  Muſa decet monuiſſe divos.

Epit. Julii Bruti.

Ætatis nuper pulchrum ver lætus agebat
  Muſarum caſto Julius in gremio:
Nunc jacet hîc eheu, veluti flos tactus aratro:
  Non jacet hîc inquam: Phœbus ad aſtra tulit.

Ejusdem.

Lætitia urbis erat vivus modò Julius, at nunc
  Mortuus æterni cauſa doloris erit.

De Gratiis.

Cœleſtes Charitum quondam dum forte lavantur,
Subripuit veſtes, abiitque Amor, haſque reliquit
In foribus nudas, caſtoque pudore rubentes.

FRANCISCI PETRARCHÆ
FLORENTINI.

Ad P. Virgilium Maronem Partheniatem.

ELoquii ſplendor, Latiæ ſpes altera linguæ,
Clare Maro, tanta quem felix Mantua prole
Romanum genuiſſe decus per ſæcula gaudet,
Quis te terrarum tractus, quotus arcet Averni
Circulus? an raucam cytharam tibi fuſcus Apollo
Percutit, & nigræ contexunt verba ſorores,
An pius Elyſiam permulces carmine ſylvam,
Tartareumque Helicona colis Pulcherrime vatum?
Et ſimul unanimis tecum ſpatiatur Homerus,
Solivagique canunt Phœbum per prata Poëtæ,
Orpheus ac reliqui, niſi quos violenta relegat
Mors propria conſcita manu, ſævique magiſtri
Obſequio, qualis Lucanum in fata canentem
Impulit, & venas medico dedit ille cruento,
Supplicii graviore metu, mortiſque pudendæ.
Sic ſua Lucretium mors abſtulit, ac ferus ardor
Longe aliis, ut fama, locis habitare coëgit.
Qui tibi nunc igitur comites, quæ fama. libenter
Audierim; quantum vero tua ſomnia diſtent
Et vagus Æneas portâque emiſſus eburnâ.
An potius cœlo regio tranquilla beatos
Excipit, ingeniiſque arrident aſtra ſerenis?
Poſt Stygios raptus, ſpoliataque tartara ſummi
Regis ad adventum, magno certamine victor

Im-

Impia quæ preſſit Stigmatis limina plantis,
Stigmatiſque potens æterna repagula palmis
Fregit, & horriſono convulſit cardine valvas?
Hæc ego noſſe velim, tu mundo ſi qua ſilenti,
Umbra recens, noſtrâ venient tibi forſan ab orâ.
Quis tua cara tibi loca nunc, totidemque libellos
Exitus excipiat, noſtris ſimul, accipe verbis.
Parthenope infelix rapto gemit orba Roberto,
Multorumque dies annorum ſuſtulit unus
Proſpera; nunc dubiis pendet plebs anxia fatis,
Innocuamque premunt paucorum crimina turbam.
Optima finitimo quatitur ſine fine tumultu
Mantua, magnanimis ducibus ſed fulta recuſat
Invictâ cervice jugum, civilibus uſa
Illa quidem Dominis, externi neſcia regni.
Hic tibi compoſui quæ perlegis, ocia nactus
Ruris amica tui, quonam vagus avia calle
Tuſca ſequi, quibus in pratis errare ſoleres,
Aſſiduè mecum volvens, quam fluminis oram,
Quæ curvi ſecreta lacus, quas arboris umbras,
Quas nemorum latebras, Colliſque ſedilia parvi
Ambieris, cujus feſſus, ſeu ceſpitis herbam
Preſſeris accubitu, ſeu ripam fontis amœni,
Atque ea præſentem mihi te ſpectacula reddunt.
Quæ patriæ fortuna tuæ, pax quanta ſepulchri,
Audiſti; quid Roma parens, hoc quærere noli;
Hoc melius neſcire puta: melioribus aurem
Ergo adhibe, & rerum ſucceſſus diſce tuarum.
Tityrus ut tenuem ſenior jam perflat avenam,
Quadrifido cultu tuus ut reſplendet agellus,
Ut tuus Æneas vivit totumque per orbem
Et placet & canitur, tanto quæ ad ſidera nixu
Tollere conanti mors obſtitit invida magnis
Principiis; miſerum Æneam jam ſumma premebant
Fata manu, jamque ore tuo damnatus abibat,
Arſuruſque iterum: pietas Auguſta ſecundis
Eripuit flammis, quam non morientis amici
Dejecti movere animi, meritoque ſupremas
Con-

Contempſiſſe preces ævo laudabitur omni.
Æternum dilecte vale, noſtroſque rogatus
Mæonium, Aſcræumque ſenes ſalvere jubeto.

Ad eumdem.

Felix o, cui vel viduam ſpectare parentem
Contigit atque vagas deſerto in monte ſorores.
Vidiſti quod mundus iners, quod vulgus avarum,
Poſteritas quod cæca nequit, ſpectacula raro
Ingeniis permiſſa ſacris, tot milia rerum
Tot curas, formaſque hominum, ſpecieſque laborum
Cernere ſub pedibus poteras tranquillus ab alto.
Me procul in tenebris per devia longa viarum
Errantem vidiſſe fuit; ſed traxit amatæ
Frondis honos, libuitque ſequi quem jure licebat
Spernere Pierias auſum decerpere lauros.
Fortior ignavum miles ſic ſigna ferentem,
Doctus inexpertos obſervat Nauta magiſtros,
Propoſiti tamen egregii, votique modeſti.
Quiſquis es, in noſtrumque adeo propenſus amorem,
Te lætè cupidiſque animi complectitur ulnis.

Ad Rainaldum de libero pago Veronenſem Poëtam.

Eſt Puer hîc nobis lætis demiſſus ab aſtris,
Atque Moſæ ad ripam genitus teneriſque ſub annis
Sequanæ altus aquis, Rhodani nunc hoſpes ad undam,
Acceptus Muſis, digito doctiſſimus omnes
Organicos miſcere modos, curaſque nocentes
Pellere pectoribus, ſilvaſque impellere cantu,
Siſtere præcipites pluvias, compeſcere ventos.
Hunc ego poſt patrios amnes, ut amœna viciſſim
Flumina noſtra bibat, Atheſimque, Padumque parentem
Hortor, & Auſonia, duce me reſpiret in ora;
Pollicitis precibuſque animum flexiſſe videbar,
Spes titubat, majore minor, poſtquam attigit aulas
Pon-

Pontificum, celebrat quos cardine Roma coruſco,
Conſilii ſubſedit inops, quo tramite vergat,
Hæreat has inter gazas, auriuque nitorem,
Noſne fidemque ſequi noſtram velit: inde nivalem
Horret, & aëriam ſaxoſi verticis alpem,
Ac putat Italiam toto diſtare profundo.
Hinc requies permiſſa trahit, terraſque videndi
Famoſas impellit amor: juvenilia quorſum
Conſilia evadant dubium: tibi funditus ipſe
Perſuade, nil hoc, animi, modulante, tumultus
Juris habere ſui; pax eſt ubi juſſerit ille:
Gaudia ſub digitis habitant dulcedine mira,
Vincuntur triſtes, & vertunt terga querelæ.
Si ſequitur, mulcebit agros, & paſcua latè
Eridani, veſtroſque lacus, fonteſque decoros
Quos parit, & vitreo mittit mons aureus amni.
Te tamen ante alios curis abſolvet amaris,
Solamenque feret ſtudiis, calamumque juvabit.
Judice te, Philomela ſibi jam luce propinqua
Cedet inexpletos, juvenis dum cantat, amores,
Cedet olor cantu ſenior jam morte ſub ipſa.
Nubila diffugiunt Cœlo, pelagoque procellæ;
Parcius electrum flentes ſtillare ſorores
Incipient, fratriſque minus meminiſſe ruinam.

Ad Guillielmum Veronenſem Oratorem.

Turbida nos Urbis ſpecies, & dulcis amœni
Ruris amor tulerat vitreos inviſere fontes.
Mirandumque caput Sorgæ, quod vatibus ingens
Calcar, & ingenio generoſas admovet alas.
Hic ubi te mecum convulſa revolvere ſaxa
Non puduit, Campumque ſatis laxare malignum.
Vernantem vatis videas nunc floribus hortum
Natura cedente operi: pars amne profundo
Cingitur, at partem præruptis rupibus ambit
Mons gelidus, calidumque jugis obverſus ad auſtrum.
Hinc medio ruit umbra die, pars nuda tepenti

Por-

Porta foret Zephyro ; ſedet hinc procul arcet agreſtis
Murus ab acceſſu prohibens pecudeſque, viroſque,
Aërias ſed enim ramis viridantibus alte
Litoreas volucres ſcopulis intexere nidos,
Has muſco velare domos, ſed frondibus illas,
Progeniemque inopem fidis trepidare ſub alis
Aſpicias, atque ore cibos captare trementi :
Concava tum querulis complentur vocibus antra,
Et color hinc oculos, illinc ſonus advocat aures
Certatim, dulci ſpectacula plena tumultu
Suſpendunt gratove quies condita labore.
Hic unus cum pace dies exactus aventi
Vix totus ; tot me laqueis, tot Curia curis
Implicat, id meritum, qui vincula nota libenter
Infelix, tritaque jugum cervice recepi
Nunc tamen illius juvat hic meminiſſe diei,
Dum latices, dum prata vagus, dumque inſita miror
Arbuta, dum lauros alia regione petitas ;
Obvia Guilielmi facies trunciſque, vadiſque,
Inque oculis tu ſolus eras, hoc aggere feſſi
Sedimus, has tacito accubitu conpreſſimus herbas,
Luſimus hic puris ſubter labentibus undis.
Hic longo exilio ſparſas revocare Camœnas,
Hic Grajos, Latioſque ſimul conferre Poëtas
Dulce fuit, veterumque ſacros memorare labores
Noſtrorum immemores, hic cœnam in tempora noctis
Traximus alterno pariter ſermone refecti.
Singula dum repeto, lux illa breviſſima furtim
Labitur, & Clauſa vix ſerò Valle revellor,
Faucibus egreſſus, cum jam ſilveſtria Tempe,
Umbroſoſque ſinus ſpectans poſt terga viderem,
Lucidus ac mecum ad lævam deſcenderet amnis,
Surgit ab adverſo vulgus muliebre, viriſque
Intermiſta acies, formæ diſcrimina longe
Nulla putes : habitum confudit Gallicus olim
Laxus, & ambigui texit veſtigia ſexus.
Congredimur magis atque magis, vultuſque pateſcunt,
Et vittæ tenues, et texta monilia gemmis,

Et crinalis honos, diſtinctaque purpura limbo,
Stellanteſque nitent digiti; propiuſque per agmen
Intuitus, ſolitæ poſt mutua verba ſalutis
Obſtupui: tuus ignis erat, tua cura, jocuſque.
O qualis facies; oculis habitare ſub illis
Viſus eras, ſalvere jubens, & prendere dextra,
Et mecum de more loqui: quo pergeret ultro
Percunctor comites: fontis quo fama vocaret
Reſponſum, ſed forte alio de fonte latenter
Cauſa petita viæ: quas non ſe vertit in artes
Ingenioſus amor! quid non didiciſtis amantes!
Forſan in his pridem tua noverat otia terris,
Et quia te nuſquam, veſtigia nota legebat
Te recolens, fingenſque tuos in imagine vultus.
Talis erat, ſic viſa mihi eſt, & quiſquis amaſſet
Diceret: hæc ardet; reducique occurrit amico.
Ibat enim cupide, ſtudioque accenſa videndi.
Lætior ac ſolito, & dulcedine capta locorum,
Tentavi reditum, quaſi te viſurus in illa.
Et jam verſus eram; tecum remeare putabam
Et voces audire tuas, & cernere geſtus:
Ut ſimiles ligat almus amor, negat illa: rigorem
Virginis Hæmoniæ Phœbo mirante videbar,
Aut indignantem Actæon ſpectare Dianam;
Si foret arcus ei, pendenſque in terga pharetra;
Arma ferunt oculi: dulces jacit inde ſagittas,
Spicula nota tibi, nec amantum incognita turbæ.
Digredimur tandem, veniens nox verba diremit.

Ad Joannem de Columna Cardinalem de Ruralibus curis ſuis.

Julius alter adeſt, adeat ſimul altera limen
Littera noſtra tuum, curas quæ narret agreſtes.
Quo tandem lis longa brevis pervenerit horti,
Quæ mihi cum Nymphis bellorum ex ordine cauſæ,
Cunctos noſſe reor, qua ſe mea carmine fama
Extendit, nomenque novi tulit aura poëtæ.

Aſpe

Aſpera jam luſtris certamina nempe duobus,
Crebraque conſerimus; non plures Troja per annos
Obſtitit, aut Grajûm ceptis, aut Gallia noſtris.
Omnia tentavi; ſpem quam mihi præbuit æſtas
Proxima fregit hiems, auctique potentia fontis,
Viceruntque operum faſtidia, ceſſimus ultro,
Reddidimuſque viam, ſcopuloſa repagula nuſquam,
Nuſquam indignanti tranſverſæ in flumine moles,
Ac convulſa ſonant rupis fragmenta vetuſtæ,
Unda tulit partem, partemque tulere Coloni,
Et novus antiqui labor impulit acta laboris.
Propoſitum ceu Navigium, moderabor, ut ipſa
Tempeſtas rerum hortatur, nunc urget in auſtrum
Nunc boream, ſeptemque jubet ſpectare triones.
Quo vocat illa ſequar, ne vi trahar, omnia fruſtra
Niſus in adverſum, proram diverſa monebo
Littora reſpicere, & ventis parere cerulchos,
Atque gubernaclum partes verſatile in omnes
Intenta frænabo manu: gratiſſimus olim
Ludus erat, querulas Nymphas cum murmure multo
Sedibus è propriis, & avito expellere Regno.
Annuus hinc labor, & bellum immortale favente
Bruma illis, æſtate mihi, cui mixta voluptas
Plurima moliri; captum dulcedine quadam
Compulit uſque adeo, quod ſcilicet infima ſummis
Et pelago anguſti componere gurgitis undam,
Ac regum, vatumque inopes conferre paratus.
Perſida ſic quondam navali ponte ſuperbus
Helleſpontiaco Xerxes trajecerat æſtum.
Sic etiam armipotens longo poſt tempore Cæſar
Cornua Brunduſii validis vincire catenis
Auſus, et edomito generum prohibere profundo.
Sic quoque Bajano temerarius æquore Cajus
Tertia conſtruxit tumidi ſpectacula faſtus,
Quæ nunc ſparſa vident Nautæ, numerantque: ſub alto.
Hîc Helleſpontus, Bajæ mihi, Brundusjumque.
Hîc ferro fodiendus Athos. nunc altera pectus
Cura ſubit: video Naturam vincere quantus

Sit labor, ergo ſuum ſervant elementa tenorem,
Amnis iter ſolitum; ſed enim brevis angulus hæret
Rupibus, ille quidem Nympharum ab origine ſedes.
Nunc mea, Pieridumque domus ſatis ampla, quod hoſpes
Adveniet rarus, ſordent quia Carmina vulgo;
Vitaque noſtra furor, ſub judice facta furenti.
Hanc modo vallamus, quàm nulla revellet aquæ vis,
Ni montem oppoſitum a radicibus eruat imis.
Si tibi cura animum dederit, ſi curia tempus,
Omnia mutato, noſtrum decus, ordine rerum.
Me Nymphis, Nymphaſque mihi, ceſſiſſe viciſſim,
Et cecidiſſe minas, compreſſaque bella videbis.
Retia nunc ſunt arma mihi, & Labyrinthius error
Viminea contextus acu, qui pervius undis
Piſcibus eſt carcer, nulla remeabilis arte.
Pro gladiis, curvos hamos fallacibus eſcis
Implicitos, tremulaſque ſudes parvumque tridentem
Piſcator modo factus ago, quo terga natantum
Siſtere jam didici, duroque affligere ſaxo.
Primitias en flumineæ tranſmittimus artis,
Et verſus, quod clauſa domus habet, arctaque vallis,
Quæ tibi piſciculos, & ruſtica carmina paſcit.

Ad Petrum Dantis Florentinum Cauſidicum.

Si ſapientis habent aliquid phantaſmata certi,
Spes mihi magna boni, longos Deus ille labores
Forſitan ætherea ſpectans miſeratur ab arce,
Et lacrimis jam finis adeſt, o ſera quietis
Tempora, grata tamen! ſed quod prior iſta videres,
Fecit amor patriæ, quam quo melioribus aſtris
Naſcimur, hoc animo colimus meliore parentem,
Et tua nunc igitur vigilantia pectora curæ
Sollicitant, memoremque ſopor ſuſpendit amantem.
Tu mihi de veniam; brevior ſum: dextra dolore
Segnis hebet, calamumque movens ſibi feſſa videtur
Nodoſam verſare trabem; tibi cognita cauſa eſt.

Ad

Ad Zenobium Florentinum.

Dulce iter in patriam, dulcis fuga, rarior hoſpes
Attrahit, at notæ retrahunt faſtidia turbæ.
Quid facies, anime? locus is quo pergimus, inquam,
Fert mala juncta bonis, & dulcia miſcet amaris.
Cuncta quidem ſubeunda ſimul, fugiendaque nobis
Cuncta ſimul, neque enim facilis diſcretio rerum.
Eligit ille fugam; quid quod nec aperta volenti
Janua; in exilium Cives egere ſuperbi.
Claudit iniquam urbem quæ vis ſibi ſupprimit æquum.
Eſt genus exilii tacitum, ſunt vulnera cæca.
Miraris? cui non paucorum injuria nota eſt?
Quam fovet immemoris populi patientia noſtri
Vel vi rapta domus, vel paſcua ruris aviti,
Amiſſæque preces, & tot per inane querelæ.
Indignor, ne vera negem; tecumne licebit
Glorier? amplexa eſt gremio nos aurea Roma,
Et Civem dignata ſuum, dulciſque Maroni
Parthenope, ſacro fædus feriente Roberto.
Quid referenda mihi ſeu docta Bononia legum
Seu ſalis inferni decorantes littora Piſæ,
Atque Adriæ imperitans, alterque Venetia Mundus,
Hiſtoriæque parens Patavum ceu Smyrna latinis.
Mantua ſidereæ Nutrix longæva Poëſis,
Parma vel imperii clypeus, ſi credimus olim,
Romuleos dum dura duces fortuna premebat.
Quid loquar Heſperias urbes, atque oppida noſtrum
Inter honoratos numerantia nomen alumnos,
Veſtra quod una ſuis obolet Florentia faſtis.
Longius impellor, Calamum rapit ira calentem.
Gallia me voluit, proles generoſa Philippi
Non neget; extremi proprium voluere Britanni,
Immeritum fateor, ſed in hoc mihi ſidera ſaltem
Dextra favent, lævi mulcentia luminis aſtrum.
Quo tulit ecce dolor? læſo tu parce loquaci.
Non fugimus patriam, ſed nos fugat illa profecto.

Mos vetus exemplis illuſtribus: aſpice buſta
Sparſa virûm, patria vetitum tellure jacere:
Quos Cives, quænam peregrino in pulvere ſaxa,
Quos cineres, quæ membra premunt; ſolabimur ergo,
Et moniti meliora animo tolerabimus æquo.

MARII PHILELPHI
TOLENTINATIS.

*Ad Urbis Florentinæ Principem Laurentium
Medicem, Laurentiados
Argumenta.*

DEnique & octavus liber ad tua limina venit,
  Signavit calcem quo mea meta ſuam.
Primus enim quæ ſint cœlo tua fata recenſet,
  Syderibuſque quibus ſis ſatus ante Jovem.
Explicat alter, inops ut ſit nunc ſacra poëſis,
  Palleat & tremulo corpore tota rigens,
Atque ideo nulli veterum cognomine digni;
  Præmia ſint quorum nulla parata bonis.
Et quia tu noſtris das ſolus vatibus aurum,
  In tua conveniunt fata canenda, Deæ.
Tertius & patriæ decus; & tua tecta quibus ſint
  Splendida muneribus; quoque cliente: refert,
Quartus honorat opeſque tuas, tituloſque tuorum,
  Utque tyrannorum nomen & arma fugis.
At quintus. ſextuſque docent: quæ caſtra pararint
  Coleo: & Inſubrum dux: quibus atque locis.
Septimus ut Stygiam ſomno penetraverit urbem,
  Viderit & multos non ſine laude viros.
Ultimus ad ſummi te perveniſſe Tonantis
  Regna refert, animis ſunt ubi dona piis.

Pri-

Primus originibuſque tuis meritiſque tuorum
  Ergo favet. Coſmi nuntius atque Petri.
Mox tibi naturæ enarrat data dona ſecundus;
  Quando tuæ laudi Numina bina favent.
Quæ tibi fortunæ ſint munera, Tertius affert,
  Quandoquidem felix his ſine nemo perit.
Quartus habet moreſque tuos, moreſque clientum,
  Corporis et casûs præmia mixta canit.
Scribit opus Quintus, ſextuſve, quod inde refulget,
  Qua tua ſumma domus mente ferat Periclem.
Quàm tibi ſit Mavors patriæque domeſticus almæ,
  Quaque tibi pariant arte trophæa duces.
Mentis opes reliqui exponunt, pietaſque, fideſque
  Quanta tibi, & quæ ſit gratia parta Dei.
Quid tibi conſtituant cœli ſacra Numina puri,
  Utque tuis nequeat vulgus obeſſe bonis.
Quaque graves poſſis curas lenire medela,
  Quæ patriæ cogunt te ſtuduiſſe tuæ.
Cetera quæ deſunt de teque tuiſque, canemus,
  Cum dabis ingenio vimque modumque meo.
Hoc eſt materiam cum trades carminis illam,
  Quæ tibi ſitque tuis gratior officiis.
Nam quod munificus mihi ſis ſine fine futurus,
  Is dubitet cui non cognitus eſſe queas,
Haud ingratus enim potes eſſe, hominumque labores
  Compenſas multo pluribus officiis.
Hoc magis uſque faves, Laurenti dive, poëtis,
  Qui tibi perpetuum nomen in orbe parent.
Haud vereor multi vates quod ſæpe verentur,
  Oppugnet ne me murmure livor edax.
Non niſi, grandiloquoſque viros, laudeſque merentis
  Aggreditur; parvis retia nulla parat.
O utinam invidiâ dignus ſim: carmina cujus
  Invidus aſſidue dicat inepta miſer!
Tunc ego poſſe rear vel poſteritate potiri,
  Et parvum ingenii non meruiſſe decus.
Invidia inſignes meritis oppugnat: honore
  Quæ dolet illorum, quos videt eximios.

Alteriuſque bonis cruciatur: et anxia ſemper
  Egregiis titulis detrahit ore truci.
Dentibus eſt uncis atra rubigine tinctis:
  Pallidior buxo: lumine fæda fero.
Territat hæc urbes atque alta palatia Regum,
  Quique pavent cupiunt conſeruiſſe manus:
Quandoquidem claris hæc prœlia regibus offert,
  Negligit indignos livor honore duces.
Quo magis invideant; Medices Laurentius heros,
  Me magis officiis, atque fovebit ope.

Ad Robertum Valturium.

Felices Italos, & noſtra volumina lingua
  Clare Roberte tua, militiæque decus.
Extincti reges dudum jacuere, duceſque
  Signaque ſummorum diraque bella virum.
A tenebris. Valturi, acies, figendaque caſtra
  Et revocas cunctæ munera militiæ.
Induperatores deceat quid, quoſque miniſtros,
  Edocuit codex docte Roberte tuus.
Felices Italos, felicia tempora noſtra,
  Uſque adeo celebrem quæ meruere patrem.
Quiſque tibi debet, regumque. Ducumque, Roberte,
  Cuncta phalanx, debet quæque caterva tibi
Prima tamen, celebrem quàm reddis in orbe, vetuſtas
  Poſteritaſque tuis docta futura libris.
Militibus ferrum cingis, Ducibuſque decorum:
  Pila refers caſtris, tortile quodque notas.
Machina nulla tuo, tormentum codice nullum,
  Jactilis & nullum deeſt genus & jaculi
Et renovas priſcos aboleta ab imagine, ſolus
  Hiſtoricos ornas docte Roberte novos.
Vota Sigiſmundi ſuccendat ſingula dio,
  Auſpicio cujus tam grave dedis opus.
Nil poterat noſtro præſtari dignius ævo,
  Dignus es, & digno das tua dona Duci.

FRAN-

FRANCISCI PHILELPHI

TOLENTINATIS.

Ninus.

NInus ab Aſſyriis ſum primus Regibus auſus,
Non modo finitimos populos Regeſque potentes
Imperio preſſiſſe meo: ſed viribus omnem
Pæne Aſiam domui terræque marique timendus.

Semiramis.

Ne ſtola te dubium teneat, cultuſque venuſti
Corporis ambiguus: ſum clara Semiramis, alto
Non minor ipſa viro: belli paciſque probatis
Artibus inſignis: nato miſerabilis uno.

Cyrus.

Quantum fata valent; atque immutabilis ordo
Aſtrorum, docui Cyrus: quem nulla domare
Vis potuit, non Aſtyages, Babylonve ſuperba,
Maſſagetis eadem me fata dedere tremendis.

Thamyris.

Quantum ego claruerim Mavortis in agmine, Cyrus
Ipſe ferus novit: qui dum mea regna profanus
Spargapiſæ inſidiis rapto populatier audet,
Quam Thamyris turbata valet cognovit in utre.

Alexander Macedo.

Magnus Alexander belliſque horrendus & armis:
Qui terrore mei trepidantem nominis orbem
Uſque ſub Eoum parvo cum milite Gangen
Undique concuſſi: nulli ſum laude ſecundus.

Myrina.

Inter Amazonidas, quas inſula celſa Tritonis
Heſpera progenuit, qui me neſcire Myrinam
Dixerit: ignarum ſeſe fateatur oportet
Eximiæ laudis: Libyamque Aſiamque ſubegi.

Pentheſilea.

Grajugenas acie ſuperans paſſimque fugatos
Pentheſilea premens, ulciſci nobilis umbram
Hectoris ipſa mei potui: ni dirus Achilles
Ille Neoptolemus, me clam miſiſſet ad Orcum.

Panthea.

Pantheam quicumque minus me noſſe fatetur:
Magnarum ſeſe rerum ignarumve, rudemve
Damnat: ego Cyrum caſtæ probitatis & oris
Egregii, magnique animi, mihi convoco teſtem.

C. *Julius Cæſar.*

Sum genus Æneadum Cajus cognomine Cæſar
Julius: Aſſyrios, Cyrum Macedumque ferocem
Qui juvenem probitate animi, qui corporis acer
Viribus exuperans, fueram pater Urbis, & orbis.

JOAN-

FAUSTI PHILOMUSI

NOVOCOMENSIS.

In Lugdunenſe Somnium.

SI quiſquam excellens aliqua fuit arte repertus,
  In ſola tantum, judico, ſummus erit.
Summus at in variis quum ſit, Terrenia proles,
  Zacharias, hominis prævalet ingenio.
Seu ſi humana velis, ſeu ſi divina requiras
  Dogmata, in ambobus nobile culmen habet.
Cum Vate eſt Vates, cum Rhetore Rhetor: utrumque
  Callet, & his nulli, crede, ſecundus erit.
Candida ſylva tribus tantum compacta diebus
  Eximio Romam munere digna pete.

JOANNIS FRANCISCI PHILOMUSI

NOVOCOMENSIS.

Sylva, & Exultatio in Creatione Pont. Max. *LEONIS DECIMI.*

QUid ſibi tot plauſus? quid tanta tonitrua poſcunt?
Quid poſcunt celeres ad ſacra palatia curſus?
Fallor, an inſonuit Medices mihi Nomen? & illa
Vox tam grata homini, quàm non ingrata Tonanti
Cœlitus emicuit tenues delapſa per auras?
O feſtam, ſanctamque diem! o ſuffragia ſancta!
Candidiora, nive Electro mage pura nitenti,
Quæ Deus omnipotens cœlo demiſit ab alto
Parcarum ſignata manu: quæ lacteus orbis
Excepit, fovitque ſinu, quibus atra recedant
Flagitia, & Fidei jam longa oblivia ſanctæ.
Quîs bella, & cædes, & prœlia dira faceſſant
Quîs bona mens, pax alma, pudor, probitaſque, fideſq
Et ſancti redeant moves, & præmia Morum.
Sed quæ turba ſequens urget? quæ turba ſequentem
Me prior exculcat ſancta hæc ſuffragia cantu
Intempeſtivo celebrantem? En templa ſacerdos
Maximus ingreditur populique, Patrumque coronâ
Stipatus. ſalve o Numen ſanctumque, piumque.
Noctem oculis, noctem menti, noctem excute ſacris
Carminibus, pectuſque pio mihi robore firma,
Nam quid inops animi pavor hic per genva per artus?
Nam

Nam quid ad ima redit ſingultim ſpiritus & vox?
En ſupplex procumbo, en genva pedeſque beatos
Amplector. Jam ſe facies auguſtior offert
Supra hominem, captumq; hominis, jam tollor in auras
Supra hominem, captumque hominis, jam Numen ami-
Experior; ſacri video penetralia cordis, (cum
Magnanimamque fidem, cujus cervicibus altis
Humanumque genus, magnuſque innititur orbis.
Salve Magne Parens hominum, cui ſumma poteſtas,
Summus honos triplici frontem Diademate cingit,
Unde ſacri flexo certatim poplite Reges
Imperii pia jura petunt, & faſcibus ultro
Summiſſis adeunt, & ſanctum Numen adorant.
Cujus ab excelſo pendet vitæque, neciſque
Judicium nutu, cujus de luce ſuprema
Celſum iter ad ſummum nobis aperitur Olympum,
Quemque Deus dedit eſſe Deum mortalibus ægris,
Cujus in auguſto divinæ culmine Petræ
Fundamenta piæ Fidei certiſſima jecit.
Sed quibus hanc titulis, quibus hanc virtutibus arcem
Te meruiſſe canam? circumſtant agmine longo
Centenique patent aditus. Tu ſiſte parumper
Magne Leo mentem tantarum in limine laudum.
Neve precor tibi me claris Natalibus offer;
Neve offer patriæ Florentis amabile nomen.
Dum majora cano, dum non vacat ire per omnes
Herois magni titulos. Inſigne Parentum
Nomen avis, abavis, atavis, præfulſerit: at qui
Non ita præfulſit, ne major ab indole lampas
Fulſerit uſque tua. Patria eſt illuſtris. at illam
Illuſtrant Medices mage, quam illuſtrentur ab illa.
Illuſtrant velut aſtra tamen, velut æthra ſerenâ
Nocte micat. Medio tu ſol clariſſimus orbe
Largiris patriæ inſigni lucemque, caloremque,
Ut vivat Duce te, æternos & floreat annos.
Nec generoſa pii referam cunabula partus,
Maternoſve ſinus, teneris ut creverit annis
Et pudor, & probitas, caſtæque modeſtia mentis,
Sem-

Semper & innocui ſine labe, & crimine mores.
Ingrediare meos mihi longe auguſtior orſus
Puniceo cinctus caput hoc illuſtre Galero.
Prætextæ nondum, ac bullæ tua ceſſerat ætas,
Cum ſupra ætatem ſapere, & profectibus annos
Vincere te magni vidit pia cura Parentis;
Atque ait: hæc nobis domus eſt ſatis ampla, ſed uni
Eſt anguſta tibi. Magnæ te mœnia Romæ
Accipiant, bona mens cui tantum indulſit, & alti
Doctrinarum hauſtus. I fili grande Parentum,
Grande decus Patriæ. melioribus utere fatis.
Et fortuna domûs & gratia poſcit honeſtæ,
Et tua relligio, mea ne ſinat irrita vota,
Indole macte tua: mira indulgentia ſummi
Pontificis vicit pia vota, preceſque parentum.
Et ſubito ſublimis apex tibi vertice ſedit.
Tum vero qualem te publica munia, qualem
Te privata domus vidit? quo tempore mores
Præcipites labi cœpere, & recta relinqui
Officia, & metis longè poſt terga relictis
Roma potens ſceleri totas effudit habenas;
Unus eras nulla conſperſus labe veneni,
Non ſecus ac Pſyllus Libyæ ſitientibus arvis
Cui dirum afflatum poſuit, cui ſibila ſerpens
Non oculis, non dente minax, non verbere ſævus:
Inſidiæ, & fraudes totâ dominarier Urbe.
Terror, & ira nocens, & nullis tetra libido
Nominibus parcens, nulli non conſcia culpæ,
Ungue minax unco, piceataque dextera torvis
Anguibus, & rigido miſcebat prœlia ferro.
Hic nigris volitans alis inſtabat Erinnys
Tartareas accenſa faces, & Pyxidis uſu
Terrificæ ſuccincta ſinus, geminoque cruentam
Letho armata manum, cædes, ac bella ciebat.
Inter tot rerum diſcrimina ſolus ab alti
Libertate animi pendens, ſanctæque receſſu
Mentis, eras vultu intrepido, Fidei ægide tectus.
Et cupiens animam pro relligione paciſci.

Tum quoties trepido vexata eſt Roma tumultu,
Ortaque ſeditio diris immiſcuit armis
Omnia, te circum placidæ longa otia Pacis,
Te circum ſtetit alta quies: injuſta tuorum
Vidiſti exilia, illacrimans non damna tuorum,
Damna tuæ patriæ magis, & miſerabile fatum,
Ingratoſque animos vano te nomine, vano
Judicio extorrem vocitantes, cum tua virtus,
Cum tua te Pietas procul aſſeruiſſet ab omni
Fortunæ imperio. Patriæ tibi limes ab ortu
Solis ad occaſum longe lateque patebat.
Exul erat patria illa nocens, oblita Parentes,
Teque, domumq; tuam inſignem, & benefacta Parentũ.
At ſimul ac Patria eſt tibi reddita, reddidit illa
Se ſibi; quæque prius ſtricto pendebat ab enſe
Gallorum, hæc eadem pietatis tecta paternæ
Nunc clypeo, æternos tecum florebit in annos.
Hic diverſa ſubit rerum fortuna tuarum.
Quantaque in adverſis fuerit tua cognita virtus,
Qui modo Flaminiæ fueras legatus, & armis
Hiſpanis male defenſus ſub Gallica jura
Jam legatus eras. Captivum dicere nemo
Audeat, infenſis qui te jus reddere Gallis
Viderit, expreſſaſque preces expreſſaque vota.
Procubuiſſe tibi amplexos tua genva, pedeſque,
Supplice voce ſui veniam petiiſſe furoris.
Sic victor victoris eras, & ab hoſte triumphum
Victore extorquens, quæ eſſent captiva docebas
Quæve eſſent nullis obnoxia colla catenis.
Ecce autem vinclis tibi rurſum illudere certant
Ducere trans Alpes, Regi oſtentare potenti
Inſignem Chriſti de relligione triumphum.
Magnum iter emenſo micuit tibi lampadis inſtar
Faſtigatus apex, & circum tempora flammæ.
Non hoſtes ſufferre valent, non tela, nec enſes
Ignivomæ frontis faciem. Sic agminis ordo
Turbatus, longo propior fuit intervallo,
Qui propior: disjecta fuga ſunt Gallica caſtra

Pro-

Protinus; Italiæque humeris in tuta receptus
Auſus es a Patriæ oppreſſis cervicibus ingens
Excuſſiſſe jugum. Cum te tua Roma repente
Advocat, atque jubet majora capeſſere fata,
Auſpiciis longè majoribus aſtra mereri.
Erepti quærendus erat ſucceſſor Julî,
Illis, quæ poſſent hominique, Deoque probari
Artibus, has inter belli, fideique procellas;
Quem pia relligio commendet, & inclita virtus.
Ab Jove qui ſumma Cœli credatur ab arce
Demiſſus, Fidei cui demandentur habenæ.
Quem tantum ſentire queat, monſtrare nec audeat
Nec poſſit mortale genus, te præter, in omnes
Virtutum numeros ſic alto vertice ſupra
Sic extantem humeris, ut te tua Roma, Latinæ
Optarint urbes, populi, Regeſque, Duceſque.
Omnis & optarit te voto ſupplice Mundus
Ante pia hæc fratrum ſuffragia, qualia ſummi
Lætus ab arce poli cernens, hominumque probata
Relligione Deus votis ſubſcripſit honeſtis.
Murmura jam ceſſent veteris turpiſſima famæ
In proceres Fidei, quos nunc non ulla potentum
Gratia, amicitiæ non vis, fraudeſve, dolive,
Non ſpes ulla lucri a vero detorſit & æquo.
Ambitus æternum tenebris damnatus & Orco
Pro diademato ſibi vertice, frontis inuſtæ
Perpetuum jam ſtigma geret. Vos cardine rerum
In ſummo poſitos, per quos teterrima labes
Tartaream patitur centena in ſecula noctem,
Vos ego Patronos Fidei, Pietatis & almæ
Longum aſſertores vos relligionis in ævum
Ut video, agnoſcoque favens, ut pronus adoro!
Non rubros apices, ſpecioſaque Nomina, & altos
Divinis titulis latè oſtentantia faſtus.
Non comitum ingentem longo procul ordine pompam.
Sed puras, ſanctaſque manus, incoctaque honeſto
Pectora, & humanos non reſpicientia ſenſus,
Atque pias Chriſti tantum meditantia leges.

Er-

Ergo lethiferæ, vobis auctoribus, iſtis
Exceſſere adytis peſtes, jam ceſſit ab Urbe,
Ceſſit ab orbe nefas: utres diffiavit inanes
Faſtus, & ad meritos celſæ virtutis honores
Summiſit faſces, ceſſit furor omnis, & omnis
Ira nocens, Strophadas ultra exarmata Celæno
Evolat, & livens tandem ſibi Livor edaci
Dentem dente ferit, tantum in ſua viſcera ſævus.
Emigrantque malæ pennis pernicibus artes
Euphratem ſupra, & Nilotica flumina ſuprà;
In quarum ſubiere locum læto agmine mores
Ingenui, ſanctæque artes, jus, faſque, piumque.
Roma exuta gravi languentia corpora culpâ
Induit aſſimiles juſto ſub Principe mores.
Cujus ab exemplo jamdudum Maximus orbis
Ad vitæ faciem ſeſe componit honeſtæ.
Artibus his tantam meruiſti ſcandere ſedem;
Artibus his retinenda tibi eſt, augendaque tantis
Officiis, ut ſpem, fuerit quæ maxima, vincas,
Quanti viſus eras nondum diademate cinctus;
Ut te omnes virtute tua, meritiſque minorem
Eſſe affirmarent. Nunc quum nil maximus orbis
Te melius videat, nil te ſublimius uno.
Optima ſi præſtes, ſemper videare neceſſe eſt
Humano generi longe meliora daturus.
Jam ſancti accipiant ampliſſima munera mores.
Ingeniis nec priſcus honos, nec gratia deſit.
Expectent majora tamen, melioraque ſemper.
Nec fruſtra expectent, modo ſit pax alta per omnes
Et tranquilla quies populos, Regeſque, Duceſque,
Unanimes Duce te jungant in fœdera dextras.
Jam vero i, volitans Pallas, bona nuntia pacis,
Nuntia amicitiæ; populos, Regeſque ſaluta.
Ulterius ne odiis certent, irave minaci,
Neu bello, neu cæde fremant, ferrove cruento
Diva jube. Dic clauſa bifrontis limina Jani,
Pro foribus ſtare æditüum ad ſacra Templa Leonem,
Nunc precibus, nunc vi, ferrum extorquere, minaces

Exarmare haſtas, nunc tradere Tybridis alveo
Arma Ducum, illuſtres galeas, thoracas ahenos,
Squallentes auro tunicas, atque ære trilicem
Loricam, Mavortis equos, Mavortia caſtra,
Gradivumque Patrem in Thracas armare furentes,
Aonidum dehinc cincta choro, vatumque piorum,
Pontificis repetas ſanctiſſima limina: tecum
Sit pia relligio, ſit morum grata bonorum
Majeſtas, nulli deerunt ſua præmia, nullus
Principis a tanti pedibus non lætus abibit.

Ad Laurentium Medicem.

Laurenti Medices, Tyrrhenæ gloria gentis,
Æternumque decus: longos inhonora per annos
Numina Pegaſidum merita qui ſede reponis,
Quique humiles hederas, & plectra jacentia tollis;
Innumeri quamvis celebrent te carmine vates,
Ingenium ne ſperne novum, ne ſperne benignæ
Mentis opes, raramque fidem; quæ dedita laudi
Tempus in omne tuæ, jam non contenta tenebris
Agnoſci cupit, & cantu ſe attollere tentat,
Vatibus & ſummis miſcerier: ut ſolet olim
Parvulus in magno pugilum certamine vocem
Continuare puer, plauſuſque juvare viriles,
Quaque poteſt nomen Victoris tollere ad auras.
Munera parva damus, vel quæ contemnere poſſis,
Carmina, ſi penſes; at ſi generoſa voluntas
Spectetur, non ſi Chryſendeta fulva dediſſem,
Illuſamve aurô chlamydem, aut fulgentia gemmis
Pocula, ferre tibi potui majora: quid ergo
Barbarus agnovit, læta cum fronte coloni
Excepit latices, geminis quos ille ſuperbo
Porrexit regi manibus, niſi dantis amorem,
Egregiumque animum: nec te jam barbara vincent
Ingenia, inculti ut mores melioribus orbem
Exemplis implere queant, qui natus in urbe
Nomine Florenti, Florenti Palladis arte,

Moribus ingenuis, legum & gravitate bonarum.
Te qui ſimplicibus artes coluiſſe ſub annis
Diceris ingenuas, humileſque ad culmina rerum
Evexiſſe viros, ſimul & docuiſſe probatam
Spectari debere fidem: nec noſtra latebit
Te quoque vita diu, noſtri ſine crimine mores,
Noſtraque Laurentî nullos tacitura per annos
Muſa decus, tandem ſperata luce fruetur.
Grata dies veniet, qua me Florentia charo
Accipiet celebranda ſinu, noſtrumque fovebit
Ingenium, qua me Laurentius ore benigno
Afflatus, tu noſter eris dulciſſime vates,
Dicet, & inveniet ſedem, qua noſtra quieſcat
Calliopea libens: oh quàm molliſſima carpam
Otia, quàm faciles noſtro de pectore ſurgent
Pierides, Nomenque tuum quanto ore canemus!
Juſtitiæ curam in primis, quâ præditus ipſum
Vincis Ariſtiden, & qui contempſerat auri
Pondera Fabricium, & priſci veneranda Catonis
Nomina: non tamen hinc procul eſt clementia, leges
Permulcens tetricas, victus quam Cæſar adoret,
Miretur que favens, & primo cedat honori.
Hinc tua relligio nullis ceſſura Sabinis,
Non ceſſura Numæ, parva qui a ſede profectus
Romani imperii invitus moderamina ſumpſit,
Et quæcumque tui virtus penetralia cordis
Incolit, eſt dulci mihi tum referenda Camœna.
Conſilium, probitas, pietas, prudentia, mores,
Irreprehenſa fides, caſtæque modeſtia mentis,
Quantaque facundæ vigeat tibi gratia linguæ.
Interea damus iſta tuæ præludia laudi,
Jamque vale noſtri non immemor, & mihi clarâ
Dicas, voce, veni; dabitur Philomuſe quod optas.

Ad eundem Laurentium.

Mens erat Aonidum doctas & Apollinis artes
Deſerere, & longis vigilata poëmata curis

Æquoris arbitrio, aut rapidis committere flammis,
Ecce meis oculis, quos jam ſopor altus habebat,
Viſa Deæ facies, pulſæ ceſſere tenebræ
Protinus, e media clariſſima luce refulſit,
Facundoque virens hæc edidit ore Thalia.
Quis furor, ô vates, noſtri nova gloria cœtus?
Quis te præcipitem tantas furor egit in iras?
Ut ſacros latices, & quæ colit altus Apollo
Bellerophontei temnas ſacraria fontis?
Deſunt virtuti ſua præmia? nulla Camœnis
Gratia? nullus honor? merces tibi nulla laborum?
Pone graves triſti de pectore pone querelas.
Sæcula Mæcenas & noſtra benignior ornat.
Si neſcis, colit ille pios, donatque poëtas.
Tum calamos aptans manibus, leveſque tabellas
Me celebrare tuæ juſſit virtutis honorem.
Et quid agam? tanto vereor ne pondere cervix
Noſtra cadat, ſuperetque meas tua gloria vires.
Qua nihil Heſperius præſtantius aſpicit axis,
Clarius aut quicquam in terris jubar audit Eoum,
Non quia ſceptra manus decorent, animique tumentes
Imperio, vulgi vano lætentur honore,
Sed quia cum ſacro poſſis diademate frontem
Cingere, te mavis civem, patriæque parentem
Voce ſalutari populi, nec celſius illis
Ire, ſed extremis tete miſcere catervis,
Artibus his patrum nectis pia corda, piamque
Artibus his plebem fido tibi jungis amore,
Perpetuoque adamante ligas, & regna ſub ipſis
Pectoribus meliora tenes, dum charior auro
Libertas tibi ſola placet: Florentia nutus
Prompta ſubire tuos, nullis obnoxia vinclis
Te duce lætatur, nec ſola Etruria nomen
Officioſa tuum celebrat, gentiſque latinæ
Arbiter, ac fidum columen Regumque, Ducumque
Pectora concordi luctantia fædere nectis
Pacis, & Auſoniam cœleſti munere donas.
Hinc & Pontifici ſummo nec charior alter

Nec prior eſt, natamque tuam, connubia linquens
Regia, magnanimo gaudet junxiſſe nepoti.
Ille parens hominum, ſummi qui numinis inſtar
Divina mortale genus pietate gubernat,
Alter Romuleæ Virginius inclyta gentis
Gloria te natæ ſocerum delegit in omni
Tot procerum numero, quos educat Itala tellus;
Unica quæ ſceptris eſt ſucceſſura paternis.
Sic licet imperium, licet obvia regna recuſes,
Te tamen invito validæ moderamina gentis
Filius excipiet ſocero tradente, tuiſque
Moribus aſſimilis, clemens, faciliſque nocentum
Crimina vel ſola trepidæ formidine pœnæ
Corripiet, juſtiſque favens tua præmia reddet,
Et quacumque leves tua virtus porrigit alas,
Hac iter & nato tua per veſtigia pandes.
Scilicet Æacidæ naſci de ſanguine poſſet
Therſites? leporem Pœnos genuiſſe leones
Credibile eſt? imis viret a radicibus arbos,
Servat & ingenium pomis generoſa ſaporem,
Et patris in ſobolem migrat cum ſemine virtus,
Ad quam nec Curii, Nervæ, Magnique Catonis
Innocui mores tua dulcia pignora poſſent
Inflammare magis, patriæ quàm laudis imago;
Ad vitæ exemplar, morumque domeſticus auctor
Sanctior eſt natis; oculis, & mentibus hærent,
Et patris accendunt ſublimia pectora laudes.
Sic puer a magno ſæviſſima bella parente
Annibal edidicit ſacras juratus ad aras
Hoſtiles animos, & prœlia dira potenti
Auſoniæ; ſic Pellæo præcordia Regi
Accendêre patris victricia ſigna Philippi,
Quo victore puer gemitus, lacrimaſque ſolebat
Fundere, & egregia non diſſimulare dolorem
Fronte gemens, patria ſibi nil virtute relinqui
Quo poſſet meritis æternum quærere nomen.
Sic & Scipiades ſuccenſus laude ſuorum
Et Patris, & patrui, cædem non paſſus inultam

Rettulit a Libycis nomen memorabile terris.
Sic duce te natus laudem ſuperaddere laudi
Quærit, & invictum meritis æquare parentem,
Certatimque favet ſtudiis, vatumque novorum
Ingenia, & vatum ſacras complectitur artes
More tuo; deſpectus honos, & gratia Muſis
Priſca redit; non indecores jam vertice celſo
Pierides ſua colla levant, hederæque jacentes
Exurgunt paſſim: quicumque Helicona virentem,
Dirceoſque colunt, Pirenæoſque liquores,
Te celebrent gratoque canant tua nomina verſu:
Nos certe, licet ingenium mihi dura negarint
Fata, licet nullas vires adjecerit uſus,
Laurenti decus egregium, laudeſque canemus,
Cui ſumpſiſſe chelyn juvat, & poſuiſſe moleſtum eſt.

Exultatio ad Joannem Medicem filium, quod ad Cardinalatus dignitatem aſumptus fuerit.

Sera quidem, feſtina tamen gratatur honori
Littera noſtra tuo; ſed enim tranſcendere dudum
Hyberna glacie obductas expalluit alpes.
Quod ſi pulchra ſinu tunc me Florentia grato
Foviſſet, properata animi monumenta benigni
Carmina cepiſſes, vel quæ calor ille miniſtrat
Lætitia ſuperante furens, nec gaudia pectus
Attigerant moderata meum, mihi laurus in ore,
Laurus in ardenti reſonabat pectore, tales
Quæ nobis tulerat generoſo è germine fructus,
Perpetua quæ fronde viret, ſemperque virebit
Florentes totum ramos ſparſura per orbem.
Egregia de ſtirpe puer jam concipe dignos
His meritis animos, ſenſus jam ſume ſeniles.
Chriſti ſancta tuo ſtabunt ſub cardine ſigna:
Ne ſuccumbe, oneri fac par videare ferendo:
Spem ſupera, nulli major quæ contigit umquam,
Qua tute hanc tantam meruiſti ſcandere ſedem,

Te patriæ virtutis amor ſuccendat, alantque
Egregios mores laudis monumenta paternæ,
Ut quandoque etiam poſſis majora mereri,
Eximiumque caput ſacra redimire tyara
Pontificis ſummi: proh gaudia quanta parenti
Tum dabis, & quantus mihi tum ſpirabit Apollo.

ÆNEÆ PICCOLOMINEI

SENENSIS.

POSTEA PII SECUNDI.

In noſtri Salvatoris Paſſionem.

QUid tibi tandem ſcelerate quæris,
Quid petis fallax homo; quid requiris
Immemor quà te pietate Chriſtus
Quærat, ametque?
Venit in Mundum ſoboles tonantis,
Et licet cœlum regeret ſupernum,
Ex Deo ſervus voluit videri
Carnis in umbra.
Tu cinis putris, fugienda peſtis,
Alta depoſcis, miſerande vermis;
Ut parem credas habuiſſe nullum,
Terra tumeſcis.
Ille carnalem pius in parentem
Quos decet cunctis referens honores
Sabbathum numquam violavit unum
Semper honeſtus.
Tu Patris juſſus fugis, atque Matris;
Feſta peccatis violas nefandis,

Et Deum qui te reparavit, horres,
Dæmone pejor.
Ille jejunans domuit ſuperbum
Spiritum carnis; cibus, atque potus
Illius corpus fuit ad regendum; ut
Viveret, êdit.
Tu mades vino, Veneri parentas,
Nulla te Bacchi, Cererifque poſſunt
Dona ſumentem ſatiare: ventri
Vivis amicus.
Ille ſermones habuit modeſtos,
Edocens ſedes iter ad beatas,
Quo ſuos omnis repararet actus
Ordine dixit.
Tu vel infeſtâ nigricante lingua
Proximum carpis, ſuperos laceſſis,
Fabulas crebro referens inanes.
Turpia narras.
Ille nullius bona concupivit,
Et manus odit nimium cruentas:
Pauperem duxit, coluitque vitam
Pacis amator.
Tu rapis quidquid potes, & cruorem
Appetis fratrum; ſcelus omne parvum
Dives ut fias, reputans, ubique
Prœlia miſces.
Diſce te quanti miſerande fecit.
Ille qui vinclis voluit teneri,
Ut tibi ſuam pareret quietem
Ductus ad Annam.
Cæſus eſt illic alapis magiſter,
Et redargutus Dominus Deorum,
Nocte mox tota trahitur per Urbem
Diſcruciandus.
Inde Cayphæ datur audiendus,
In Deum teſtes citat hinc malignos,
Ducitur vinctus reus & Pilato
Mittitur illic.

Hinc ad Herodem rapitur videndus;
Purpurâ ſumptâ redit ad Pilatum,
Qui licet nullum videat reatum,
Judicium fert.
Innocens agnus manet ad tribunal,
Quem flagris cæſum, ferat ut coronam
Spineam, cogunt, vicibuſque pulſant
Corpus honeſtum.
Conſpuunt & vultum, oculoſque fædant,
Aſtur ut raptam lacerat columbam;
Membra cæleſtis ſpecioſa regis
Dilaniantur.
Nec movet turbas ſpeculum doloris;
Clamitant cuncti Crucis eſſe dignum:
Solve Latronem, Crucifige Chriſtum
Cæſaris hoſtem.
Dum Crucem geſtans trahitur necandus,
Obviam fertur lacrimoſa Mater,
Quæ ſuis tundens manibus pudica
Pectora clamat.
Nate quo pergis periture? quis te
In modum talem laniavit hoſtis?
Te meum pignus cupio videre:
Reſpice Matrem.
Te meus venter tulit: has papillas
Suxeras quondam, generoſe Fili;
Me tuam ſpernis, fugis atque Matrem:
Reſpice quæ ſum.
O truces, ſævæ, rapidæque gentes,
Quo meum fertis genitumque Hebræi?
Nil mali fecit; ſinite heu meum me
Tangere natum.
Ille ſubmiſſis oculis abibat:
Ad locum venit Crucis, atque nudus,
Et duos inter poſitus Latrones
Fertur in altum.
Inde ſub ligno ſitiens acetum,
Felque guſtavit; latus eſt apertum

Lan-

Lancea; ſanguis fluit, atque lympha,
Matre vidente.
Probra quid dicam, referamque multa?
Sed Dei fecit genitum: quid ultra?
Clamitant plures: alios beavit;
Se modo ſalvet.
O Jeſu quantum genus hoc amaſti
Perfidum, qui, ne moreretur, ipſe
Pergis ad mortem; moriendo noſtrâ
Morte lavas nos.
Sic, homo, pro te patitur Redemptor:
Tu quaſi ſurdus, penituſque cæcus
Gratiam pendis nihil eſſe talem,
Crimine plenus.
Ipſe qui verbum facio, miſer ſum,
Pejor, & magnas datus in ruinas:
Noſco peccatum, ſcio quid gerendum;
Nec melior ſum.
Ni tuum præbes Deus o favorem,
Gratiam ni des homini perempto,
Perditus labor miſer in gehennam
Igne piandus.
Labitur quiſquis ſine te beari
Quæritat, munus datur hoc ab alto:
Tu vocas quos vis; rogo, me vocandis
Adiice ſervis.
Da mihi lumen; videam quid egi:
Da mihi fontem lacrimis in undas.
Nunc meum plorem ſceleris reatum,
Teque repoſcam.
Non parem Paulo veniam requiro,
Gratiam Petri neque poſco, ſed quam
In crucis ligno dederis Latroni
Sedulus oro.
Jam Deum cuncti rogitemus ipſum,
Qui neci noſtram datus ob ſalutem
Semper expectat reditum ſuorum,
Ut veniam det.

Jam

Jam nimis duri fuimus: venite;
Se reum nemo magis eſſe credat,
Quàm pius nobis maneat redemptor
Æthere miſſus.

Eicoſaſtichon de MARIA quæ JESUM humani Generis Salvatorem genuit, nec minus clauſtra puderis poſt partum retinuit, ab Ænea, ut fertur, compoſitum poſtquam ad ſummam in terris Dignitatem vocatus digne Pius nominatus eſt.

Virgo Theutonicis multum celebrata ſacellis,
Mater & ipſa Dei, Mater & ipſa hominis.
Virgo latinorum ſpes, & tutela meorum,
Virgo, quam multo Gallia thure colit.
Virgo nec Hiſpanas paulum laudata per urbes,
Cui patet & cœlum, totaque terra patet.
Virgo, quæ magnum potes exorare Tonantem,
Et potes irati ſiſtere tela Dei.
Ipſe ego peccati ſervus, ſceleriſque miniſter,
Et mandatorum fractor ubique decem,
Ad te confugio, fateor; mortalia ſeptem
Sæpius admiſi crimina, nuncque dolet.
Ille licet nulli veniam neget auctor Olympi,
Et reduci ſemper brachia tendat amans;
Quis tamen offenſi vultum, quis Judicis audet
Interceſſorem nudus adire ſui?
Ergo meos genitrix ſemper miſerata labores
Nunc etiam noſtris caſibus affer opem.
Ipſe mihi de te natus ſine crimine culpas
Condonet veteres, arceat atque novas.

ASCANII PICCOLOMINEI

SENENSIS.

Urbini Civitas Sedis Apoſtolicæ ditioni reddita.

REpente circum tempora, quæ tibi
Metaure laurus floruit, aridas
Exuta quercus? Quidve ſacræ
Frondis Apes meditatur hoſpes?
Felix beati ſi domus imperi
Fundatur æquo ſtemmatis omine;
Non invido pompas paratu
Roma novat, decorum priorum.
Æquata faſtus. En Capitolium
Ut jam ſuperba mole renaſcitur?
En ut triumphales ab ipſis
Ruderibus reparantur arcus?
Quæ cura gratis ebria ſenſibus
Reportat imi gaudia pectoris?
Quæ lætus extemplo trahit te
Obſequi popularis ardor?
Ergonè Princeps nobilis ingeni
Excultus artis, ſic tibi carmine
Abibit indonatus? aude
Magna modis tenuare parvis.
O clara magni nuntia numinis
Thaumantis Iris diſcolor indue
Precaria ſub luce peplum,
Et liquidum per inane Numen.

Urge

Urge; curulem labere Romuli
  Velox ad urbem, flexaque poplite
  Cœlo potentis, tartaroque
  Rite pedes venerare patris.
Incurva ramum cœlitus inditæ
  Prætende olivæ, ſanctaque porrige
  Ad ſigna dextræ, quo per ævum
  Italico coaleſcat Arvo.
Inde auſpicati rite per ultimas
  Tranſcribe terras fœderis omina,
  Primoſque adoratura greſſus
  Excipiat miſeranda Vates;
Quæ clara propter littora Mincii
  Urget ſupremis lumina lacrimis,
  Interque nativos dolores
  Ingeminat ſine fine quæſtus
Prævifa Tuſci fata Bianoris
  Mœſto nepotum plorat in exitu,
  Sinuque materno, refoſſos
  Dum cineres legit, uda fletu,
Te expectat unam · Pacis, & integrat
  Vitale nomen. Protinus erige
  Situ jacentem, & dum catenæ
  Exuitur grave pondus. Audi
Gratum elocutum. Ten' video meæ
  Quando relictum vix reliquum ſpei?
  Ten' rebus optatam ſupremis
  Et video? genubuſque ſupplex
Advolvor O pulcherrima cœlitum:
  O feciales ſub mare naufragi
  Mundi; ſerenatique Cœli,
  Et pelagi refluentis omen.
Romana magni munera Principis.
  Dextræque pignus ſuſpicio tuæ,
  Eratque, ut effulgeret, æquum
  Inde ſalus, genus unde primum,
Auctorque noſtræ gentis originem
  Recenſet. Ergo deterit impios

Effuſa tempeſtas in hoſtis,
Noſque fovens. Aliuſque, Et Idem.
Sed ille priſcos reſtituat dies,
Cui nox, nec umbræ, nec gravis officit
Nubes, ſed æternum coruſcat
Tergemino radiatus auro,
Sed quo recluſis intueor procul
Oracla fatis? Quis furor entheo
Adlabitur divinus œſtro
Plura loqui? ſed enim Parentem
Æquè futuri conſcia terruit
Diva illa præſens, quæve oleam ſimul
Regno redonavit; Beate
Imperiis operata ceſſit.

JOANNIS PICI

MIRANDULÆ.

In laudem Hieronymi Benivenii.

LÆtor iö Tyrrhena tibi Florentia lætor:
Clamet, iö Pæan, quiſquis amicus adeſt.
Quale decus, quæ fama, tibi, quæ gloria ſurgit?
Tolle caput, Libycas tolle ſuperba jubas.
Ille tuos agros intra & tua mœnia natus,
Atque Arni liquidas inter adultus aquas,
Cui cùm divinum ſit ſacro in pectore numen.
Quàm bene de ſacro nomine nomen habet!
Ille, inquam, plauſu jam cœpit ubique frequenti,
Jam cœpit multo non ſine honore legi.
Sicelis Auſonias illius Muſa per urbes
Fert celèbrem magna candida laude pedem

Au-

Auctorem patriæ quiſquis legit, invidet illi,
  Atque optat patriæ nomina tanta ſuæ.
Gaude, gaude iterum tanto inſignita decore,
  Et vati adplaudas terra beata tuo.
Cinge coronatos vernanti flore capillos:
  Conveniunt titulo Florida ſerta tuo.
Undique Achæmenio ſpargantur compita coſto,
  Et per odoratas lilia multa vias.
En ſtirps in noſtras Benivenia protulit aûras,
  Etruſcum docto qui gerat ore ſenem.
Ponite Avernales jam gens Etruſca, cupreſſus,
  Quos rapta immiti funere Laura dedit.
Pellantur queruli fletus: en Laura revixit;
  Spirat; & argutum novit, ut ante, loqui.
Quin ſolito nitet illa magis, majorque priore
  Neſcio quæ cultu gratia ab ore venit.
Reddidit hanc nobis laus noſtræ Hieronymus urbis,
  Et dedit infernos poſſe iterare lacus
At certe (procul hinc ô Livor inique faceſſas)
  Nunc graviore ſonat grandius illa chely.
Dii Superi! ſublime adeo modulatur, ut æqua
  Sit jam Romano Tuſca loquela ſono.
Nec tamen ille Euros frondoſus jactat inanes:
  Plus quàm promittit fronte, receſſus habet.
Quid referam, quàm lenis erat? quàm carmina plane
  In numeros currant ordine juncta ſuos?
Sic memini me ſæpe ſacros vidiſſe liquores
  Profluere, imbriferi vis ubi nulla noti.
Sed quis miretur meditato in carmine tantum
  Cultus, cùm pariter non meditata canat?
Quis non hunc juret Phœbum; modo pendeat arcus?
  Cornua ſint, Bromium quis neget eſſe Deum?
Audivi hunc quoties citharâ cantare recurvâ,
  Abduxit ſenſus protinus ille meos.
Et quid non poſſent digiti mulcere loquentes?
  Siſteret his rapidi flumina magna Padi:
Phœbeos medio firmaret in æthere currus;
  Lunares pictos ſiſteret axe boves.

Terribilem ſævis Martem revocaret ab armis:
  Leniret Ditem, falciferumque ſenem:
Et quas non potuit quondam Rhodopejus Orpheus
  Flectere, Strymonias flecteret ille nurus.

Deprecatio ad Deum.

Alme Deus, ſumma qui majeſtate verendus,
  Vere unum in triplici numine numen habes;
Cui ſuper excelſi flammantia mœnia mundi,
  Angelici ſervit turba beata chori.
Cujus & immenſum hoc, oculis ſpectabile noſtris,
  Omnipotens quondam dextra creavit opus.
Æthera qui torques, qui nutu dirigis Orbem;
  Cujus ab imperio fulmina miſſa cadunt.
Parce precor miſeris, noſtras precor ablue ſordes,
  Ne nos juſta tui pœna furoris agat.
Quod ſi noſtra pari penſentur debita lance,
  Et ſit judicii norma ſevera tui,
Quis queat horrendum viventis ferre flagellum
  Vindicis, & plagas ſuſtinuiſſe graves?
Non ipſa iratæ reſtabit Machina dextræ,
  Machina ſupremo non peritura die.
Quæ mens non primæ damnata ab origine culpæ?
  Aut quæ non proprio crimine facta nocens?
At certe ille ipſe eſt proprium cui parcere ſemper,
  Juſtitiamque pari qui pietate tenes:
Præmia qui ut meritis longè majora rependis,
  Supplicia admiſſis ſic leviora malis.
Namque tua eſt noſtris major clementia culpis;
  Et dare non dignis, res mage digna Deo eſt.
Quamquam ſat digni, ſi quos dignatur amare;
  Qui quos non dignos invenit, ipſe facit.
Ergo tuos placido miſerans precor adſpice vultu,
  Seu ſervos mavis, ſeu magis eſſe reos.
Nempe reos, noſtræ ſi ſpectes crimina vitæ,
  Ingratæ nimium crimina mentis opus.

At

At tua ſi potius in nobis munera cernas,
Munera præcipuis nobilitata bonis;
Nos ſumus ipſa olim tibi quos natura miniſtros,
Mox fecit, gnatos gratia ſancta tuos.
Sed premit heu miſeros tantæ indulgentia ſortis:
Quos fecit, gnatos gratia; culpa reos.
Culpa reos fecit, ſed vincat gratia culpam,
Ut tuus in noſtro crimine creſcat honos.
Nam tua ſive aliter ſapientia, ſive poteſtas,
Nota ſuas mundo prodere poſſit opes,
Major in erratis bonitatis gloria noſtris,
Illeque præ cunctis fulget amandus amor,
Qui potuit cœlo Dominum deducere ab alto,
Inque Crucem ſummi tollere membra Dei,
Ut malè contractas patrio de ſemine ſordes,
Ablueret lateris ſanguis & unda tui.
Sic amor & pietas tua, rex mitiſſime, tantis
Dat mala materiem ſuppeditare bonis.
O amor, ô pietas, noſtris bene provida rebus!
O bonitas, ſervi facta miniſtra tui!
O amor, ô pietas, noſtris malè cognita ſectis!
O bonitas noſtris nunc propè victa malis!
Da precor huic tanto, qui ſemper fervet, amori
Ardorem in noſtris cordibus eſſe parem.
Da Sathanæ imperium, cui tot ſerviſſe per annos
Pœnitet, excuſſo depoſuiſſe jugo.
Da precor extingui veſanæ incendia mentis;
Et tuus in noſtro pectore vivat amor.
Ut, cum mortalis perfunctus munere vitæ.
Ductus erit dominum ſpiritus ante ſuum,
Promiſſi regni felici ſorte potitus,
Non Dominum, ſed te ſentiat eſſe patrem.

JO: FRANCISCI PICI
MIRANDULÆ.

De expellendis Venere, & Cupidine.

IDalios ignes, cœcique Cupidinis arma,
Atque Dionæos procul ablegare furores
Fert animus: da caſta parens, Jeſſæa propago,
Da virgo, æternum virgo; quæ ſola furentum
Luxuriem ſacro præſtas compeſcere partu:
Da precor & Veneres, & quos maleſana vetuſtas
Aligeros finxit dementia numina fratres,
Exturbare novo longè, & diſpellere cantu.
Fertur in antiquis Peniæque, Porique hymenæis
Natus Amor; natâ vix de genetrice, frequenti
Dum mensâ inter ſe celebrant convivia Divi
Stellato in ſolio, viridique Dieſpitris horto;
Ebria Cœlitibus dum mens, dum nectare dulci
Et dulci Ambroſiâ ſaturis pulcherrima rerum
Quas gigni ſit, fas jam tum obſervatur imago.
Altera de pelago, pharetrati mater Amoris
Naſcitur, & Paphias olim ſibi vindicat arces;
Ægyptumque, altaſque Erycino in vertice ſedes.
Verum alias etiam Veneres ambage retenti
Falſorum Divum, priſci cecinere Poëtæ;
Quis varios etiam ludo ſubmittere amores
Cœpere, & variis implere poëmata monſtris.
Hinc Cypro exiliunt puerorum multa volantum
Agmina: quæ rutilis facibus, quæ corpore nudo,
Quæque arcu, & variâ tergus pulſante ſagittâ

Cir-

Circumeant terram, aëra, æquora, æthera, cœlum.
Ut quemquam tetigere, furit ſic perdita curſu
Phœbeo (ut perhibent) quondam Peneja Daphne;
Sic Phœben ſtimulant petere Endymionis amati
Congreſſum, & celeres firmare ſub æthere bigas.
Auſa quoque & volucri ſulcantem cærula curru
Neptunum, vaſtis (mirum) inflammare ſub undis.
Atque Jovem ſceptro inſignem, & diademate ſævum,
Et trifido armatum victricem fulmine dextram
Non verita impetere: & pectus tentare veneno;
Quo tauri in faciem, & cycni vertatur, & auri.
Scilicet in furias ignemque incurrere Divos
Finxerunt; quoniam pecudum, volucrumque natantumq;
Omne genus ruere in Venerem inſpexere; hominesq;
Propterea & bella, & cædes inferre cruentas;
Atque cupidineis labefactos corda venenis,
Et nemora, & ſaltus luſtrare, atque æquora ſæva
Illuni ſub nocte cito ſulcare natatu;
Quando etiam infernas, magno inflammatus amore
Conjugis ereptæ, eſt auſus tentare latebras
Threicius vates: Neptunique alta propago,
Pirithoum ſuperos ſecum ut revocaret ad axes:
Lurida tænarei ſubiit penetralia Ditis.
Sed quid ego ambages, vana aut commenta ſecutus?
Ad ſummam: ſpecies Venus eſt; mox inde Cupido
Exoritur: quoniam ſpecie & cupit ipſe potiri,
Atque frui ſperat ſperando & vivit amator.
Cauſa bonoque, bonique umbræ reddenda; quod in ſe
Splendeat inque animo facili veſtigia firmans,
Hæreat actutum: & ſtimuletur avara voluntas.
Et cæca illa quidem; claro ſed lumine mentis
Ducta, boni extremam conatur tangere metam.
Hinc cur cæcus Amor; curque exoculata volantis
Pingatur pueri facies deprendere poſſis:
Curque bonum, ſimul atque boni ſimulacra frequenter
Alliciant animum ſæpe in ſua damna ruentem.
Sed diverſa ſibi cur nomina fecerit ardor
Intimus; ut noſcas: id res præſtabit amata.

Nam ſi ipſum fontemque boni, ſummumque Tonantem
Ardes, ingenti conatu, ingentibus alis
Quas tibi nec cera, nec filo Dædalus olim
Aptarit; firmo ſed glutine mater Amoris
Alma fides caſti; flammatos fervidus axes
Egredere; & pietas tibi nomina fecerit ardens,
Atque Amor, atque Charis plauſu celebrata frequenti.
Si rerum formas tu contemplator ab altâ
Naturæ ſpeculâ mireris, tactus ab œſtro
Cœleſti; Veneris dicêris captus amore
Ætheriæ; & ſuperam pennis ſublatus in oram;
Ut fluxas rerum ſpecies, rerumque figuras
Degeneres illinc deſpectes lumine puro.
Si te ſollicitant faſces, & purpura Regum,
Ambitio eſt? ſtimulis auri vexaris iniquis?
Surgit avarities facie; ſi captus amatâ,
Spicula perſentis ſuccendere in oſſibus ignem:
Senſilis hoc Veneris vulnus, puerique volantis
Fertur, ab auratâ & prodire inſigne ſagittâ,
Namque ubi membrorum vultus diſcordia concors
Fulſerit: & grata fuerit campage revincta:
Ipſa oculos afflat ſubito: celerique meatu
Labitur affecti tacita ad penetralia cordis,
Idque trahit velut chalybem Magneſia cautes,
Et tractum accendit: generatque in pectore flammam,
Illecebris fotam placidis, gratoque decore.
Temporis at parvo ſpatio decor ille recedit:
Diſperit & flamma in tenues evanida fumos.
At ſi fœcundi cupias commercia lecti:
Spurca venus prodit; permixta dolore voluptas
Dulcedo adſiſtit, ſed mox ſuccedit amaror:
Præceditque etiam: nam ni fax illa retenti
Seminis urgeret; non ſurgeret ipſa libido
Hincque dolos, placida ut naturæ munia tractes:
Sed parce ad ſobolem neque enim meta ipſa voluptas.
Nam ſi plus nimio cupis oblectarier; inde
Prodit amarities, & mille incommoda vitæ.
Scilicet hanc legem primæva ab origine rerum

Affi-

Affixit natura parens mortalibus; inque
Perpetua incîdit ſolido ex adamante columnâ:
Ut ſemper multos Venus immoderata dolores
Afferat; innumeras labes, morboſque, necemque.
Et curvæ ante diem prætendit damna ſenectæ.
Sed finge illecebras, luſus, nova gaudia, mille
Blandimenta tibi laſcivo adcreſcere luxu;
Quid tibi? quid reſtat: momento extinguitur uno
Quidquid anhelanti conatu exhauſeris horæ
Dimidio: & celeri refugit poſt terga volatu.
Tam cito per ſpatium duodeno tramite flexum
Herculis ad lucum celebris prope flumina Piſæ,
Numquam abiit ſonipes Eleo in pulvere victor;
Quàm cito dilapſa eſt Veneris jucunda libido;
Nec repetita poteſt ulla retinerier arte:
Præterit ut rapidus montano è vertice torrens;
Effugit & Scythico Boreâ, & violentior Euro.
Ac veluti cribro ſi lympham inferre pararis;
Quo magis infundas, tanto magis effluat humor.
Sic & aquam fractis, fundove carentibus urnis
Cocyti ad fluvium, laſſatâ invergere dextrâ
Femineam turbam vates cecinere vetuſti.
At quinam extiterit pharetrati fructus Amoris;
Cum tela in vacuum defixit plurima pectus;
Cumque oſſa in cinerem face multa, omneſque medullas
Verterit · Argivo periit cum Pergamos igni,
Teſtis; & Inachias quæ multa eſt flamma per urbes
Digreſſa: & Libycos etiam populata penates.
Quid memorem infandæ jugulatũ Agamemnona dextrâ
Conjugis? exilium & profugi Diomedis ad Arpos,
Ne jam conjugium, & pulchram Calydona videret?
Quid referam extinctam Bœotia ad arva furentum, &
Diſcerptam manibus nimio fervore puellam?
Quid puerum manibus laniatum Actæona narrem?
Heu nimium laceris laniatum Actæona membris.
Teſtis & Ioniis jam Lesbia ſaltibus uſa:
Teſtis Steſichoro vati cantata Calyce:
Teſtis & ipſa ſuos ignes quæ ferre recuſans,

Idaliam Ambracio reſtinxit lampada fluctu:
Et qui ſervilem doctus verſare tumultum
Drymachus; inſano jugulum poſtponit amori.
Iphis in exemplo eſt; Phyllis Rhodopeja; Dido;
Et pergens ad buſta Nini, Babylonia Thisbe:
Quæque olim ad ſcopulos multorum ex oſſibus albos
Et cantu allecta, & nativo inducta furore,
Appulit ætherei plebes ignara theatri.
Et quæ Circeos Ithacenſis turba furores
Haurit: & humanas facies exuta, ferarum
Induitur vultus, dominæque ad juſſa ſuperbæ
Immundis ſtabulatur haris; ſic improba Gorgon
In ſaxa, in marmor ſtupidos convertit amantes.
Sic transformatos habitus conſuere vetuſti
Cultores Sophiæ, tenui mandare papyro:
Seu qui Palladias arces tenuere biformi
Cecrope regnatas; ſeu qui tenuere Crotonem.
Quos una inſtituit Smyrnæ telluris alumnus.
Unde nova emerſit mutandæ fabula formæ.
Hinc Theodori, atque hinc Graii Calliſthenis ora:
Inque alios converſa modos; & in ora ferarum:
Inde & Peligni celebrata inventa poëtæ;
Commentum & Siculi vatis, quem carmina piſcem
Fecere & ſtirpem terræ radicibus actam,
Et volucrem pinnis vacuum per inane vagantem;
Quàm cito quod cecinit fuerit κοῦρος τε κορήτε
Hinc Syrii in brutum facies mutata ſophiſtæ,
In quod mox ſeſe deceptus pixide vertit
Lucius; antiquæ renovans figmenta Crotonis.
Illuc Thallides, & Pantho cretus & altâ
Quique Samo quondam miſſus Hermodice, quique
Inſtabili Ortygia genitus doctiſſime Pyrrhon
M graſti: & Phario ſolvens de littore Typhis
Auſonium ad portum tete olim vexerat, ipſum
Quem fore prodiderat Phœbeâ voce ſacerdos
Pythias, atque illinc nomen traxere parentes.
Tu (ni veſanis ambagibus omnia miſces)
Quid tibi? vis ne aliud, cum animũ in diverſa revolvis
Cor-

Corpora? quid nam aliud quàm vim expreſſiſſe veneni
Idalii? quo tincta ferus ſua tela Cupido
Exercens, miſeros in amatum vertit amantes,
Ergo agite ö juvenes ſpurcum ablegate furorem,
Quo brutum ex homine induitis; quo Pergama quondam
Arſerunt; quo jactat amans incendia, flammas.
Sirenum a ſcopulis rapido diſcedite curru.
Vela date; ah numquam vobis terra illa petenda eſt
Circeo prætenta ſinu; numquam arva Calypſus
Intranda: & numquam Phorcynidos arva Meduſæ:
Numquam Ephyres portum (ſi mens non læva) ſubite;
Effugite & curſu celeri Sybaritida terram.
Unum etiam vobis juvenes præque omnibus unum
Prædicam; veſtræ vobis ſi cura ſalutis.
Si caſti vos tangit honos, ſi cura pudoris;
Linquite fallacem Babylona: relinquite molles
Illius illecebras, permixtaque mella veneno.
Huc etenim nimium, nimiumque nocentia monſtra
Migravere, truces Scyllæque, & Gorgones, atque
Harpyiæ in mediis poſuere ſedilia templis.
Nec non quæ Atlantem olim, & quæ Titana parentem
Agnorunt, fraudes nec dedidicere vetuſtas;
Semiferæque etiam Caprearum rupe recentes
Mutavere domus Babylonis, & aurea tecta;
Atque ſuper ſacrâ ſidunt Acheloides æde.
Huc quantum ceræ Sicula depromitur herbâ,
Huc huc Cecropius quicquid cogebat Hymettus,
Moly veni; veniat diſtrictus & enſis Ulyſſei,
Conſtanti avertens magicos molimine cantus;
Vanaque ſopiti ludens inſomnia ſenſus,
Et potis Idaliam glacie interſpergere flammam.
Si vobis natura ſuos injecerit igneis,
Nec ſit pertæſum thalami, nodique jugalis:
Quærite conceſſos divina lege Hymenæos.
Prima autem fiat de moribus, ultima fiat
Quæſtio de forma, dotemque exquirite qualem
Antiquo in Latio, veteri vel in Hellade, mille
Mille olim quæſita procis nova nupta parabat.

Quis non Evadnes citius caperetur amore,
Et caſto illius digito fulvum inderet aurum;
Quàm natæ Auguſti, quamuis gratiſſima formà?
Proteſilae, tuam quis non velit ante maritam,
Quàm Ledâ genitam; quamvis pulcherrima; quamvis
Et ratibus mille, & bello repetita decenni?
Aut quis non vilem mundi muliebris amictum,
Et tenuem cophinum, priſcæ de more Sabinæ,
Optarit potius caſta cum conjuge ſecum
Ferre domum; tua quàm baccata monilia, quamque
Inclita Hydaſpeis aggeſta cubilia gemmis,
Antoni conjux, Ægyptique ultima regum,
Obſcenos tecum ſi fers Cleopatra furores?
Cælibe ſi vultis vitam traducere lecto;
Continuo caſtis reſtinguite fontibus ignes:
Et veneres gelido veneres ſubmergite fluctu,
Qua patet ad Boream ſemper glacialis Hiberne.
Pervolitent mentem atque oculos, facibuſq; malignis
Inſtillare velint tacitum in præcordia virus
Aligeri fratres, puerorum turba volantum:
Vos ſubito ut levibus diffiaverit aëra pennis
Turba nocens, duro pennas præcidite ferro.
Ferrea mens nulli Veneris obnoxia culpæ.
Enſis adeſt juvenes, quo mollis in aëre penna
Defecta eſt, quo nervus agens, volucreſque ſagittæ
Diffracte rutilæque faces, Erycinaque lampas
Extincta, in liquidam reſolutaque protinus auram.
Tum loca diverſo cœlo quærenda, ſalubris
Aëris in ſpatiis, alia & regione manendum eſt;
Ex animo ut citius facies aboleſcat amata.
Numquam luminibus committere lumina, quando
Lenis amor, quem quis dudum frigere putaret,
Sæpe arſit vultu conſpecto: atque illicé formâ
Excivit flammas, quantaſque ſub Ilio alto
Nec Tenedos vidit, neque incola Tyburis alti
Spectavit. ſævo eſt cùm Roma incenſa Neroni.
Vertenda eſt facies: nec blando verba ſuſurro
Excipienda: plagis quis non caperetur iniquis,

Quas menti ſemper vacuæ, ſemperque petenti
Illecebram ſenſus, fallax Amathuſia tendit?
Nam fugitare licet laſcivi retia amoris,
Atque alio mentem, atque aliò convertere ſenſus.
Spectandum inſtabile hoc quodcumque hîc degitur ævi
Delicium, & vanum, & fluxum, mixtumque dolore:
Succurrat quàm nulla homini ſincera voluptas;
Anxia, ſollicita, & gemebundi plena timoris
Quàm ſiet ipſa Venus, dira & cum matre Cupido;
Quàm vanis ſemper ſimulachris ludat amantem;
Quoque magis ſitiens bibat, hoc magis æſtuet; atque
Tam magis ardeſcant vivis præcordia flammis.
Tormenti genus infelix, Acherontia turba
Quod numquam aſpexit; quo nullā affligere quemquam
Fama eſt inferna diratum à ſede ſororum.
Ipſe ſiti in mediis ardebat Tantalus undis;
At numquam refugas labris comprendere lymphas
Olli poſſe datum, ſed ubi ſe gurgite merſat
Altius, hîc vaſto & cava guttura pandit hiatu
Humorem abſorbens, avidas ſitis aſpera fauces
Tum magis excruciat: neque enim de fonte liquores
Prompſit Acidalios gelido venus: improba ſumpſit
Ab calida Phlegetontis aquâ; quæ ſemper opacos
Convoluit fumos, ignes, incendia, flammas.
Nec vobis animo exciderit, nec corde tenaci;
Quam multis olim exitium mortalibus ingens
Attulerit, regna & deleverit inclita cæcus
Humana mente exercens ſua ſceptra Cupido.
Ante oculos etiam macies verſetur amicam
In faciem ſucco tum ſucceſſura ſalubri,
Cum ſenium rugas ſecum portarit aniles:
Quod certè & morbi, miſeræque incommoda vitæ
Ingeminant; fœda ut confecta cadavera tabe
Nunc ſpectes, albo quæ jam roſa mixta liguſtro
Punicea exornans miſeros captabat amantes.
Hinc operæpretium eſt, mortis meminiſſe tremendæ,
Terribili excindit quæ vitæ gaudia falce.
Sic mors flagrantes compeſcit frigida curas

Tem-

Tempore non certa, & certo rapidiſſima curſu.
Hinc ſubeant animum æternæ ſub tartara pœnæ,
Queis Venus & Veneris male dulcis furta ſecuti
Plectuntur; ſubeant æternæ gaudia palmæ.
Innumeris ditata bonis exempla virorum
Accedant; Venerem immundam qui verbere torto,
Et ſilice, & rigido domuerunt ſæpe cubili;
Quique nivem inſiliens, Veneris ſuperaſſe calores
Dicitur, occurrat, retegens nova ſemina fraudis
Infernæ: necnon qui cæci ſpicula Amoris,
Quique illas quondam ſub inani pectore curas
Confertas ſpinis, Erycinæ munera ſævæ
Deludens ſeſe in ſpinas detruſit acutas;
Et qui fallacis tempſere Cupidinis arcus
Obrepant menti, dum nudæ corpora terræ
Collidunt, avidique ferunt jejunia ventris.
Vos etiam monitos, juvenes, iterumque iterumque
Optarim; obſcenum caſto ut pellatis amorem;
Pellitur ut clavo clavus: nec ad alta Platonis
Vos ſpectra, æthereæ aut Veneris ſimulachra relego.
Quare quicunque es, tibi jam ſuccurrat amator
Humani generis, ſoboles æterna parentis
Æterni, & Mariæ ſoboles pulcherrima caſtæ.
Hunc redama: adſpiciens fœdatos pulvere crines:
Atque coronatam dumis pungentibus illam
Frontem illam, nutu totum quæ illuſtrat Olympum
Quæque catenatum nutu tremefecerit Orcum.
Adſpice purpureo madefactum ſanguine corpus,
Disjectumque latus, diſtentaque brachia clavis,
Transfixaſque manus, plantaſque, ſacrique cruoris
Adſpice multiplices undanti flumine rivos.
Scilicet hæc rerum omnipotens, qui temperat orbem,
Matris Acidaliæ flammas, puerumque peroſus,
Pertulit, eriperet teſe ut de faucibus Orci;
Ut ſecum æternæ ſequereris gaudia palmæ:
Quæ caſtus præbebit amor ſine fine futurus
Felix; æternoque arſurus munere felix.

In martyrem Laurentium Hymnus.

Huc juvenes, huc ferte ſenes per Romula greſſum
Mœnia, & antiquam Laurenti inviſite ſedem;
Communemque vocate Deum, precibuſque favete,
Cingite fronde comas; non quâ Peneja laurus
Vana triumphalis nexabat ſerta coronæ;
Nec jam littorea prætexite tempora myrto;
Neu Dionyſiacis vireat frons preſſa corymbis,
Aut apium crines, vetus aut oleaſter inumbret:
Sed quibus ornatur palmarum dives Idume,
Illis ite precor redimiti tempora ramis.
Nam palma adverſa mole ut curvata reſurgit,
Preſſaque ponderibus ſurſum ſinuatur in auras,
Semper & æthercam conando evadit in oram:
Non ſecus adverſas vires Phlegetontis avari
Disjecit Laurens, & quod natura tremendum
Oppoſuit pondus, magno luctamine vicit.
Eja agite ad cantus properate: altaria circum
Jam referunt laudes Laurenti, atque inclita facta;
Laurenti laudes referunt, ut ſæva furentis
Auguſti imperia, & triſtes contempſerit iras:
Utque animo ingenti veteres donaria templi
Theſauros, miſeriſque argenti pondus & auri
Diſtribuit; rigidæ neve illos tempora brumæ
Vexarent, neu torqueret crudelis egeſtas:
Ut duras hilaris ſub iniquo judice plagas,
Verberaque & luſus; ut ſævos mille dolores
Ingenteſque minas; ut mille obprobria lætus
Pertulerit. Tu tortores, invicte, tremendos,
Tu Decii horrendos faſces, Latiamque ſecurim
Exſuperas præſtans, animi tu temnere doctus
Illecebras vitæ fluxas, doctuſque ſalubri
Merſare in fluvio veræ pietatis alumnos.
Tu clarum cæcis tenebroſo in carcere lumen
Orbibus, extentaque manu, ſignoque fideli
Reſtituis: non te infido Judæa veneno

In-

Infecit rabies: non torruit ipſe tyrannus,
Nequicquam mortem intentans, dum viſcera vulgo
Nudat & ambuſtos agit in præcordia torres.
Salve ſancte pater, ſalve decus addite magnis
Cœlicolis; victor flammarum, victor & Orci,
Altaque Romuleis emiſſus in aſtra favillis:
Da pater in ſuperam, facilis dexterque precamur:
Qua frueris, noſtra ut revehantur lumina lucem.
Da cœlo nobis poſſit demittier alto
Ignis quo Decii torres, tormentaque rides;
Ignis ab extremo tibi jam demiſſus Olympo:
Quo detur ridere levis mala gaudia vulgi,
Inſontique minas, & mille obprobria corde;
Atque vices rerum varias, & inania vota,
Pellereque inſanis Ericynæ incendia membris.
Nec noſtras cruciet mentes ſceleratus habendi
Ardor: & humanæ laudis maleſana cupido;
Noſtraque Divinis flagrent præcordia flammis.

JO: BAPTISTÆ PIGNÆ
FERRARIENSIS.

Ad Amorem.

JAm ſatis procul a fero
Vixeram puero Cypri.
Illius ſatis aſpera
Tela ſpernere doctus.
Nunc mihi mea Lygida,
Dum Cupidinis improbo
Arma, luminibus ſuis
Vulnus intulit altum.
O Deæ Idalii, & Paphi
Magne progenies Deæ,
Infimi o genitor globi,
Orbiumque micantium.
Te colunt domini inferi,
Teque te ſuperi colunt,
Pluto te timet, & tuas
Phœbus ipſe ſagittas.
Nec Deûm domitor modo,
Sed virûm, nemorum, amnium,
Montium, pelagi, alitum,
Piſciumque, ferarumque.
At cum Amor jaculis petas
Cuncta, jam quoque Lygidam,
Quæ nimis tua negligit
Tela, tange flagello.

De Lygida.

Phœbeo radio magis
Splendens lux nitidiſſima,
O & ſidere pulchrior
Pulchro Cypridis almæ.
Si tu me ſemel inſpicis,
Nec turbata, nec impia,
Me mox nulla venefica
Diro carmine perdet.
Non merces Arabum ſoli:
Non vaſti maris inſula,
Qua nuper petiit Ligur
Caſu puppe fugata:
Non quicquid legit aridæ
Meſſis campus Apuliæ:
Non quicquid Tagus aureæ
Circumvoluit arenæ,
Me ſic his opibus ſuis
Ditarent, veluti tui
Mittentes oculi jubar
Noſtris Lygida amicum.
Quæ fingo mihi ſomnia?
Retro curret aqua prius
Xanthus, terraque purior
Supremis erit aſtris,
Et manes ego trans Styga
Cogar viſere, & artubus
Fractis undique, vix ero
Atra pulveris umbra:
Quàm quòd luminibus tuis
Tu lux me miſerum bees:
Quàm quòd ſis mihi tempore
Ullo Lygida amica.
Me vero crucies licet,
Numquam dimovear, neque
Si vertas etiam Dei

In me fulmina Lemnii.
Nam ſum marmore firmior,
Et quovis ſcopulo, feris
Decertato Aquilonibus,
Cœlo cùm furit axis.
Nam hæc ſunt fulmina dulcia:
Sunt hæc dulcia vulnera:
Dulcis durities tua:
Iracundia dulcis.
Sunt dulces gemitus mei,
Et dulces querimoniæ
Et dulces lacrimæ, quibus
Ipſe eſt dulcis amaror.

De Lygida.

Si ſic Lygida me perurit intus:
Si ſic me facibus ſuis Cupido,
Si ſic cor liquido liqueſcit igne:
Unde tot gemitus, tot unde fletus,
Unde tot lacrimis genæ rigantur,
Unde in tot pereo ſolutus undas?
O vitam nimium mihi perennem.
O mortem miſero diu vocatam.

Ad Lygidam.

Quàmvis me capias, mihi latenter,
Et blandæ nitido lepore vocis,
Et leni citharæ ſono & canore,
Me tamen mihi ſurripis repente
Dulci lumine, dulciore labro.

De Janthe.

Quam mihi connubio ſtabili conjuxit Janthen
Muſa ſuam, ſervent numina ſancta mihi.
Lux mea luce meæ caræ dependet Janthes,
Non vivam, vitam in me niſi vita trahat.

Ca-

Carior eſt oculis, vel ſi quid carius ipſis
  Eſt oculis etiam, carior ipſa mihi.

De Majade.

Cùm Sol acceſſit, ſi aufugit candida Mais,
  Deficiunt radii, luget & omnis ager.
Cùm Sol aufugit, ſi acceſſit candida Mais,
  Deficiunt tenebræ, ridet & omnis ager.

De Jola.

Cum petit ima caper, minus haud ardebat Jolas,
  Quàm qua parte anni Carcinus alta petit.
Non minus ipſe animo cura angebatur iniqua,
  Cum ſurgit, quam cum decidit alma dies.
Cauſa mali tanti numquam paſtoribus ullis
  Nota fuit, prorſus nunc tamen illa patet.
Namque hodie Auroram cum Sol vexiſſet, Jolas
  Alpheæ Piſæ conſtitit ad fluvium;
Immotuſque velut ſaxum alta rupe repoſtum
  Edidit hæc imo pectore Semianimis,
O pulchro Cythereæ aſtro demiſſa Lycori,
  Ut me diſperdas lumine ſæva tuo.
O me infelicem: tandem tua forma Lycori
  Cauſa mei interitus, & tibi turpis erit.

Deceptus à Galatea Sylvanus illam per mare errantem in amorem ſuum multis argumentis inducere conatur: cum verò ob morum diſſimilitudinem nihil proficiat, relicto littore pergit ad montes.

GALATEA.

Silvanum fugiens Siculis errabat in undis,
Jam Galatea natans, Nymphiſque vagantibus una
Sæpius ut riſu miſerum luſiſſet amantem,
Ut multos etiam paſtores ſpreverit olim

Jam procul in curſu placido referebat aquarum,
Cum procul ipſe pater properans ad littora tandem
Conſtitit, & ſubito lacrimis ſic cœpit obortis.
Quid patrem toties ſilvarum fallere tentas
Crudelis? cur ſæva lates? cur perfida lucos
Deſpicis, atque Deos? ponto caput exere; noſtros
Ne fugias thalamos, ne poſt dolitura perire
Me miſerum cupias, me perdere denique ni vis,
Huc ades ô Galatea, fretum Galatea relinque.
Per mare Phoca natet, teneant immania cete
Æquora, percurrant undam delphines in altam,
Pulypus ad pelagi verſetur concava ſaxa.
Et melanurus aquas: fluctus quos temperat omnes,
Incolat undarum domitor Saturnius ipſe.
Huc ades ò Galatea fretum Galatea relinque.
Pana Deum celebrant Satyri ſub frondibus altis,
Ad calamos utroque premunt pede gramina Nymphæ,
Nos Bromium canimus, quo luſu ludere vobis
Dant ſuperi: Faunûm cinguntur tempora vite.
Vos pelagi potatis aquas, nos pocula Bacchi.
Huc ades ô Galatea, fretum Galatea relinque.
Hic Zephyris ſegetes, fructus: aquilonibus iſthic
Præcipites ponto liquidæ ſunt fontibus undæ
Rupibus antra virent, nudis ſtant littora ripis.
Æquoreo ſtrepitu ſcopuli feriuntur, & alga,
Hic volucrum colles reſonant, arbuſtaque cantu.
Huc ades ô Galatea, fretum Galatea relinque.
Eſt Cytherea quidem ſpumis exorta marinis,
Has fugit illa tamen, retinetque Gnidumq; Paphumq;
Et colit Idalium, montes, nemora altaque Cypri.
Nam licet uratur mediis Neptunus in undis,
Non ideo gelidis miſcendi fluctibus ignes.
Huc ades ô Galatea, fretum Galatea relinque.
Nec te detineant blandæ (ſunt carmina ficta)
Sirenum voces, neve Oceanitides ullæ,
Nec Thetis, aufugias Tritonas numina ſævos
Impia, neve ſenes Phorcos tibi jungere cures.
Ne placeant Glauci, quibus haud altaria fumant.

Huc ades ô Galatea, fretum Galatea relinque.
Quod pecoris cuſtos linquor, ſed nonne Cybelle,
Quamquam ovium cuſtos, amplexu detinet Attyn?
Oſcula ſæpe viro ſilveſtri Delia figit.
Paſtor Adonis erat: placuit tibi Cypria. Sed tu
Non Venus: at dominum montes me & prata fatentur.
Huc ades ô Galatea, fretum Galatea relinque.
Linque fretum Galatea, lupis nam linquere cogor
Quæ malè ſunt ſtabulis incluſa armenta, magiſque
Me, tibi dum rapior, quod ſis ſic improba me me
Deſeruiſſe patet, nec me tu linquere pergas.
Jam tandem venias, tandem miſerata precantem
Huc ades ô Galatea, fretum Galatea relinque.
Durior & ſcopulo jactatis ſurdior undis.
En mea verba ferunt ventoſi murmura ponti.
Nonne igitur tandem has dabitur finire querelas?
Fletibus hiſce modum jam ponere? littora linquens
Sectabor Dryadas Siculis in montibus ipſe;
Tu vero Galatea Acin Galatea per undas.

Dum Cyclops in retia Panthagiam trudit, Panico terrore perculſus in eadem impellitur, ſolviturque ab adveniente Lucretia, quæ captis retibus, & feris, & hominibus inſidiatur.

CYCLOPS.

Retia, queis Venerem Martemque revinxerat una
  Mulciber amplexos, abſtulit arte Cyclops:
Atque hæc ad valles inter dumenta tetendit,
  Cernere ne poſſet Nympha fuganda dolos.
Et jam cum ſociis medio ſub ſole vagantem
  Trinacriæ quærit fallere Panthagiam:
Ergo per anguſtum callem, ambageſque viarum
  Panthagiam occultas trudit in inſidias,
Dum trudit, dumque illam urget, tum forte fatigat
  Pan cornu horribili per juga montis aprum.
Ut cornu ſtrepitu ardentem, utque aureſque caputque
  Senſerunt Nymphæ, ſenſit & ipſe Cyclops,

Una

Una omnes pariter vano terrore fugatæ
  Invadunt laqueos, & cecidere ſimul.
Nec minus ipſe doli talis fabricator & artis
  Nexibus in propriis ſtringitur implicitus.
Sic quoque qui Taurum reperit, flammamque repoſtus
  Is prior in tauro ſupplicium meruit.
In lymphas Nymphæ vertuntur, ſic placet almæ
  Divæ, cui ſacer eſt virginitatis amor.
Diffugere cito fluxu, dictæque fuerunt
  Ob fluxum Grajo nomine Najades.
Hamis ipſe faber ſolus retinetur ahenis,
  Non pede non illos frangere dente potens.
Brachia jactaſſet: nectuntur brachia, & ullo
  Illa modo numquam poſſe movere videt.
Fleviſſet, ſed caſus atrox ſic reddidit ipſum
  Attonitum, ut nequeat tradere ſe lacrimis.
Ipſum infelicem graviter dolor atque catena
  Sic premit ut neutrum ſolvere poſſit inops.
Jamque ſatis pœnæ, peccatum excedere pœnam
  Non decet: Ergo ſatis Cynthia dura fuit.
Venatrix huc forte citum Lucretia curſum
  Vertit & evinctum proſpicit eſſe fabrum.
Et blande: quonam Polyphemi maxima cura
  Fato inquit, captus? talia cur pateris?
Tum Cyclops, ne Nympha precor ne talia quæras,
  Hoc ſat quod teneor retibus ipſe meis.
Diripe: namque potes, pendentia diripe vincla:
  Extra nodorum ſunt capita expoſita.
Me miſerum, me ſolve precor pia Nympha, ſoluto
  Me miſero officii præmia magna feres.
Hæc ait, & fletus deformi lumine mittit,
  Et gemitum ſociat fletibus ore gravem.
Interea calamos aptat Lucretia ad arcum,
  Et canibus fidis cingit utrumque latus.
Mox jubet ut famulæ tam immania pondera tollant,
  Hæ dominæ parent, ille ſolutus abit.
Diva manu tractans opera hæc Vulcania ſecum
  Quòd ſic accepit munera tanta ſtupet.

Hac capit atque inde hæc per Lucos retia tendit,
  Inter terribiles imperioſa feras.
Hinc ſibi ſignatum traxit Lucretia nomen,
  Nam prius incerta voce vocata fuit.
Ni potius ſit dicta, viris quòd ferrea ſemper
  Retia dura paret Lucibus ipſa ſuis.
Unde tibi libitum ducis Lucretia nomen,
  Me modo non crucies lumine ſæva tuo.
Parce precor, me ſolve precor pia Nympha revinctum,
  Me quoque vi captum, ſi placet, eſſe vides.
Captus amore gravi pereo, ſuccurre puella,
  Depoſitis calamis mitte puella canes.
Sat tibi ſint oculi vibrantes luce ſagittas,
  Sat tibi durities cordis iniqua tui.
Sat mihi quot curæ me tamquam ſpicula pungunt,
  Sat mihi quòd rapidus pectore ſævit amor.
In mea vota animum facilem jam flecte puella.
  Depoſitis calamis mitte puella canes.

Faunus Lygidam ſequens in Padum incidit, atque ideo indignatus vites omnes fluvio adhærentes execrationibus appetit, ruſtici ob meri nobilis indigentiam ignavè terram exercent.

FAUNUS.

Forte per umbroſas errabat Lygida ſilvas,
  Lygida Hamadryadum, Najadumque decus.
Et ſilveſtris erat Faunus ſub rupe cavata,
  Atque illam errantem vidit & incaluit,
Affixaſque animo quærens extinguere flammas,
  His Nympham verbis dulcibus alloquitur.
O comes o ſemper Phœbi dilecta ſorori,
  O pulchra o diva pulchrior Idalii.
Siſte precor, non prata premit nunc Delia curſu,
  Retia nunc nulli Delia tendit apro.
Fruſtra iter hoc tentas, fruſtra hæc per prata vagaris,
  Hoc dominam luco non reperire potes.

Si-

Siſte precor, tua forma nimis lædetur ab æſtu,
  Labitur ex æſtu candidus ore color.
Sol medium torret nunc ardentiſſimus axem,
  Nunc frontem inficiet fervidus igne tuam.
Siſte precor, dominam hac poteris ſub rupe morari,
  Hacque umbra radios pellere tabificos.
Tu properas ingrata meis tu concita verbis,
  Meque meumque ſimul conſilium renuis.
Tu properas, ingrata mane, concurrit amator
  Faunus, non prædo, non lupus, aut aquila.
Eridanum ne vides? claudit tibi ripa receſſum,
  Te pater Eridanus trans nemus ire negat.
Nunc tibi ſuccurrat fugiens Penëia virgo,
  Et quæ de calamis nomen adepta ſuis.
Cœlicolum metuas ſævamque Cupidinis iram,
  Te invitam ſuperi, te fera ſiſtet amor.
Heu miſerum, quo etiam velox, quo tendere pergis?
  Te fluvii numen fluctibus eripiet,
Raptus Hylas a fonte Deæ: quò tendere pergis?
  Non loca tuta, hujus gurgitis ora ruit.
Mollis ad amnem herba eſt, velox quo tendere pergis?
  Tu niveam tinges lapſa rubore genam.
Flecte puella pedem: me perdere deſine curſu,
  Teque etiam, celerem flecte puella pedem.
Flecte puella pedem, languentes nos via reddit:
  Nos ardor cœli Sirius exanimat.
Sic ait infelix Faunus, limoque fluente,
  Plura locuturus lapſus humi cecidit,
Inque ſinum fluviis porrecta fronte labantem
  Non ſe continuit, capra licet, genibus.
Illum nunc undæ famulum ſenſere Lyæi,
  Atque inimica ſibi non tetigere labra.
Senſit & ipſe undas mento hoſtes eſſe Lyæi,
  Et ſubito ejectus flumine liquit aquas.
Moxque omnem lateri vicinam fluminis uvam
  Indignam inſtituit munere Bacche tuo.
Quodque illi immixtam lympham dedit eſſe quotannis,
  Indicat ob Nympham ſe cecidiſſe feram.

Hinc nos juncta Pado fugiemus rura coloni,
  Non placet ingrato tingere labra mero.
Vel tu quæ Faunum in vites has irritaſti,
  Lygida te Fauno jungere non pudeat.
Nunc arbuſta patris Bromii felicius edent
  Fructum, progeniem qui probet ex Semele.
Tunc hanc per viridem ripam nos voce canora,
  Pocula dicemus liberiora Dei.
Robore tunc magno validi patria arva colemus:
  Nam vires addunt fervida vina viris.

Cum Oceani Nymphis perſonati pueri colludunt, hincque Saturnalia noſtra ſignificantur. At viri aliqui de ludis certiores facti ſumptis puerorum larvis Nymphas decipiunt.

LARVATI.

Inſulæ Oceani extremis ſpectantur in oris,
  Quæ dictæ Grajo nomine ſunt Satyræ.
Quod teneant illas homines qui more ferino,
  Vivunt & Venerem ſunt in utramque citi:
Quod rufi, quod equorum habeant de clune patentes
  Caudas, Euphemus Car prior aſſeruit.
Ibat in Italiam, ſed tempeſtatibus acta
  Huc tandem ventis pulſa carina fuit.
Ipſeque mox rediit, gentiſque expreſſit agreſtis
  Ritus & ſedes, multaque quæ latitant,
Fama eſt, quod quondam fido narravit amico
  Hiſtoriam, quæ nunc eſt referenda mihi.
Oceani in Satyra conjungitur Amphitrite
  Nymphis quæ Pelagi per freta cuncta natant.
Hic Dea magna tenet templum quo pumice ſtructum
  Altare in medio eſt, curaliumque rubrum.
Hîc Nymphas, quoties Jani venere Calendæ,
  Suſcipit ipſa omnes, & choreas agitat.
Forte colebantur ſacri, ludique, dieſque,
  Cum pueris pariter ludere cura fuit.

Li-

Ligneus erigitur Bacchus ſertiſque corymbi
  Et phiala ornatur pondus aſelle tuum.
Veſtibus induti multi mulieribus aſtant
  Arte laboratis, & tacite properant,
Vimina circundant alios glaucique papyri,
  Et tremula illorum ſurgit arundo manu.
Conteƈtis edera bigis pars veƈta triumphum
  Carmine concelebrant, & modulante lyra.
Ad Crotalum ſaltant pedites, atque inde ſequuntur,
  Qui nudi in cannis vociferando equitant.
Tympana deleƈtant aliquos & cornua rauca,
  Sunt quibus eſt cordi vaſcula ferre humeris.
Et ſæpe ex illis latices haurire cruentos,
  Atque ipſum ex illis fundere ſæpe merum.
At quamvis diverſi habitus, cunƈti tamen ipſa
  Frondibus ora tegunt corticibuſque cavis.
Qua parte expirant nares, & lumina cernunt,
  Signa ibi ſunt aptis faƈta foraminibus.
Talem vultu formam aſſumunt, qualis amiƈtus
  Qualis & ornatus corporis eſt reliqui.
Numque ſenes ſi qui referunt, promiſſaque barba,
  Magnaque ſunt illis fronte ſupercilia.
At perſonati ſub imagine Virginis aptant
  Ad roſeas crinem, flavaque vincla genas.
Poſtquàm duƈta ſatis eſt pompa hinc inde, nivoſum
  Aſcendunt montem, qui ſacer eſt Genio.
Componuntque globos preſſos palmiſque volutos,
  Seque petunt gelidis per coryleta pilis.
. . . .

Poſtquàm Satyri Nymphas Arcadiæ fleƈtere nequeunt, ſe Latium petituros ſimulant. Nymphæ imprudenter in fontem ingreſſæ, mox fugatæ in diverſas formas tranſmutantur. Satyri omni ſpe deſtituti in Latium tendunt.

N Y M P H Æ.

Nympharum cùm ſæpe dolis agreſtia Panes,
Numina, deluſi, Satyros in montibus altis

Arcadiæ, nemorumque Deos pecudumque magiſtros
Convenere ſimul, cunctiſque ſilentibus ora
Sic ſenior ſolvit: Quòd nos gratiſſima Baccho
Turba diu nimium Nymphis ſpernamur ab iſtis,
Non decet o ſocii, capientur fraude reperta.
Nec tentanda via eſt, qua noſtris viribus umquam
Vi potiamur eis, etenim metuentibus ipſis
Inſidias Faunûm, ſtat ſemper Delia Nymphis
Juncta, vel in liquido dum tingit candida fonte
Membra, vel in luco, cingit cùm retibus illum,
Hincque canes arcuſque Deæ, celereſque ſagittæ,
Atque illinc metuenda patent Actæonis ora.
Quod ſi cùm miſeri ſævo flagremus amore
Nos loca noſtra procul fugientes linquere velle
Dicamus, cæciſque ſimul verſemur in antris
Occluſi, facilè nos hinc abiiſſe putabunt.
Non timidæ in ſilvas venient, ſpernentque Dianam
Tutæ tandem: illæque ſibi ſic retia tendent.
Quare agite o comites nunc alta voce per agros
Ut nemora, ut montes nobis linquenda, canatis.
Vix ea dicta dedit cùm frontibus annuit omnis
Silvanûm chorus iſta canens diverſa per arva.
Urimur heu triſtes pariter nec deſinit ignis.
Utque leves ſtipulas calamis crepitantibus urunt
Agricolæ, ſic noſtra ſuis hæ pectora flammis
Nymphæ, nec meritò, torrent, quæruntque feroci,
(Has licet ut cythiſum florentem capra ſequamur)
Perdere nos animò, qui quàm ploravimus illas
Crudeles nimiùmque feras noſtrique doloris,
Et fidei immemores, teſtantur paſcua, fontes
Antraque quæ noſtras referebant ſola querelas:
Teſtanturque cavæ rupes, ſilvæque ſilentes,
Auctaque noſtro ſæpe fluenti flumina fletu.
Atque rigata diu campis florentibus arva.
Hæc quoque mota ſatis nemoroſa cacumina noſtro
Hæc gemitu teſtes, & mollia reddita noſtris
His lacrimis hæc ſaxa, licet ſint aſpera: ſed ſi
Aſpera, non veluti ſunt hæ ſunt aſpera Nymphæ.

Teſtes hiſce etiam ſtupefacti vocibus agri,
Immaneſque feræ flentes, virideſque lacerti,
Teſtis & ipſe aër toties turbatus, & ipſe
Eurus qui rapido non pellit turbine cœlum,
Flamine cùm noſtro graviore repellitur Eurus,
Cùm tamen huic fera corda nimis, nimis impia corda
Has mage dum ſequimur, properant, fugiantq; ſuperbæ
Nos magis, atque magis, juga nos quoq; noſtra viciſſim
Linquemus: quærenda novis nova pabula campis.
Et nova vos pecudes quæretis pabula, vel vos
Hinc ſine Sylvano multos errabitis annos.
Nos patria egreſſi, nos his e dulcibus arvis
Nos durum per iter, perque horrida ſaxa fugati,
Ut loca forte minus nobis jam ſorte moleſta
Dent meliora Dei, Saturnia regna petemus.
Hinc trans Aſopum cuncti Bœota per arva
Iſmeni rapidos fluctus, Acheloon & altum
Pertranſire juvat, nec jam Calydonius amnis,
Sed frangendus erit curſus refluentis Arachthi,
Atque per Epirum vicina Ceraunia juxta
Chaoniam haud tuto greſſu tranſibimus alpem,
Per Macetum fines, montanæ nos juga feſſos
Dalmatiæ, rupeſque cavas, & prata ſinuſque
Illyricos penetrare decet, ſuperandaque nobis
Albani ſaxeta fori, multiſque vetuſtæ
Vallibus Heſperiæ, fluviiſque ſubinde relictis
Nubiferi dorſum luſtrabimus Apennini,
Et freta Tyrrheni ſpectantes, littore ab ipſo
In loca Saturni tandem tendemus, & illic
Non Pholoë noſtros queſtus, non Nonacris, at nos
Janiculum fruſtra calamos inflare videbit.
Audiet & collis, quem fama eſt eſſe refertum
Viminibus, Faunos, Echo, reſonante per agros.
Non Ladonis aquæ, non Alphei, aut Erymanthi,
Sed ſaturæ valles, ſonituque per ima recurrens
Ufens ante gravi, ſed fontis ſtagna Numici
Sufficient potum gregibus noſtrumque dolorem
Comminuent: ſic jam poterunt percurrere ſaltus

Par-

Parthenios Nymphæ, gelidaſque ſubire latebras
Cyllenes, nullis turbatæ queſtibus unquam.
Interea teneris iſtarum inciſa ferarum
Arboribus, dum ipſæ creſcent, vos creſcite ſigna.
Hæc ait, atque locis ſubito ſe immittit opertis,
Et jubet ex illis Faunum ſervare quid illæ
Conſtituant, ſociiſque jubet qui cuncta reportet.
Tunc vero nemorum Divæ audivere querelas,
Et voces Satyrûm turbæ, ſtrepitumque, fugamque,
Nec ſimulare fugam credentes, viſere ſilvas
Incipiunt hilares, Triviamque relinquere tandem.
Senſerat interea ſpeculator fontibus imis
Velle ſimul Nymphas, ſolaſque repellere ſolis
Ardentes radios, æſtuſque fugare calores.
Nuntiat id cunctis: ſtatuunt tunc ordine certo
Quæ loca quiſque petat: ſed quæ non dulcia amaris
Miſcet amor? quæ tuta ferus non denique turbat?
Nam cum ſilvarum divæ venere, choreas
Ducentes, tunicaſque leves demittere gaudent:
Vix aliqua illarum fontes invadere tentat,
Cum ſubito properans tardo Silenus aſello,
Omnia quem pariter ſtulti noviſſe putabant,
Improviſus ait: quo quo nunc Arcades heus oh
Ecquid erit? retinent quæ vos nunc prata, ſinuſque?
His miſeræ dictis, magno terrore trementes
Obſtupuere Deæ, partimque recedere quærunt
Clamantes, partimque ſuis ſeſe abdere velis
Semianimes, vario commotæ corporis actu.
Haud aliter quam ſi contortis orbibus angues
Vere novo linguis lambant ſe in lumine Phœbi,
Exuvias inter veteres, & forte viator
Illos percutiat, fugiunt & ſibila vibrant
Nonnulli, remanentque alii capita alta tumentes
Attoniti. Velutique lupum cum territa cernunt
E ſtabulis armenta ruunt, tamen inſcia ſævum
Currere contra illum, dubiis agitata periclis.
Non ſecus & Satyri viſo procul, impete magno,
Sileno, celeres properant, omniſque relictis

Turba ruit cæcis antrorum ſedibus, atque
Mox timet an potu nimio mage corruat, illos
Impediens, Nymphiſque etiam mage noxius: at jam
Sic procul heus inquit vino gravis, ebrie greſſum
Siſte, nec hinc illas doliturus trudere tentes.
Audiit hæc triſtis, Bacchoque accenſus, & ira,
Quadrupedante fugat Nymphas, ſeque arripit illuc,
Hic mora nulla, fugit, ſtrepitat, prorumpit in antrum
Vociferans, nectarque bibit maleſanus, & omnes
Accuſat Satyros, illum quod ſpernere poſſint,
Quem nemus omne colit, nemorum quem maximus ipſe
Liber amat: dumque hæc memorat deſcendit equo flens.
Et proſtratus humi, viridique in gramine feſſus,
Propter aquas leni lambentes arva ſuſurro
Ilicis ad ramos reſonantes undique pictis
Alitibus, Zephyroque levi ſpirante ſub umbra
Se locat, atque alto premitur dulcique ſopore.
At dii ſilveſtres per florida currere prata
Cum illas proſpiciant quas ſe retinere putabant,
Accelerant, greſſumque citant, blandaque ſequuntur
Voce illas, nec ſi diſruptis retibus alto
Venantes ſtrepitu percurrunt arva, feraſque
Sectantur validi, Nymphis fugientibus ut ſunt
Hi nimis infeſti, miſeræ ſua fata, fidemque
Incuſare ſuam non ceſſant, atque queruntur,
Ut volucres ſoli nimium cœloque ſereno
Confiſæ, & ſubita demiſſa grandine, pennis
Diſcuſſis madidis, & toto corpore fractæ.
Dumque vident Satyros aliquæ. & pia numina multis
Implorant lacrimis, divum pietate ſolutas
Fontibus hærentes imis (ſi credere dignum eſt)
Noſcunt ſe in lymphas, indutæ picta reliquunt
Vela fugæ ſtudio, & membris ſpoliantur, & aura.
Hinc varia herbarum forma varioque colore
Prata virent, aliis ob virginitatis honorem
Dum ſe præcipites demittunt, terra dehiſcit,
Abſorbetque illas, remanent decora alta comarum.
Quæ campos virides diverſis floribus ornant.

Hæc

Hæc ubi ſilvarum domini videre, querelas
Ingeminant ſonitumque ferunt ad ſidera voces,
Illarumque premunt curſum clamore per auras,
Ocyus & vento, & telis, atque ocyus igne
Concurrunt, ictuque pedum gemit excita tellus,
Dum nonnullæ etiam valida radice tenentur,
Effundunt vitam, & gemitum, & dum brachia tollunt,
In ramos converſa virent, frondeiſque capilli,
Et folia evadunt, dureſcit cortice corpus.
Ac quædam illarum curſum cum voce repreſſit,
Ad montem, & terræ foveis ſe abſcondere quærens.
Eſt ſpelunca cavæ paulatim reddita rupis,
Quæ quoque nunc lacrimans in clauſo perſonat antro.
Cùm multis etiam Silvani ſcindere vela
Candida cepiſſent, quarum ſua jungere vellent
Pectora pectoribus, ſe amplecti marmora cernunt.
Nam conpreſſæ ab eis trepidæ, & ſine viribus ullis,
Pallentes remanent, ſtupefactæque agmine Faunûm
Mirantur, ceu ſæpe ſolent, arcuſque, caneſque
Inter mille neces immotis cernere cervæ
Luminibus: ſed dum veſtes animamque relinquunt,
Et gelidus currit circum præcordia ſanguis,
Atque in corde vigor reſidet (mirabile viſu)
Membra, modo fuerant quæ mollia, ſaxea fiunt.
Illa tamen retinent venarum ſigna geluque
Extra perpetuum illis eſt; ſed vivida virtus
Interiora, fovet fractiſque extruditur illis.
Sunt aliquot pariter quæ numquam ſiſtere, numquam
Vertere ſeſe audent, atque uſque ad littora ponti
Currunt Arcadiam linquentes, atque per undas
Feſtinant, Pelagique Deæ redduntur ab undis.
His ita mutatis, harum ſunt nomina ficta
Najades, Dryadeſque, Hamadryadeſque, Napææque,
Et dictæ Nereides udæ, & Oreades altæ,
Numina diſſimili & converſa ſede locata.
Poſtquam vero omnes varias ſumpſiſſe figuras
Dignoſcunt Satyri: hic lapides procumbit in albos,
Illius herboſos preſtringunt brachia campos.
Ter

Ter multi vitream conati tangere lympham,
Ter fruſtra miſere manus, dum fugit, in illam.
Innumeros etiam frondes laniare videres,
Exire e ramis tepidum cum voce cruorem,
Et cum fletu illos ingenti reddere voces,
Verbaque præ nimio fletu retinere coactos.
Oſculaque arboribus lacrimis madefacta tenellis
Figere: ſed Nymphas cum jam ſat ſæpe vocaſſent,
Talibus incuſant verbis pia numina cœli.
Siccine fata nimis dira & crudelia demum:
Sic & iniqua ſolent tandem contingere? nam nos
Si violare Deas nemorum tentavimus, ipſæ
Quid meruere Deæ? nobis ſumenda, nec illis
Supplicia hæc fuerant: at vero perdere tantum
Has Nymphas credebat amor, ſed perdidit una
Ruris delicias, ejuſque potentia ſecum
Corruit, & ſilvæ lugent, & pabula, & amnes.
Hîc igitur ſuperi ſine amoribus omnia ſordent,
Et ſine nos illis vitam finire juvabit.
Sic fati; ſolidoſque pedes, villiſque refertos,
Ipſorum aſpiciunt, & tandem ſumere cunctos
Inferiora capræ: tum ſic vertuntur, ut inde
Hos pateat, veluti cedentes robore nullis,
Terrarum dominos omni ditione potentes:
Sic Baccho, & Veneri totos ſe tradere, ſicque
Ignibus aſſiduis ardentes, vinaque ſemper
Appetere, ut capræ, quæ ſemper vitibus ipſis
Sunt infeſtæ, & eas numquam ſinit arida febris.
Quod niſi divi eſſent, mutati corpore toto
Non hominis formam ſervaſſent: attamen illi
Cornua fronte gerunt, capiti quæ Juppiter ullo
Non dedit humano. Satyri cum talia cernunt
Capripedes, ſtatuunt ſe velle relinquere montes
Inviſos: patriæ nomen transferre potentes,
Quæ loca, ſed fictè, cantabant eſſe colenda,
Ad Tiberim, properant, cujus loca celſa vocarunt
Arcadiam, quæ quod tenuit tunc hoſce latentes,
Dicta fuit Latium mox: ſuntque palatia ab illis

Di-

Dicta Palatinum, donecque levare dolorem
Quærebant calamis, & potu pellere curas:
Hos pater egregios vates dedit eſſe Lyæus,
Et quoſcunque forent qui illorum more poëtæ,
Et ſeptem colerent edentes carmina colles.
Horum Romulidæ quoque ſunt ab origine dicti,
Durum hominum genus & validum ſuperare ſuperbos,
Imperium ſine fine ſuis extendere factis.

Herculem puella deperit ab illoque neglecta præ nimio ardore in Rhopalon reſolvitur. Herbæ nodoſa radix clavam præ ſe fert. Flores autem, & folia amoris, & caſtitatis ſunt ſymbolum.

RHOPALOS.

Liquerat Alcides Thebarum mœnia, magnum
Cum juveni vellent fata parare decus.
Dumque caſam peteret paſtoris forte ſub antro,
Ut vidit, periit candida Nympha Deum.
Nam licet illius ſenſiſſent pectora nullum
Vulnus adhuc, vulnus ſuſcipit illa tamen.
Sæpe etenim riſu cum deſpexiſſet Amoris
Tela, puer tandem tela tremenda jacit.
Hancque ferit celeri lætus ſub corde ſagitta,
Adventaſſe diem cum ſciat ipſe puer.
Illa domum properans in qua eſt Tirynthius heros
Introit, atque oculis fallere tentat eum.
Inſidias omnes diſponit, denique blandos
Sæpe offert vultus, ſæpe reflexa ſilet.
Torquet in Alciden flammas, dum voluit ocellos:
Et vaga dum riſu lumina figit humi.
Alcidæ paſtor cum vellet tradere truncum,
Quo poſſet tuto dilaniare feras.
Nympha gerit clavam, quæ quamquam pondere magno
Hanc premit, huic tamen eſt reddita amore levis.
Dumque dedit clavam, gemuit, taciteque precata eſt
Ut Nymphæ miſeræ jam miſerere velit.

Aſt

Aſt ille intendens ſævum ſuperare leonem,
Non putat, aut cernit quid velit illa ſibi.
Hanc neque reſpiciens abit: at ſic ſola relicta
Se inviſam credens Amphitryoniadæ;
Incipit ægra locum primo contemnere, mœſta
Percurrit ſilvas, cæca per antra ſedet.
Ah quoties edit gemitus, atque implet obortis
Mœſta ſinum lacrimis, dum quatit illa manus.
Ah quoties nimiis ſe perdit ſola querelis,
Et ſe dura ſuis fletibus exanimat.
Ah quoties manibus molles laniata capillos
Inque ſinum ſævit, ſcindere viſa genas.
Flebilis illius reſonat vox ſemper in antris,
Illius ad gemitus ingemit aura levis.
Sole ſub ardenti, tenebris vel nocte coactis,
Mœrori ſemper ſe dedit illa ſuo.
Nec fugiente die, nec decedentibus umbris
Diffugiunt animo vel dolor, aut lacrimæ.
Sed veniente die, ſed decedentibus umbris
Adveniunt animo tum dolor, & lacrimæ.
Infelix, & ſæpe trahens ſuſpiria ab imo
Pectore ſic ſecum ſæpe locuta fuit.
Me miſeram, tandemne mei miſeratus amorem
Hic ferus, hic, quem ſic hinc abiiſſe juvat?
Hunc juvat ut peteret lacerandi luſtra leonis,
Vitæ ſubſidium deſeruiſſe meæ?
Quam bene conveniunt hujus moreſque ferarum?
Hic ſimul atque feræ quàm bene conveniunt?
Impius eſt ſcopulis, non ſummo eſt ab Jove natus,
Tygride de ſæva eſt editus Armenia.
Ah pereat quicumque cupit liquiſſe puellam,
Cujus in amplexu vivere digna fuit.
Nam licet Alcides ſupremi ab origine patris,
Robore vel ſummo tu Deus eſſe velis:
Non ego ſum pecudum cuſtodis nata parente:
Silvarum dominæ Phœbæ ego cara fui.
At mihi quam ſatius fuerat non perdere Daphnin
Sit licet is paſtor, ſis licet ipſe Deus.

At-

Atque preces pulchri non irriſiſſe Lycotæ,
  Sed neque dona Lini, Doridis atque modos.
Cur potius molles non duxi nuda choreas,
  Dum canerent Clio, dumque Napæa mihi.
Frondeque ſub viridi frontem redimita mitella,
  Ad calamos terram cur pede non pepuli?
Nunc vero quid agam, ne tela Cupidinis obſint?
  Quid faciam, miſeræ quæ mihi conſilia?
Iſmenum ne petam? quæram ne immergier undis
  Fluminis in fluctu depoſitura facem?
Tene ego luſtrabo, percurrens antra, Cytheron?
  Attica vel potius littora ſola petam?
Quid loquor ah demens? locus eſt tibi nullus, abibis:
  Aſt erit ille comes, teque ſequetur amor.
Non alæ, non arma juvant, non uncta carina,
  Te tenet ille potens, te ferit ille ferus.
Tuque foves illum gremio, tu vulnera ſentis,
  Si fugias etiam pectore vulnus ales.
Ergo mihi tandem cum ſpes ſit nulla ſalutis,
  Ni tu ſis columen præſidiumque meum;
Quæ mihi tu rapis Alcide, vitamque animamque
  Ni vis diſpeream, redde mihi exanimæ.
Venti verba ferunt, ſaltem miſerere puellæ,
  Quam periiſſe tuum perfide crimen erit.
Jam redeas, jam flecte pedes, jam perfide noſtra
  Perfide ſuſcipias languida membra ſinu.
Sic ait & duplices mittens in pectora palmas
  Ingemit, & cupiens dicere plura ſilet.
Feſſaque cum nequeat flammis maleſana mederi,
  Concidit herboſo ſemiſepulta toro.
Et dum alium quærit viſu ſibi fingere amantem,
  Hercule deſpecto non minus ardor ineſt.
Uritur infelix intus, victorque Cupido
  Ignibus incluſis interiora tenet.
Purpureus veluti floris ſub lampade Phœbi
  Decedit nimio preſſus ab igne color.
Non aliter nimium ſæva combuſta Dione
  Decidit illius forma, decuſque genis.

Ver-

Vertitur in cineres coma: fit mox hiſpida fronte:
  Luminibus tortis horrida, ſicca labris.
Singulaque evadunt pallentia membra puellæ,
  Altera paulatim corpore viſa fuit.
Tum ſociæ quærunt tanti quæ cauſa doloris:
  Altera cur ſit ſic ipſius a facie.
Cum vero noſcat ſenſim decedere vitam,
  Herculis ex igni ſe periiſſe refert.
Hic nequeunt oculis nimium retinere dolorem
  Najades teneras inter Hamadryadas,
Nymphæ namque gemunt caſum, & crudelia fata,
  Quod cogant illam funera acerba pati.
Et modo cœlicolas incuſant, turgida velo
  Lumina tergentes candidiore manu.
Et modo ſuſpiciunt atque orant ſidera ut illi
  Omnia propitio dextera ſint radio.
Dumque dolent Nymphæ properantis ad ultima vitæ
  Fata ſuæ finem, ſolvitur in lacrimas.
Et ſimul ipſa faces intus nutritque fovetque:
  Sic illis humor deficit, his anima.
Herbaque fit tandem, commixtaque pluribus herbis
  Vix inter multas noſcitur ex aliis.
Noſcitur illa tamen quod lymphis irrigat arva,
  Et fluit ipſe locus lætior ex lacrimis.
Quamque tulit, retinet nodoſæ robora clavæ
  Radice intorta, dicitur & Rhopalos.
Noſcitur inde magis maciem quòd floribus ipſa
  Non ſimulet, vultus pallida, & atra ſinus.
Et croceos etiam dum mittit ſæpe colores
  Indicium febris, ſignaque amantis habet.
Quodque animo tulerit conſtanti Cypridos ignes,
  Interit haud unquam, perpetuoque viret.
Notaque poſt etiam, quod quicumque ore momordit
  Hanc, Veneris numquam dulcia furta ſciet.
Hanc fugiunt Satyrique, & agreſtia Numina Fauni:
  Silvanum non hæc, hæc neque Pana tenet.
Sed properant Nymphæ foliis innectere crines,
  Floribus ex variis & tibi ſerta parant:

Nam quæcumque fovet caſto ſub pectore flammas
Tempora circundans hanc colit atque legit:
At quoniam periit cupiens Jove vincula nati
Conjuge non tanto digna puella viro:
Ne tu avidus nimium excelſo flagreris amore
O quicumque Deas in tua vota cupis.
Illicitos nam forte thoros ſi poſcis amatæ:
Cogêris nimio toſtus amore mori.

JO: BAPTISTÆ PINELLI

GENUENSIS.

Ad Academiam Cruſcæ.

O Quæ Furfureis titulis Academia fulges, (tum
Inclita laus Floræ, ac magnum Italiæ incremen-
Quid tibi cæſa modò prærupti è vertice montis
Noſtra vehat Pinus curvæ conjuncta carinæ?
Infelix Pinus, nec adhuc aſſueta per undas
Currere, quô ſeſe vertat? patet æquoris ingens
Undique proſpectus latè diffuſa tuarum
In laudum ſpatia. An retinacula ſolvere arena
Audeat, & ſævis ventorum lintea flabris
Lintea committat fragili pendentia malo?
Tu ſi Typhis eris, dextra clavumque tenebis
Hæc licet ignotam rudis imbuere Amphitriten
Nunc primùm inſtituat, tamen inconcuſſa manebit,
Tutaque ſulcabit pelagus; portumque ſubibit,
Un-

Unde abſint Brevia, & Syrtes: quâ nubilus Auſter
Flamine non volvat veſano ad littora fluctus.
Ergô ades, & quæ prima fero, majora daturus
Tempore labenti cùm me firmaverit ætas,
Accipe dona libens, memorique in pectore ſerva.
Hoc primum tibi ſurgit opus: tu noſtra ſereno
Orſa juves vultu, atque ingentibus annue cœptis.
 Hæc ego vere meo juvenilia carmina luſi,
Prima (fatebor) iter cùm ætas obliquat, & inſtar
Fertur equi infrænis latè per lubrica vitæ:
Cùm circùm fervet calidus præcordia ſanguis;
Diſtrahiturque ferox animus, ſenſuſque procaces
Ponè ſequens ſpernit manſuræ præmia laudis:
Cùm tamen arridet tempeſtas lætior ævi;
Robuſtoque magis florent in corpore vires,
Nec jacet ingenium torpens, ſenioque fatiſcens:
Quin vigor eſt illi, quoſcunque vocetur in uſus,
Ocyus ire, ſitu nec amat conſidere putri.
 Proh mihi Muſarum quoties hæc cura ſalubres
Abrûpit ſomnos? quoties effudit in artus
Sudorem gelidum, ſtimuloſque in pectore ſevit?
At nî ſuſpirem incaſſum cecidiſſe labores,
Fama virûm inſignis quos me ſubiiſſe coëgit,
O me felicem? tua nam quæ plurima virtus
Tollit humo ſeſe, dextro me flamine raptum
Tendere iter ſubiget celeri per inane volatu.
Quòd ſi pro imparibus damner temerarius auſis,
Volvar & excuſſus violento fulmine curru,
Non me pœniteat, nec vanis conquerar auris.
In magnis voluiſſe ſatis: tua gloria major,
Quam quæ vel ſummo valeat clareſcere vate,
Pulchra ſuis radiis toto collucet in Orbe.
 Tu vere in ſtudium conſumis tempora laudis,
Virtutiſque viam inſiſtis: ſeu munera diæ
Doctrinæ tractanda tibi, ſeu pondera linguæ
Omnigenæ expendenda cadant, ſeu tincta veneno,
Livida quæ inſani jaculatur dextera vulgi,
Tela retorquere expediat; te Gloria circum

Læta volat, gaudetque tibi præpandere ſedis
Atria ſidereæ, atque æternæ limina vitæ,
Quæ neque concutiant venti, nec candidus imber
Præcipitans cœlo, nec rauca tonitrua pulſent.
Ipſe equidem tua facta canam, modo vita ſuperſit,
Ac te contigi patiaris carmine noſtro;
Teque excellentem meritis, ac dotibus auctam,
Eximiiſque viris fœtam, ingeniiſque vigentem
Extollam, Europæque inter floreſcere primas
Te referam ac doctas ſumma cum laude palæſtras.
Hinc minus emeritum, quamvis me fœda procellis
Fors circùm fluitet, nomen ſperare ſepulchro
Nonnullum impellor, nec non vitalia ſæcla
Plurima durando forſan mea carmina vincent.
Si meret, interea propius noſtram adſpice Muſam,
Nam tibi me addixi. Tua me ſub jura receptum
Defende, ac firma tecum me compede necte.

Ad Hieronymum Mercurialem.

Sol ubi vere novo conveſtit lumine terras
Aureus, ardenteſque hinc illinc diſſipat ignes;
Aſpera cedit hiems: canis & montibus humor
Liquitur; Eridanuſque ruens attollit in altum
Cornua, & in pelagus ſpatioſo volvitur alveo.
Sic ubi per Sophiæ campos tua fulgida virtus
Emicuit, claraque adeo ſub luce videndam
Se dedit; extemplo noſtris è mentibus horrens
Bruma abiit, durumque gelu, friguſque receſſit;
Humanumque tua ingenium ubertate tumeſcens
Extulit undoſo ceu gurgite flumen iturum
Doctrinæ in maria alta caput: procul inſuper umbræ
Ilicet exceſſere animis caligine dempta;
Diffuſaque tua nituit face nubilus æther
Undique, & aurai riſit dulcedine tellus
Capta novæ, adventuque tuo lætiſſima flores
Fu-

Fudit odoratos, o noſtri gloria ſæcli
Mercurialis, honoſque ingens; nam digna potitus
Sceptra ſalutiferæ medicinæ verus Apollo
Crederis, aut Chiron, aut diva Epidauria proles.
Quin medicæ eximium columen Cyllenius artis
Naſcenti tibi ritè ſuum conceſſit habendum
Nomen; teque exin propriis inſignibus auxit.
Ille tibi plantas alis, crineſque galero
Muniit: ille dedit mirabile vimen, & angues.
Impiger hinc properas, hinc ægros poſſe levare
Vi tibi conceſſum qua non præſentior ulla.
Hinc caput in tegmen cœli, convexaque condis
Arduus, & vario inſpectas labentia curſu
Sidera, morborumque vales primordia noſſe,
Momenta, & fines: magno hinc perpendis, & acri
Omnia judicio; tibi nam prudentia, & ingens
Artis robur adeſt: Hæc virga intorta colubris
Dicitur: Hæc ægros lethi vel limine ab ipſo
Reſtituit, vitæque etiam quin munere functos
Paullatim in ſenſus revocat, vireſque reducit.
Corporis hæc abigit peſtes: ſeu fluminis inſtar
Putrida proluvies laxæ decurrerit alvi:
Seu nigra lethargi miſeros ſubmerſerit unda:
Torminave inſomnes ſubigant traducere noctes:
Sive repens oculi de vertice nube coorta
Caligent, aureſque ſonent, & ſuccidat omnis
Membrorum moles: elephas ſeu turpe videri
Obducat totum ſquammis, ac ulcere corpus.
Aut premat Inda lues patriis infecta venenis:
Arida vel nimio paſcatur membra calore
Febris & in ventrem ſitiens deſcenderit Hydrops:
Seu formidentur lymphæ: ſeu vipera diris
Morſibus inſpiret virus: ſeu mixta novercis
Pocula privignis tractim veſtigia lethi
Corpore perfundant, ac turpent lurida vultus:
Seu cauſis prognata aliis vis tabida morbi
Ingruat; hoc valido ac prudenti vimine tandem
Flectitur, & ratio patet omnis certa ſalutis.

Hinc tua laus ſummum potuit tetigiſſe cacumen;
Nam medicum quæcumque decent, te largius ornant
Integritas morum, & ſumma experientia rerum,
Et labor adſiduus, divinum & mentis acumen,
Ac te pone ſequens fortuna audacior arte.
Denique te decorat quidquid Phœbo, & Panaceæ
Compertum eſt olim Coum juraſſe magiſtrum.
Sed quid ego hæc autem memoro? tibi cuncta pateſcũt
Clara magis Sole, & nullo circumlita fuco,
Verti in notitiam quæ poſſunt ardua menti.
Ingenuæ arrident artes, unde aurea multum
Aſſumunt decoris ſtudia, intermiſſa palæſtræ
Jura vetuſtate ante alios, & Gymnada in auras
Eduxti e tenebris, qua quondam priſca juventus
Aut diſco, aut ſaltu, aut jaculis exercita luſit.
Quid tibi præterea ſcriptorum obſcura revolvam
Conquiſita diu, duroque inventa labore?
Aut quianàm tenui coner perſtringere verſu
Singula? quis noſtris adeò disjungitur oris
Angulus, egregia & meritis, & laude decora
Quò tua non ierit fama? hinc gens diſſita longè
Undique diſcendi ſtudio te viſere pergit.
Teſtis ad Euganeos lambens Antenoris urbem
Medoacus, flavoque humectans flumine campos.
Teſtis pauper aquæ fluvius, quem Felſina, Rhenus,
Docta bibit. Teſtis reſonans in vallibus imis
Teque, decuſque tuum, Etruſcum qui currit in æquor
Arnus; Pœnorum excidio memorabilis Arnus.
Ergò aulam accitus potuiſti, & limina Magni
Fernandi penetrare. Ergò decus addite ſummum
Gymnaſio Alpheæ informas, molliſque colendo
Pectora. Felices, tua qui documenta ſequuti
Arte Machaonia inſtituunt ſibi quærere nomen!
His demum ſeſe tutò commiſerit æger,
Et multæ tribuentur opes, tribuentur honores.

Ad Jacobum Mazonium.

Cecropiæ tandem foliis redimita Minervæ
Expectata quies longo poſt tempore venit:
Jam tardæ ceſſere moræ, quæ noctibus obſtant
Hybernis, ſuditque polo jam frigidus urnas
Hydrochous, piſceſque leves fluxere per undas:
Ariete quin etiam, Tauroque Lacæna fugato
Progenies ceſſit curvanti brachia Cancro:
Flammatuſque Leo terram mox excoquet igne:
Te tamen adſiduo juvat indulgere labori
Grande decus Sophiæ, Mazoni? at dulcia tandem
Carpere feſtina conceſſi & nobilis otî
Munera, & inſanis propera committere ventis
Triſtia, quæ duris ſcopulis illiſa fatiſcant.
Scilicet eſt aliquid tua quod mens neſciat? acri
Nempe tibi forſan quærenda pecunia niſu?
Tu patriis ſat dives agris, atque ubere campi,
Non tætro opprimeris, quo pallida ſuevit egeſtas
Proculcare viros ſapientes pondere ſaxi.
Inſuper ingenuas agitas doctiſſimus artes,
Omniaque in rerum tete miracula vertis.
Noſti cur ſpirent venti, cur terra dehiſcat,
Cur mare turgeſcat, pelago cur tantus amaror?
Cur caput obſcura Phœbus ferrugine condat,
Quid toties diros cogat flagrare cometas;
Quid pariat nubes, veniant cur fulmina cœlo,
Quo micet igne Iris, ſuperos quis conciat orbes
Tam vario motu; quod numen ſidera verſet:
Ætherios noſti numeros, & conſcia fati
Aſtra: Syracoſii calles documenta magiſtri,
Euclidiſque aperis incluſa elementa figuris.
Quid referam eloquii flumen, diverſaque linguæ
Munera, & hiſtoriam, quam prima ab origine mundi
Volvere, & in memori potuiſti figere corde,
Ut velut in ſpeculo, vivaque in imagine cernas
Omnia? namque ſemel lecta, aut audita reponis

Interiore animo, ut chartis (mirabile dictu)
Non dubitanda fides habeatur, & auribus una.
Hinc licet ex oculis ævi longinqua vetuſtas
Subducat, lethumque licet res terminet omnes,
Clareſcet tua fama magis victura perenne:
Nec tu morte obita ignavo miſcebere vulgo:
Sed lectos inter proceres, Sophiæque Tyrannos
Corpora incunde, & mentem curabis in ævum.
Jam te imitari aveo, mihi ne caligine cæca
Nox iter eripiat, metuo dum vera viarum.
Ergo age, te vacuum a curis, mentiſque tumultu
Semotum præbere velis: ſic tempus in omne
Annuat optatis, nutu qui cuncta gubernat
Rex hominum Divumque tuis: ſic Scorpius ardens
Hoſpitium Soli chelis cum pandet apertis;
Acrior inſurgas ſtudiis, te fortior inſtes;
Seu de Natura, nitens conabere rerum
Senſa aperire, Plato ſpatiis quæ clauſit iniquis;
Sive Academiæ atque auctor monumenta Lycei
Quæ catus integris intexuit aurea libris.
Seu te ſollicitum late importuna docendi
Cura trahet per mille modos, per nomina mille,
Unde tibi auditor turba ſtipante frequentet
Gymnaſium merito, & doctas divertat ad ædes
Plurimus. Ergo adeas (Magno eſt oblata facultas
Fernando) irriguos ſaltus, & gramina, & auræ
Temperiem ſuavis, vitreoſque inviſe liquores.
Vade age; te colles ipſi, te frigida rura
Invitant; te arbuſta vocant, tibi vallis opaca
Otia dia parat, viridique ſedilia muſco.
Adſpice, magna parens ut Dædala terra quieſcat
Ipſa quoque interdum, alternis & ſuggerat annis
Vomere preſſa gravi, quæ rumpant horrea meſſes:
Ni requies ſedenim detur, ſed pondus aratri
Sentiat æternum, non vota ſecundet avari
Agricolæ; at ſegetem eludat fallacibus herbis,
Paulatimque ſolum ſubigat ſterileſcere ab imo.
Adſpice, uti terras nitida qui lampade luſtrat
Emen-

Emenſus cœlum traducat in æquore noctem
Phœbus, & alipedum ſpumantes ſolvat habenas!
At contra, humenti cum nox involvitur umbra,
Fraternas furata exit Latonia flammas,
Quæ demerſa itidem pernicibus æthera bigis
Concedit regimen fratri, notoque cubili
Conditur, & plenos aſtrorum corripit ignes.
Sic quamvis avidi ſindant ſua rura coloni;
Non tamen arva colunt ſemper, glebaſque reſolvunt;
Sæpe ſed in mollis projecti gramine ceſſant,
Pampineiſque merum ſertis, & pocula cingunt,
Atque hiemem in tectis peragunt, partoque fruuntur.
Nec ſemper miles rigidis ſpectatur in armis:
Sed caput interdum galea, & latus exuit enſe.
Scipiades teſtis, qui poſt Carthaginis arces
Devictas, meritoſque amplos ex hoſte triumphos;
Caietam petiit, curis ut corda levaret:
Atque ibi fluctivagis vectus per rura phaſelis
Tractavit manibus ciſtas, hamoſque recurvos,
Et calamos, naſſaſque, & vimineos labyrinthos;
Raraque per longos aptavit retia remos.
Quin etiam fertur veteri comitatus amico
Legiſſe in curvo Lucrini littore conchas,
Et pellucidulos (ſi vera eſt fama) lapillos
Quæſiſſe in vili lentus pueriliter alga.

Ad Jacobum Angelium.

Nulla dies unquam ſtantem vel ſera columnam
Proruet Angeliæ gentis: non plurimus imber
Invidia effuſus: non flamma inamabile vulgus
Quam glomerat: fortunæ adverſæ eventa nec ulla.
Quippe nec in bibula fundamina jecit arena,
Nec putri argilla: ſed terræ fixit in imis
Viſceribus duroque adamante innexuit arcte.
Hæc doctis fæcunda viris, nec degener ullo
Tempore multijugis Sophiæ ſpatiatur in arvis.
Hinc quæcumque valent humano inoleſcere corde

Erum-

Erumpunt ſtudia, atque artes. Proh, tempus in omne
Quale dedit ſpecimen, quantaſque effudit in orbem
Ingenii dotes! ſeries ſed longa paretur,
Et prius emenſo Phœbus decedat Olympo
Quam ſileam, ſi cuncta tuæ præconia gentis
Enumerare velim Smyrnæo digna cothurno.
Ergo ſumma ſequar rapido faſtigia curſu,
Illius & tantum candentia ſidera dicam,
Tergemino hinc illinc terras quæ lumine complent.
In primis tu jura potes, fidiſſime legum
Jacobe interpres, dubioſque reſolvere nodos,
Claramque ex tenebris ſcriptorum extollere lucem;
Veridicum oraclum tu habitus: tua ſæpe frequentat
Limina conſultor, ſinuoſa ambage nec illum
Protrahis in longum, torqueſque cupidine lucri:
Tu Judex apprimè æquus: te crimina ſenſit
Lance rependentem parili tot Sena per annos;
Quin abitum illa tuum, cùm tali munere functus
Diſceſti, indoluit gemitu teſtata dolorem.
At tibi, qui tecum partu prognatus eodem
(Germanos ut laude tuos, ac ſanguine dignos
Prætermittam alios) quantus conſurgit in auras
Julius? huic rerum fas eſt recludere cauſſas:
Huic medica nullus certaverit arte Machaon;
Nec Peluſiacis numeris Babylonius Heros.
Quid Vatem Angelium referam, quem nulla vetuſtas
Talem habuit, quem fama vehit pennata propinquus
Qua terris Sol urit agros, quà cana rigeſcit
Bruma gelu, mediiſque nives diſterminat oris?
Ille velit, cytharam dum pectine pulſat eburno,
Ire vagas ulmos, motare cacumina rupes,
Verſaque non ſolito mirabere flumina lapſu
In fontes reditura ſuos. Sic Orphea quondam
Attraxiſſe feras perhibent, lapideſque canendo,
Nigranteſque domos penetraſſe Acherontis avari.
Illi etiam ante alios Dictynnæ retia primus
Ritè lyra incinuit, ſilvaſque, & ſæcla ferarum
Informans venantum animos. atque invia luſtrans.

Pro-

Protinus inde avibus quæ ſit pellacia habendis
Aggreſſus documeuta, aliis peragenda reliquit;
Durum opus, & Latio vincendum carmine nullo.
Vicerat ille unus quamquam, ni gloria major
Invitum abſtraheret, nec non percelleret œſtro
Nobiliore animum, tenuique e carmine vellet
Ingens ire decus, grandeſque inſurgere vires.
Hinc pia magnanimi Goffredi interſerit aſtris
Factaque, & Auſonias peditumque equitumq; catervas,
Quæ jugum Idumæis populis, ac turpe levantes
Servitium, ſancta Turcas ex urbe fugarunt.

Ad Capponum Capponium.

Bethlemiæ turres, & mœnia celſa Davidis
Olim ubi ſurgebant, quæ nunc volventibus annis
Diruta ruderibus propriis obducta premuntur;
Innumeri infantes materno ex ubere rapti
Tartarei juſſu Herodis cecidere perempti
Vulnere lethalis ferri. Novus advena Pindi
Hos ego cum cecini Tyberinam ſtratus ad undam,
Quartus ab undecimo nondum me viderat annus.
Nec puer hoc quamvis naſcenti carmen avena
Incinerem, idcirco potui non præmia laudum,
Atque aliqua meruiſſe decus. Jam munera, læto
Quæ tibi corde damus, Capponi, fronte ſerena
Accipe; nec tetricus puerilia temne. Roſarum
Floribus eſt primis ſic major gratia. Phœbus
Sic matutinis formoſior exilit undis.

De Innocentibus carmen.

Turbida Tiſiphone Stygiis incluſa cavernis
Æquævam audierat magni ſubiiſſe Tonantis
Progeniem humanos, artus morituraque membra
In terris Chriſtum; diras qui clauderet Orci
Pandentes portas ferro, & compagibus arctis;
Tercentum & vinclis lethum religaret ahenis;
Mor-

Mortaleſque omnes ad celſa palatia cœli
Poſtillâ adtraheret ſecum, æternumque locaret
Sedibus ætheriis: ingenti fixa dolore
Infremuit, dubioque irarum incanduit æſtu.
Hinc peſtem humano generi meditata perennem
Confeſtim acciri jubet imperioſa ſorores,
Quæque alit æternis Orcus ludibria flammis.
Terrificum intonuit ſignum Cocytius ære
Rauciſono præco; ſonitu quo vaſta lacunis
Regia contremuit; Plutonque exterritus hæſit;
Terribileſque dedit latratus Cerberus ore
Tergemino: Phlegethonque undas, ignemque repreſſit
Quin tota inſonuit tellus; & Sicelis Ætna
Deſtitit ignivomis flammas ructare caminis.
Ilicet ad ſignum properat deforme vocatum
Concilium; Centauri, Gorgones, Harpyiæque,
Sphingeſque, horrendumque ululans Briareïa turba,
Infernæque canes, nec non fera bellua Lernæ.
At parte ex alia expirantes funera fronte
Adveniunt peſtes Erebi; Diſcordia nutrix
Bellorum ſe prima offert, dein mortis imago
Somnus; & accurrunt Luctuſque, Faneſque, Metuſq;
Nec populator opum Luxus, nec pallida Egeſtas
Abfuit, aut baculo gradiens innixa Senectus.
Jam trepida inter ſe coëunt Acherontia monſtra.
Protinus oppletur funeſto curia cœtu;
Tiſiphoneque venenatis vallata colubris
Conſtitit in medio, fierique ſilentia juſſit;
Ac rapido tales effudit pectore voces;
Siccine Tartareas æterna in ſæcula portas
Præcludi? Fortunatam ſic ducere poſthac
Mortales vitam? reſerari ſiccine cœli
Atria labentes homini tot cluſa per annos?
Jam patris æterni ſoboles mortalibus ægris
Permixta (ut fertur) mortales induit artus.
Jam ſol exortus, Stygias qui luce tenebras
Propellat longe, noſtroſque excindat honores.
Ipſa equidem haud novi; tamen eſt prudentia ſumma
Id

Id metuiſſe, olim quod narrant affore Vates,
Quotque propinquare extimeo; nam ſæcla novantur:
Nam redit, ac totis ſurgit gens aurea terris.
Mox noſtri cedent ritus, fraudeſque pateſcent;
Noſtraque relligio pedibus ſubjecta piorum
Uſque obtrita ruet: poſthac nulla hoſtia nobis
Concidet, & nullis adoleſcent ignibus aræ,
Ni contra obnixè luctemur robore, & aſtu;
Utamurque dolis, & quod nimis urget agamus.
Scilicet & nobis artes, & mille nocendi
Nomina fors deerunt; & noſtras ſcilicet arces
Utilis irrepſit pietas; innataque noſtris
Cordibus exceſſit rabies, ah verbera ceſſant?
Ah lamnæ piceæque faces? quid? cingimur atris
Anguibus incaſſum? heu ignavo effœta veterno!
Pectora! quid? nobis ne etiam faſtuſque, animoſque
Contudit huc noſter de cœlo caſus acerbus?
Ah retro tanti memores evolvite caſus,
Et ſeriem, & cauſſas, ſolium cum Regis Olympi,
Et conjuratæ illius reſcindere regnum
Fortia miſcuimus generoſis prœlia dextris.
Ah tandem o animæ, imperium inſuperabile Averni,
Cernite quid deceat. ſtat adhuc ſententia menti
Ambiguæ? terris quid non indicimus arma,
Peſtibus ac totum flammiſque involvimus orbem,
Ut nequeat cinis, & pulvis ſuccedere cœlo
Imbecillus homo, & vacuas explere curules?
  Dicere plura parans ſubito correpta furore
Proſilit. avulſi panduntur cardine duro,
Ter prius ærata pulſati cuſpide poſtes.
Hinc indignantes, magnoque horrore frementes
Diverſæ erumpunt peſtes, atque aëra turbant.
  Exin Tiſiphone tetris imbuta venenis
Antiquam Solymam, ſuffultaque tecta columnis
Herodis, quem ſacra recens cunabula nati
Exagitant Chriſti, devènit, & illius auro
Totumque argento ſplendens penetrale petivit
Solis in occaſu, atque unum decrine colubrum

Co-

Conjecit miſero, inque dedit ſubrepere pectus.
Vipeream illo animam ſenſim inſpirante, caloremque
Anguineum; Herodes acres exarſit in iras,
Atque hos multa gemens erupit pectore queſtus,
Et Rex alter erit, Solymæ qui jura miniſtret,
Palmiferæque regat populos, atque oppida Idumes?
Num patiar comitem in regno? num ſedibus hæres,
Externuſque meis veniet ſucceſſor avitis?
At non ſic animo duxi; ſic affore numquam
Mens rata permetuit: quid tanta potentia rerum
Proderit, aggeſtique auri tot millia pondo;
Si puer (ut perhibent) ſuperi de ſtirpe parentis
Auferet imperium, & patria me pellet ab aula?
Hæc ubi nequicquam ventis jactavit, & hauſtum
Altius ad vivum virus perſedit, & anguis.
Tiſiphones lethale malum interiora ſubivit;
Tum vero infelix furiali percitus œſtro
Per thalamum ſine more furit lymphatus, & altos
Effudit gemitus; veluti ſub rupe cavata
Cum Libyci excruciat obnoxia membra Leonis
Arida febris; agros quo tempore Sirius urit
Torridus: hæc intus ſævit, ferus æſtuat ille,
Horrenteſque jubas, & pandos ſubrigit armos,
Et morbi impatiens diris ululatibus auras
Late implet: ſilvæ inſonuere; remugiit antrum.
Ergo omnis permixta domus clamore gementis
Excepto penetrale petit, cauſſamque furoris
Scitatur, tentatque hominem ſolarier: ille
Ardenti toto concepta pectore flamma
Infit; Io proceres, effuſi ubi quique, repente
Huc properate gradum, indignaſque audite querelas,
Quas prohibete (oro) rapidos diſcerpere ventos.
Veſtris ſi qua manet labentis gratia regni
Cordibus, atque pios noſtri ſi cura remordet
Ulla animos; ultro veſtrum miſereſcite Regem.
Heu inviſa mihi dias in luminis oras
Exiit, æterno & fertur de numine nata
Progenies noſtro imperio allatura ſupremum

Exi-

Exitium: ſic fama canit prædicere vates:
Sic tres aſſeruere Magi, qui dona ferentes
Infanti extremis venêre Orientis ab oris.
Id metuens horreſco animis, & pectora diris
Exagitor furiis, cædiſque accendor amore,
Menſque mali præſaga pavet; quin occubet optat
Suſpectus puer hic. Ergo, mora tarda faceſſat,
Ac ne noſter honos, infractave gloria cedat
Pulſa loco; occiderit cum nox adoperta tenebris;
Cumque ſuos Titan primos revocaverit ortus;
Currite præcipites turritæ ad mœnia Bethles;
Et quos infantes nondum altera viderit æſtas,
Obtruncate omnes ferro, nec parcite cuiquam;
Sic venienti etenim peſti occurriſſe juvabit:
Sic cadet hic infans inter tot ſtragis acervos.
Hæc mihi viſa ſalus nutantibus unica rebus.
Ite: animo abſcedat pietas. pudor omnis abeſto.
Quod Regi libet, & liceat, pro Rege vel ipſa
Aſpernanda fides, temerandaque numina Divum.
Dixerat; interea triſtis ruit æthere ab alto
Nox, ſopor humanos tractim cum permeat artus;
Et Phœbe radios tacite labentibus aſtris
Exerit, & ſilet omnis ager, campuſque quieſcit.
Tum celer e ſupera delapſus nuntius arce
In ſomnis adiit Joſephum ac talibus ultro
Anxius alloquitur: Bethlen [mora nulla] relinque,
Et natum cum matre cape, & ſeptemflua Nili
Oſtia carpe viam recto quæ tramite monſtret.
Nonne vides puero Judææ ab rege nefando
Herode inſidias ſtructas, mortemque paratam?
Vade agè, feſtina: ſummi dominator Olympi,
Qui nutu tractuſque maris, terraſque jacentes
Temperat, aſtriferumque globum qui numine torquet,
Talia me Deus huc miſit mandata ferentem.
Heu Bethle infelix! heu gens dolitura tuorum
Infantûm excidium, Solymæ glomerata Tyranno
Proh tibi quæ impendet tempeſtas! proh tibi quantus
Luctus adeſt, matrum non infœcunda caterva!

Quan-

Quantus & ima pavor corda hauriet, ampla ubi fuſo
Sanguine natorum madeſient compita! tuque
Jordanis, rubras o ut miraberis undas,
Cùm rapido præterlabêre cadavera curſu!
Sic fatus pennis æthram ſecat ocyor Euris.
Haud mora, cum ſociis Joſephus feſſa grabato
Membra levat, pedibuſque viam crudelia linquens
Hoſpitia ingreditur, monſtrat quæ regna Canopi.
Nocturnæ adſpirant auræ, nec Cynthia lumen
Pulchra negat; viſæque levi indulgere ſuſurro
Convalles puero; atque immenſa cacumina viſa
Acclinare caput, propriumque agnoſcere Regem.
Vix nova fulgenti Tithonia lumine terras
Sparſerat, armati juvenes cùm brachia ferro
Corripuere viam, ſub pectore juſſa Tyranni
Servantes, animoque nefas crudele moventes.
Ergò ubi ad excelſam deventum eſt turribus urbem;
Bacchantur, puerosque omnes, quicumque reperti
Occidunt, matrumque modis trepidantia miris
Pectora perturbant; & qualis odora canum vis,
Ingreſſam ſi forte feram ſpelæa tuetur,
Paſſibus inſequitur rapidis, prædamque futuram
Naribus indagat, rapidis laniatque prehenſam
Dentibus infrendens; talem ſe turba ferebat
Impia, veſtigans atque interiora domorum
Auvulſos matrum teneros complexibus enſe;
Truncabat natos: ſuperat pietatis imago
Nulla, ſed infantum paſſim per ſtrata viarum
Sæcla catervatim exitio, mortique dabantur.
Quis potis eſt digno ſtrages intexere acerbas
Carmine, quas illo indignatus tempore Phœbus
Æthere deſpexit? quis funera tanta relatu
Explicet, humectet lacrimis nec pectora obortis?
Necquicquam freti ſpoliantur prole parentes:
Ante oculos nati, matrumque ante ora cadentes
Æthereas auras multo cum ſanguine linquunt.
Dirus ubique ſonat vagitus, ubique ululatus
Femineus, clamorque virum, & velut ampla per arva
Per-

Perfurit Oceano ſurgens veſanus Orion,
Et ruit indomito diſtorquens flamine truncos,
Surgenteſque roſas, naſcenteſque atterit herbas;
Horridus hinc illinc ſic demetit enſe ſatelles
Corpora natorum materno ex ubere rapta.
At veluti violæ, ferrugineique hyacinthi,
Quos rota currentis protriverit incita rhedæ,
Langueſcunt olli, pulchroſque it pallor in artus:
Quin etiam extincti æternæ ſtipendia vitæ
Concipiunt, puræque petunt, & ſimplicis auræ
Munera; quippe volant celeres ante ora parentis
Cuncta gubernantis cilio; flammantiaque axis
Calcant templa; oculiſque queunt arſura ſupremum
Mœnia deſpectare orbis; & maxima Nerei
Cærula fluctivagi, & cœleſtia ſigna tueri.
O fortunati, primo ſub limine vitæ
Queis datur oppetere, & ſceleris contagia noſtri
Effugere! oh! quid ego hoc tenui ſi carmine poſſum,
Dum maria alta frement; æther dum ſidera paſcet;
Intonſos Cilices dum celſo vertice Amanus
Dividet a Syria, & curret Jordanis in æquor;
Hic veſter dicetur honos, ſemperque manebit.
Sed quid ego? en illinc iratæ ardentibus audent
Militibus luctari obnixæ pectore matres,
Nec metuunt diraſque minas, ventoſaque verba.
At parte ex alia laniantes ungue capillos
Stant aliæ, atque udo ſingultibus interruptos
Ore cient queſtus, pariter dein talia voce
Dicta dedere omnes figentes oſcula natis;
Heu nati, ah jam non nati; quæ vulnera ſæva
Cernimus immeritæ pœnæ veſtigia? nonne
Fulmineum fuit in matres convertere ferrum
Æquius, & nobis inviſam abrumpere vitam?
Jam vobiſcum una perierunt omnia noſtra
Gaudia: quid nobis ſuperat quàm funera præter?
Sed tu, qui indignè, Herodes, regalia prædo
Sceptra tenes, Solymæqne urbis moderaris habenas,
Nullanè res valuit ſceleroſam avertere mentem?

Nulla tuum potuit clementia flectere pectus,
Ut matrum teneros vellet miſereſcere partus?
Quænam te peperit Getula leæna ſub antro
Deſerto? quæ te conceptum immenſa Carybdis
Expuit inſani pelagi ſpumantibus undis,
Funera, qui nos natorum crudelia cogis
Cernere noſtrorum? nihil hi meruere: neque ulla
Tam tenero potuit fraus ſubtergliſcere corde.
At nos quin morimur? juvet o per tela, per enſes
Quaſque ſubire vices! Sed non moriamur inultæ;
Nec prius hæc duro claudantur lumina ſomno,
Quam dignam a ſupero repetamus judice mulctam.
Quare hominum culpas librata lance rependens
Magne Pater, fonteſque adigens in Tartara telo
Adſpice, uti noſtros rex dirus ab ubere raptos
Truncavit natos, ſegetemque excidit in herba
Impius ut meſſor! viden', ut ſpes ampla nepotum
Procubuit, matreſque velint fudiſſe nec alvo
Progeniem! ah juſti tandem deprome furoris
Signa Deus: tua quidnam ceſſant fulmina? perdant
O caput inviſum! o ſolio detrude Tyrannum
In Stygias undas, Diriſque, & Manibus urge.
Hæc ubi dicta dedit turba externata parentum;
Divum hominumque Sator de cœli parte ſerena
Annuit; intonuitque polus læva; æquora Ponti
Quo fremitu tremuere ingentia, & undique tellus
Audiit, & ſtagnis fragor eſt geminatus Avernis.
Ipſe autem Herodes parvo poſt tempore fœdo
Correptus morbo, paullatim & vermibus artus
Conſumptus, dignas perſolvit crimine pœnas.

Ad Galilæum Galilæum.

Tene adeo adſidue gravibus, Galilæe, docendi
Diſtinet implicitum Patavina Academia curis,
Ut nos, qui veteri tecum conjungimur uſu
Dulcis amicitiæ, penitus de corde fugaris?

An

An mecum indignatus abis, quod ſexta recurrat
Orbita jam Lunæ, cum a me tibi nulla papyrus
Illita vel raptim? ah me animo id feciſſe maligno
Ne credas, tantamve meo irrepſiſſe repente
Pectore ſegnitiem, ut noſtram non excoquat ulla
Mentem cura tui. Tanto me (crede) coëgit
Officio ceſſiſſe labor, qui me undique torquet
Improbus, & jam nunc ſenſus mihi ſurpuit omnes.
  Sed tu, tu, Antenorea accitus dum pergis in urbe
Vera Syracoſii reſerare oracla magiſtri,
Atque, ita ſim felix, Megaræ contendis alumno;
Quid geſtas oblita mei ſic pectora? Forſan
Expectas, dum noſtra ſuos tibi debita fœtus
Calliope mittat, Lybica queis ſegnior Urſa
Necdum lambendo primos formaverit artus?
  Ergo, deſidiæ ut ceſſes mihi fingere crimen,
Informe hoc habeas gracilis tibi munus avenæ;
Vivere meque puta ſub duro ſidere, rerum
Dum me non facias certum, Galilæe, tuarum.
  At me o felicem, tam longa ſilentia noſtrum
Si quamvis tenue hoc ſubigat te rumpere carmen!

Ad Jo: Baptiſtam Detum.

Ipſe licet verear, ne ſicut Aranea texit
Stamina, nos itidem adverſus funeſta ſepulchri
Jura reluctantes conemur inaniter artem
Carminis, ad ſeros nec eant meditata nepotes:
Hinc tamen, ætherio ſaltem dum lumine veſcor,
Mens mea prægeſtit noſtrum procedere nomen,
Ora per & vulgi mavult utcumque vagari,
Quam carie, Dete, ac tetris involvier umbris.
Cum foret idcirco quiſquis ſublimior Heros
Materies humeris, & noſtris viribus impar;
Quæ jam certa diu ſteterat ſententia menti
Verſa retro, atque alio infirmum convertere carmen
Decrevi; & quorum ſi poſſem digna referrem
Facta, recenſere illorum ſat nomina duxi.

Demens, qui rebar me poſſe per aëris amplos
Nullo remigio alarum percurrere tractus:
Cum mihi vix ima conceſſum inſidere valle,
Alitis in morem implumis, quem ſævior aura
Dejecit patrio nido! Jam radere terram
Sat mihi: celſa petant, quos pennis æquior armat,
Et quibus adſpirat vento fortuna ſecundo.
Collige vel, Dete, hinc prudens, per mollia campi
Gramina, cur pergam vario contexere flore
Serta mihi, æternam frondem ſpectare nec auſim,
Aërii prognata viget quæ vertice Pindi.
Dein tu, qui late flos halas ſuavis odores,
Cujus & aura fovet noſtrum fæcunda Lyceum,
Huc ades, & ſocii properes ornare corollam.

Ad Franciſcum Marinotium.

Ni potero æterno conſtricta adamante ſubire
Limina, quæ numquam penetrare inſania vulgi,
Nec potuere atræ Franciſce, oblivia Lethes;
Sat certe mercedis erit, ſi carmine laudo
Quos ego, ſic illis placeam, ut munuſcula curent.
Hoc ubi contigerit, valeant operoſa potentum
Atria, divitiæque, trahunt quæ pectora cæca.
Quin mihi poſt obitum violens inſultet, & Euris
Diſpergat cineres, tumulumque injuria calcet.
Hinc tu, qui Cruſcæ, Marinozi, adprime Lyceum
Dotibus ingenii addecoras, quacumque pererras
Dum latos Sophiæ campos, ne deſpice, gratus
Quæ tibi Vecciofus nullo dat carmina cultu;
Cetera ut hinc feries noſtris memorata libellis
Ducta virum, addiſcat non vilia temnere dona.

In Obitum Petri Spini.

Muſa, veni turbata genas, turbata capillos:
Præcipe funeſtos præcipe diva modos.

Tu-

Tuque oculis fundens lacrimas, ſuſpiria corde
  Huc age vocali, Phœbe ſuperbe, lyra:
Huc celerate gradum, lugubre & dicite carmen;
  Quale refert nato deficiente parens:
Quale aut faginea denſæve ſub ilicis umbra
  Daulias abſumptum flens canit ales Ityn.
Occidit Aonides, veſtrum decus: occidit ille,
  Cui naſcenti hederæ circumiêre caput:
Spinus Acidaliæ matri gratiſſimus auras
  Luminis ætherii ſiccine deſeruit?
Ah ſcelus indignum! vidiſti, Phœbe, cadentem
  Spinum; nec poteras arte juvare tua?
Tu, qui Pæonias cognoſcere diceris herbas,
  Debueras medicas applicuiſſe manus.
Ille tuam implorabat opem, per tela, per arcus,
  Per caput, intonſas per ſine lege comas;
Spe ſed opis miſer ille tuæ fruſtratus inani,
  Frigidus in parva nunc tumulatur humo.
Forſan tunc aberas: forſan te Theſſalis ora,
  Sive ſuo eſt Daphne te remorata ſinu.
Auguror? an potius ceſſabas lumina ſomno
  Languidus, ad rivos molle fluentis aquæ?
Ah pereas indigne coli, pereaſque novena,
  Si non fertis opem, turba Heliconiadum.
Ite procul: vobis lauri victricia ſerta
  Non bene conveniunt: ducite fila colu;
Lanificamque manum gravidis imponite penſis:
  Vos decet hoc, Muſæ, vile miniſterium.
Veſtrum erat immitem Parcam mollire precando,
  Atque adeo oppoſita ſiſtere fata manu.
Sed quorſum hæc? numquid fatis obſiſtere fas eſt?
  Num contra poterit ferre quis arma Deum?
Omnia mors æquat: truncat caput omne: Poëtis
  Non ideo ſacris abſtinet illa manus.
Lege ſub humana jacuiſti, Spine: vacare
  Humana nemo conditione poteſt.
Ultra bis ſeptem numerabas luſtra, dolendum
  Non eſt: vixiſti ſat tibi, ſatque tuis.

Sic mihi longa dies ſit: ſic mihi euntibus annis
Inficiat veteres cana ſenecta comas.
Ergo tu Elyſiis felix ſpatiaris in arvis;
Concinis, & cantus gloria prima tua eſt.
Tu Divum alloquio frueris, vitaque perenni
Paſceris, & dulci Nectare, & Ambroſia.
Nos miſeri exilio in terris agitamur acerbo,
Corporis ignavo carcere dum premimur.
Interea effuſi huc omnes properate Poëtæ.
Certatim Spini currite ad inferias.
Huc vos, Romani Hiſtorici, vos currite, Grai;
Spinus erat ſcriptor maximus hiſtoriæ.
Huc precor huc omnes pulla cum veſte venite:
Dicite ſubmiſſo triſtia verba ſono;
Funebri & fronde impliciti crines Cypariſſi
Plangite compreſſa pectora veſtra manu.
Lumina quis poterit tanti de funere vatis,
Quis poterit veſtrum ſicca referre domum?
Cernite crudeli conſumptum morte parentem:
Vos de more pio ſolvite juſta patri.
Fundite odoratos quos terra Sabæa liquores
Suggerit: unguentum ſpiret & urna Syrum.
Vobiſcum calathos plenos afferte amaranto.
Et caltha, & myrto & flore Hyacinthe tuo;
Nexaque circumdet tumulum colocaſia acantho:
Spargite puniceis lilia mixta roſis.
Oſcula cum lacrimis candenti ferte ſepulchro:
Vergite fumoſo cymbia plena mero.
Ter circum luſtrate rogum: ter dicite; amate
Spine vale: æternum ſit tibi mollis humus,
Atque æterna quies animo, o cariſſime adempte
Spine; iterum o longum, Spine, diuque vale.

Ad Deliam.

Ah qualis flamma, ah qualis ſuccenditur ignis
Cordibus in noſtris te quatiente faces!

Uror

Uror jo: remove ardentes, mea Delia, tædas,
  Ne ſic veſano tactus amore flagrem.
Adſpice, fortunæ immeritus quibus obruar undis,
  Merſetur quantis & mea vita malis!
Adſpice, quam longe patriis ſejungar ab oris,
  Et quam longinquos detur habere lares!
Te tenet urbs Jani, Liguris quam proluit unda
  Æquoris, a Jano quæ ſibi nomen habet:
Ipſe colo, Antenor ſtatuit quam Troicus urbem,
  Cum veſtras fugit, Dorica caſtra, manus.
Ah tibi quam mœſtas abſenti ſæpe querelas
  Coniicio! ah lacrimæ quam mihi ſæpe cadunt!
Sæpe mihi in ſomnis vultus offerre videris:
  Sæpe mihi tales fundere ab ore ſonos;
Illa ego ſum toties tibi decantata puella,
  Illa ego carminibus concelebrata tuis:
Illa tua vita tibi carior, illa, medullas
  Quæ tibi ſuccendit lumine prima ſuo.
Hoſce oculos noſtin', crines, frontem, ora, manuſque?
  Ne dubita: propriis ſenſibus adde fidem.
Fare age parce metu: tua ſum tua Delia, qualis
  Jam Laërtiadæ Penelopea fuit,
Qualis & Iliacis ſub muris pulchra moranti
  Laodamia fuit, Proteſilaë, tibi.
Jam mihi ſolus amator eas, hac dum fruar aura?
  Ultra etiam, ſi poſt funera durat Amor.
Tempore non ullo alterius conſtringar amore:
  Contra faxit Amor, me quoque nullus amet.
Interea cape deſtram æterni pignora Amoris;
  Pignora non ulla diminuenda die.
Sic fata ætherias ſubito tenuaris in auras;
  Linquit & optatus lumina noſtra ſopor.
Quo fugis o ſomne invide? quo mea Delia? amato
  Dum dare ter collo brachia conor, abis?
Siccine me miſerum reſponſurum improba linquis?
  Siccine me falſis ludis imaginibus?
Ite procul larvæ: procul ite inſomnia vana;
  Sat me luſiſtis: ludite nunc alios.

Vobis nulla ſides: eſtote ubi candet eburna
  Porta: illic ſedes regia veſtra jacet.
Fallor, an in dextra præſagus ſibilat aure
  Tinnitus? num mens undique læta fluit?
Num mihi veridicas porta umbras altera miſit
  Cornea? num noctis ſomnia vera monent?
Scilicet. Interea dominæ properate, tabellæ:
  Viſa mihi in ſomnis dicite vera fore.

Ad Lillam.

Te tua rura tenent oculis mihi, Lillula, noſtris
  Carior, aut ſi quid carius eſſe poteſt.
Invida rura, diu noſtrum tenuiſtis ocellum:
  Reddite mî dominam reddite rura meam.
Nempe iſthuc veniens ſubito veſtro aëre fuſca
  Nubila luminibus depulit illa ſuis.
Lillula ut aureolo tetigit pede gramina veſtra:
  Affulſit vobis purior illa dies:
Purior & vobis radios patefecit Apollo:
  Movit & arboreas ſuavior aura comas.
Illius egreſſu riſit Dea mater amoris,
  Lætior &, nato, rura petamus, ait:
Rura petamus ait, petiit quæ Lillula: ſecum
  Illa palam abduxit retia noſtra, puer.
Abſtulit illa arcum, pharetram, certaſque ſagittas;
  Et tua flammatas abſtulit arma faces.
Sic Paphia cum matre puer te eſt uſque ſequutus,
  Felſineaque fuit quidquid in urbe boni.
Magna parum fuerat tibi Felſina: rura petiſti,
  Scilicet ut quid ſit diſcat arator, Amor.
Scilicet igne tuo accendas ut ruſtica corda;
  Neſcia tam digna corda flagrare face.
Ergo inter campos, interque virentia prata
  Conſumis longos me ſine, vita, dies?
Ah ego, cur patior ſine me te rure vagari?
  Cur lapis, & ferrum te ſine in urbe moror?

Tune

Tune eris agricolas inter, mea Lillula; habebit
  Mené inter cives Felſina docta ſuos?
Ah mihi ne placeant urbes, neve alta domorum:
  Dum te rura juvant, vimineæque caſæ.
Sed tecum in campis vitæ traducar inerti,
  Subque tuo imperio tempora longa traham.
Tecum per ſaltus, tecum per devia montis
  Venator canibus perſequar uſque feras.
O me felicem, cum te ſpectante feroces
  Arguar intrepidus comminus ire ſues,
Et capreas captare feras, & præpete curſu
  Vincere ſeu cervos, ſeu timidos lepores!
Si, mea vita, voles ſquamoſos prendere piſces;
  Ipſe feram naſſas, retia & ipſe feram.
Seu mage plumoſo aucupio luſiſſe juvabit:
  Alter Faunus ero cantu imitatus aves.
Sed cum luce ſacra frondente ſub arboris umbra
  Tellurem quatiet ruſtica turba pede;
Ducere ſi choreas aliis immixta puellis,
  Leviaque ad numeros membra movere voles;
Ipſe per anguſtam turbam comes impiger ibo,
  Subiiciamque manus, efficiamque viam.
Ipſe leves calamos non ſegni inflabo labello,
  Pulſabo ſeu tu malueris crotalum.
Juſſeris, efficiam quicquid: quodcumque mearis
  Ibo lubens, via ſit longa, ſit illa brevis.
Ibo lubens, ſeu Phœbus equos oſtenderit orbi,
  Gurgite ſeu feſſos merſerit Oceani.
At nive cum albenti candeſcent undique ſilvæ,
  Et multam hybernus fuderit Auſter aquam;
Tunc tibi fabellas referam, dum turbine fuſum
  Verſabis tereti ſedula inante focum.
Nec me femineo pudeat ſerviſſe labori,
  Inſuetaque manu ſuſtinuiſſe colum.
Quin mihi ſi immerito maledicta ingeſſeris ultro;
  Ultro demiſſis auribus illa bibam.
Denique verberibus non me vincliſque negabo,
  Et modo ſim tecum ſervitium omne feram.

O mi-

O mihi ſi caderet fors hæc, ſi vota darentur
Hæc mihi, quam felix jure vocandus eram?
Nec mihi maluerim, auratas quas Hebrus arenas
Volvit. & immenſas quas mare claudit opes:
Nec quos mollis Arabs pretioſos mittit odores,
Barbara nec quæ dat munera cara Tyros.
Ah tandem, quicumque mihi tot gaudia differt
Invidus, abſtineat: ſupplice voce precor.
Abſtineat: ſic dirus Amor non ſæviat illi.
Illius hæſura in corde nec arma gerat.

In Chriſti Natalem Diem.

Roma, tuas moles magalia ruſtica vincunt:
Vincunt Pyramidas, barbara Memphi, tuas.
Cedite, vos vincit ſtabulum, vos fulta columnis
Atria, vos Pariis marmora cæſa jugis.
Hoc Deus, hoc natus Maria hoc includitur antro;
(Vera cano) hoc cœlum, hoc quidquid ubiq; boni eſt:
Currite Paſtores, Regemque agnoſcite veſtrum:
Qui vos compoſuit, clauditur in ſtabulo.
Præcipitate moras. villoſaque tegmina ferte,
Linquite oves: fures ſunt procul, atque lupi.
Currite, ne Boreæ infanti penetrabile frigus
Vagitus (matris vulnera ſæva) ciat.
Caſtaneas, uvas, preſſum lac, vilia poma,
Veſtras ferte Deo, ruſtica turba, dapes.
Jam modo contentus parvo traducar inerti
Vitæ pauperiem ſim dociliſque pati.
Non mihi ſi manent Pactoli flumina, vivam
Lætior, auriferi ſeu fluat unda Tagi:
Nec mea verſentur validis ſeu jugera tauris.
Pingueſcant multa ſeu mihi rura bove.
Deſpiciatur honos: regalis gloria morte,
Pulvis ut hic vento, diripienda vale.
Sat mihi parva ſeges, menſam quæ rebus ineptis
Apparet: agricolæ pellat & unda ſitim.

Nec

Nec ſubſternatur veſtis mihi, femina Coa
Quam nevit, docta diſpoſuitque manu.
Serica non thalamos ornent aulæa, nec aurum;
Nec juvet oſtrino ponere membra toro.
At vos mortales abſtergite corda, priuſquam
Perpetuam noctem mors taciturna ferat.
Viſite purgati ſtabulum: procumbite nato:
Vos manet: eſt vobis parvulus ille datus:
Eſt natus vobis: veſtri delapſus amore
Æthere. Felices ter, quibus ille favet!
Nam beat hos cœlo: miſeri, quos urget! avaros
Cimmerion iſtos cogit adire lacus.

Genua.

Seu pede carpis iter, greſſum remorare, viator;
Seu mare percurris navita, flecte ratem.
Adſpice me, dorſum cui rupibus aſperat Arctos;
Cui frontem Auſtralis verberat unda maris;
Illa ego ſum Jani urbs ſuperis gratiſſima, ocellus
Europæ, Italiæ ſidus, & orbis honor,
Ingenii fatale ſolum, virtutis Aſylum,
Cœlo, opibus, muris, ædibus, arte potens.
Hic inter ſaxa Alcinoi mirabcris hortos,
Vel Jove ſub gelido flore ubi vernat hiems.
Laus olim mihi parta ingens, cum ditis honores
Fregi Aſiæ, & bello verti Orientis opes.
Africa me tremuit: numeroſo remige ſenſit
Quid valeam, Euxino quæ madet ora ſalo.
Hadriacis, Thuſciſque vadis veſtigia priſci
Inſpectare licet roboris ampla mei.
Me ſatus occiduæ penetravit littora Cubæ.
Primus, inexpertas & trabe legit aquas.
Quid velit adlatret livor; mea gloria ſeris,
Finitimiſque locis invidioſa fuit.
Servitii impatiens externis legibus uti
Et renui, & potui colla levare jugo.

Libertas cordi eſt: ſi vincor, victa reſurgo
  Acrior, & fio libera ut ante manu.
Extera me incaſſum tentat vis frangere: ſolum
  Tu meus [heu] miſeræ ſanguis obeſſe potes.
Memet formido: metuo ne (ſic mentiar) auro
  Obruta, ne noſtro pondere victa ruam.
Hoſpes abi, nulloque licet molimine nutes,
  Tecum habita, & temet perdere poſſe puta.

Ad Carolum Antonium Puteum Archiepiſcopum Piſanum.

O Decus Allobrogum præfulgens ſanguine avorum,
  Qui ſacer Alphea paſtor in urbe ſedes;
Non tibi difficili virtus quæſita labore,
  Corde ſed illa tuo, & moribus ingenita eſt.
Te quid in imperio deceat prudentia rerum,
  Et quidquid cautum eſt legibus edocuit.
Sat tua nota fides non ulli pervia fraudi,
  Satque tua hyberna mens nive candidior.
Hinc tu naſcentes curas & condita Magni
  Fernandi merito pectora noſſe potes.
Hinc tibi, quod debet ſi Roma negaverit oſtrum,
  Certe eadem te non emeruiſſe neget.

Ad Capponum Capponium.

Capponi, num noſtra tuum tibi debita nomen
  Neſciat, & tanto pagina honore vacet?
Nobilibus tu clarus avis, tua cognita virtus
  Non citra genus eſt, mentis & integritas.
Tu patriis fulges opibus, virtute ſed auctis
  Sic tibi, ut hinc largam captet egenus opem.
Tu Piſis equitum ſacrata, & docta Lycei
  Fræna regis ſapiens, & generoſus eques.
Nulla, Deum poſt, cura tuo tibi principe major:
  Sed non cura minor forſan utrique tui eſt.

Ad

Ad Petrum Angelium.

Excitus Æneas tumulo ſic protinus oret
Si, Bargæe, tuum grande opus evoluat?
Me prior ut meritis, Goffrede, ut clarior armis,
Sic tu dignus eras nobiliore tuba.
Vive in vate tuo; Angelii quam in carmine, nuſquam
Fortunate Heros vivere malueris.
Hic faber hic ævi: Angelium vere emicat aſtrum:
Sunt alii vates umbræ, & araneoli.

Ad Torquatum Taſſium.

Te vates genuit vatem; extinctique parentis
Gloria progeniem jure ſecuta viget.
Tu felix patre: te nato felicior ille,
Quin te uno illius fama per ora volat.
Sors tua quam patris melior, cui contigit ante
Fata, quod a tumulo non habet ille decus!

Ad Andream Ciſalpinum.

Quæ ſeſe in conum ſenſim protendit acuto
Vertice Niliaco ſtructa labore ſilex,
Mentis imago tuæ eſt, Ciſalpine: arduus auras
Sic petis ingenii culmine, & alta ſapis;
Sic te quadrato Virtus fundamine firmat:
Fortunæ & ſpernis fulmina, & Invidiæ.
Hæc moles vera: illi ævum ſubducet honores:
Æternum hæc ſtabit clarior: illa ruet.

Ad Laurentium Franciſcium.

Ut merito noſtri moderaris frœna Lycei
Tu, qui Aganippeos incinis ore modos!
Ut, licet ingeminent externa negotia curam
Hanc tibi, non ideo mente animove cadis!

Sed

Sed patiens, ſimiliſque tui per dura laborum
  Clarior emergis, liberiorque viges.
Hinc te Phœbus amat: Maja hinc te natus; & in te
  Effulgere ſuas gaudet uterque vices.
Perge age, macte animo, Franciſci: diſce mereri
  Ulterius: neſcit gloria dia modum.
Fronte hilari interea confectum carmine munus
  Hoc breve, ſed longi pignus amoris habe.

De Obitu Michaëlis Bidelli.

Vivere ſi quando tentaret dicere Lopez;
  Dicebat Bibere; & Vivere, ſi Bibere.
Audiit hoc Michael; laudavit, & ore bibaci
  Arguit, ore rudi dicere quod nequiit.
Sic vitam. vinumque trahens per vina, per annos,
  Uſque bibit vivens, vixit & uſque bibens.
Hoc tandem extincto extinctas Alphea querelas
  De hoc fata, quis vinum huic ultra (ait) obiiciat?
Cum ſubito Lopez Hiſpano ex orbe redivit,
  Tam cari & capitis venit ad inferias;
Dixit &; o Vivax, & ſi non pocula Vives,
  Certe ope Muſarum ſæcula multa Bibes.

JO: BAPTISTÆ PII
BONONIENSIS.

In vitem male feracem.

AGreſtem quis te vitem, vel inhoſpita Phœbo
  Saxa aluere Scythas propter Hyperboreos?
Celtarum gelidæne alpes, tumulique nivales,
  An tellus ferri mater Ibera trucis?
Immatura acinis, triſti infœcunda racemo
  Nil niſi duritiam, nil niſi virus habes.
Quæro Lycurge tuas falces, radicitus omnis
  Turpis ut ancipiti pampinus ære cadat.

De Celtarum more.

Audaces rapido Celtæ nova pignora Rheno
Explorant: non hæc genitrix prius ubere largo
Alma fovet, vitreas fluvii quàm venit ad undas.
Lympha novum capit alta genus, quod remigis inſtar
Umbo regit, fluidique effulcit corpus alumni.
Et fœtum ſic unda probat, lectumque jugalem
Damnat adulterii, fœdo ſi decolor igne.
Poſt dubios genitrix caſus memor Ilithyiæ
Ancipitis, fulcit gelidis in fluctibus ortum.
Anxia diſpiciens cui mobilis annatet unda.

In Teleſillam olidam.

Mæonides non tale malum ſpiraſſe Chimæram
  Tergeminam, aut tauros credidit ignivomos.
Non

Non omnem Lemnum, volucrum excrementa ſororum,
  Aut Philoctetæ vulnera dira pedis.
Quare judicio populi Teleſilla Chimæram
  Vince; boves, ſanies, Lemniadas, volucres.

PLATINI PLATI

MEDIOLANENSIS.

Ad Laurentium Medicem.

IN Medicem graſſata domum tua gaudia ferro
  Verterit in luctus cum Libitina novos.
Eſſe meum, qui te veneror, tentare putavi,
  Carmine ſi poſſem te revocare meo.
Carmina ſæpe Ducum magnos minuêre dolores,
  Increpuit citharam flebilis Æacides.
Oderat amiſſo frater pius æthera Druſo
  Germani cupiens manibus ire comes.
Admiſit tamen ille chelyn, vultumque remiſit;
  Quid faceret? frater non reparandus erat.
Nec tuus a Divo qui nomen habebat Julo
  Pars animæ quondam dimidiumque tuæ.
Civis & o princeps Etruſcæ maxime gentis
  Indulxti lacrimis, officioque ſatis.
Nunc age Laurenti, ſpatium, requiemque dolori
  Concedens animi collige frena tui.
Noli fraterno perculſus funere noli,
  Quam condemnatos te cruciare magis.
Quæ cito vindictæ finem prudentia fecit
  Debuit & flendi conſtituiſſe modum.

Ad eumdem Laurentium.

Cur inſulſa malus ſcribam tibi carmina vates,
  Accipe Mæonia vir celebrande lyra.
Mos erat antiquis urbem condentibus ullam
  Principia in ſummos ipſa referre Deos.
Roma ſibi Martem, Junonem vendicat Argos,
  Cecropidæ jactant Pallada, Creta Jovem.
Scilicet exemplis majorum ingentibus uti,
  Rebus & in parvis grandia facta ſequi;
Illuſtrare tuo licuit mihi nomine librum,
  Quem titulo juvenes alliciente legant.

Ad Libellum.

Vilem crede mihi togam daturus
Cordylis, piperique eras cucullos,
Et ſcombris tunicam libelle nugax.
Coſmi te ſimilis nepos redemit:
Cui te providulus tuus magiſter
Secum perpetuo libens dicavit
Illius teneris cliens ab annis,
Obſtantis remove moras, eundum eſt:
Horres, & monitis meis repugnas?
Cum dixi remove moras, eundum eſt,
Summum nempe virum times adire!
Formidas temere domum diſertam,
Patremque Aonidum, togæque lumen,
Qui vivit modice, graviſque nulli
Inter divitias modo carentis,
Præſefertque potens nihil ſuperbi
Florentinus amor, pater, decuſque;
Stultum pone metum, locus timori
Non eſt ullus, abi celer libelle,

Julianus Medices ad Laurentium fratrem.

O mihi culte loco, fraterque reperte parentis,
  Nil ego curarum quo removente tuli.
Ne placeam Regi, qui me dignatur Olympo,
  Si non offendis me pietate tua.
Non amo Laurenti vitam, quam ducis acerbam,
  Flens deſiderio nocte, dieque mei.
Ut leviter mea fata feras tibi ſupplico frater,
  Vindictæque genus deprecor omne meæ.
Pœnarum ſatis eſt a percuſſoribus hauſtum.
  Et tua plus æquo fletibus ora madent.
Deſine continuis fruſtra cruciatibus angi,
  Pax tibi ſiqua foret, pax mihi ſumma foret.
Omnia perſolvit vivo tuus, atque ſepulto
  Omnibus officiis accumulatus amor.
Mutuus ille fuit, neque enim ſuperabar amando;
  Crede mihi, Frater, mutuus ille fuit.
Fortiter occubui cum te ſupereſſe putavi,
  Soſpite quo videor non periiſſe mihi.
Parce tuo mærore meam vexare quietem;
  Hoc ego cum patria, quam tueare, precor.

Ad Baptiſtam Fregoſum Genuæ Ducem.

Te Baptiſta Ducem Genuæ Deus ipſe creavit,
  Qui ſine te regno non tulit eſſe tuo.
Quod tibi reddendo populus ſervaſſe videtur,
  Et Deus, & Genua munere functa ſuo.
Gratulor ex animo, nec poſſum dicere quantum,
  Lætitias omnes exuperante meâ.
Huic habeo grates reginæ quæ bona certe
  Imperii robur tradidit una tibi.
Quod niſi, quam caperes meruiſſes, ante; monerem
  Ut coleres rectum, juſtitiamque probe.
Quos imiteris habes intra tua tecta per omnes
  Virtutes, atavos, magnanimumque patrem.

Sed monitis, nec eges exemplis; Heſiodus te
Ponat in his, per ſe qui facienda tenent.
Sceptra tibi, domuique tuæ Deus iſta perennet,
Et mihi det fidei te meminiſſe meæ.
Tempora quæ tulimus ratione carentia quondam
Nunc penſare tua cum ditione licet.
De Jove ſincere nunc ſentio, de Jove ſenſi
Sæpe minus recte, denique lapſus eram.
Pœnitet en: credo, regni te herede paterni
Cuncta Dei nutu, juſtitiaque regi.
Dux illuſtris ave, cupio tibi dicere coram,
Idque brevi, tutum ſi mihi detur iter.
Interea viſam te doctum interprete Muſa,
Qua tibi jam placui, gloria cujus eras.
Nil habuit vates quam carmina quod tibi majus
Mitteret, o Princeps, fontis alumne ſacri.
Sed nimiùs tecum nollem Baptiſta videri,
Imperii moles quem novitate premit
Ergo vale felix cum matre Viragine diva,
Et tua fac maneat gratia priſca mihi.

In Tumulo Octaviani M. Sfortiæ Vicecomitis.

Ille patris magni virtutum Octavius heres
Impia ſubmerſi fata ſecutus avi;
Fluminis inventus tandem per littora ſævi
Hic ſitus eſt: animam celsus Olympus habet,
O nimium puer alme tuæ Dîs prodige vitæ,
O nimium nobis lucis avare tuæ!
Cum tua florebat virtus, florebat & ætas,
Florebatque decor, flos tuus ille cadit.
Abdua crudelis pelago truculentior omni!
Sol oriens in aquis occidit iſte tuus.

Ad Ferrariæ Ducem.

Exul eram, nec plura Bias amiſerat hoſti
Cuncta ſuo linquens, & ſua cuncta ferens:

Cum tua me pavit lautiſſima regia Princeps.
  Nomine qui Alciden, & probitate refers.
Rex meus unus eras, & eras mihi Numen amicum:
  O dominum facilem, ſidereumque virum!
Riſus in exilio fuit illo: debitor ejus
  Sum, quia me famulum fecerat herculeum.
Quid mihi læta domi majus fortuna dediſſet?
  Eſt aliquid tanto jam placuiſſe Duci.
Exulis eſt optare lares; quibus ipſe potitus
  Qualis eram profugus: nunc revocatus ero.

Ad Federicum Urbini Principem, ut eum ſolvat militia.

Si mihi perpetuo patriam fortuna negaſſet,
  Umber, & Urbinas uſque futurus eram.
Dux mihi non alius quam tu, Federice, fuiſſet.
  Vel ſi me Cæſar, ſolliceterve Cato.
Sed quia fatorum magnus convertitur ordo,
  Et bona dux lætis imperat Inſubribus.
Si das, inſtitui caros habitare penates,
  Et patriæ miles, civis & eſſe meæ.
Movit amor matris, lacrimæ movere ſororum,
  Urget item patruus quem vice patris amo.
Nec privata minus mea res labefacta videtur
  Me petere a manibus reſtituenda meis.
Ergo me parva miſſum fac teſte tabella,
  Quæ mihi non parvi muneris inſtar erit.
Militiam noſtram ſub te, qua glorior, edet,
  Deque tuo fiam milite præco domi.

Ad Gulielmum Marchionem Montis Ferrati.

Multa ſuper cœli concentu Scipio narrat,
  De ſeptem ætheriis ex Cicerone globis.
Septimus eſt inquit numero perfectior omni,
  Cur autem præſtet, quæ docet ille tenes.

Tu

Tu quem dogma fugit nullum, cui plurima virtus
  Servit, & heroas qui probitate refers,
Qui licet a prima tuleris vexilla juventa,
  Militiæ cultor, quam meditaris adhuc.
Nulla remiſiſti tamen otia, ſemper ab armis
  Te decus excepit Pallas amica ſuum.
Talis erat Titus, atque ſuo Germanicus ævo,
  Talis item Cyrus, Rexque Philippus erat.
Quid velit hæc numeri ſepteni mentio, dicam:
  Poſt hiemes ſeptem me mea cepit humus.
Non ero, mi Princeps, profugus, non amplius exul,
  Sæpe mihi tuto nunc adeundus eris.
Cæſaris ora tuos reddentis cogito vultus
  Viſere; quapropter me rediiſſe juvat.

Ad Joannem Thomam Platum Patruum.

Venimus in Ligures poſtquam mi patrue; fugit
  Mollicies in me, quæ fuit ante domi.
Nunc tuba pro cithara placet auribus ærea noſtris,
  Pro fidibus rigida nunc fero tela manu.
Ipſaque, vix credas, mea facta eſt Martia Clio;
  Aut ſilet, aut animos agminis illa ciet.
Scilicet armis & ferro res iſta geretur:
  Hæc ad purgandum me tibi ſufficiant.

Ad Ducem Barii.

Victima reddatur ſuperum nunc omnibus aris:
  Primus adorato ſit Jove Martis honos.
Fudimus innumeros, paſſimque fugavimus hoſtes;
  Per mare, per montes arripuere fugam.
Laurea debetur ducibus: ſed prima Roberto,
  Qui bene rem geſſit conſilio, atque manu.
Illuſtreſque tuos fratres manet altera laurus,
  Quos fore degeneres pugna vel iſta negat.

In Duces noſtros.

Dux bona ſæpe ſuo quod vincit cum Duce nato,
  Nil mirum: ambobus Juppiter æquus adeſt.
Pupillumque Deus vidua cum matre tuetur,
  Sive domi geritur res ſua, ſive foris.
Cæſarianus erit, ducibus ſi militet iſtis,
  Qui Pompejanus fugerit ante comes.

Ad Ciecbum Simonetam.

Qui bene fers hujus molem, ſecretaque regni
  Qualis Atlas Cœlum, te rogo Cicche potens.
Ut locus in patria quiſquam mihi detur honeſtus,
  Subque bonis ducibus te celebrare domi.
Luſtravi ſatis Italiam ſeptem hactenus annos;
  Tum ſcio te noſtras indoluiſſe vices.
Quippe meus patronus eras, nunc effice judex,
  Ut fruar arbitrio liberiore tuo.

Ad Joannem Jacobum Simonetam.

Per qui te genuit ſimilem ſibi, perque tuorum
  Stemma, juventai per bene facta tuæ.
Per commune ſophos, per magni patris honores,
  Te rogo fac genitor me ſciat eſſe tuum.

Ad Magnificum Orpheum Ricanum.

Ingenium fuit Etruſcis mirabile ſemper,
  Et pia mens animis proxima cœlitibus.
Teſtantur veteres quos ii docuere quirites
  Multa decora virum, multa decora Deum.
Hinc accerſiti ſunt reges ſæpe ſeveri,
  Atque Magiſtratus, Pontificeſque ſacri.
Te quoque principibus noſtris feliciter Orpheu,
  Tuſca dedit regio, genſque Ricana vetus.

Or-

Orphea non fruſtra qui te genuere vocarunt:
Scilicet eſt omen fatus uterque parens.
Nominis ille tui conſors qui ſaxa movebat,
Carmine ſiſtebat flumina quique ſuo,
Redditus eſt in te: tu ferrea pectora mollis;
Cum libet, exarmas Hectora, & Æaciden.
Iratum Ajacem, ſævumque Capanea placas,
Ultro Dulichium mittis in arma Ducem.
Te ſequimur; trahis invictum, ducisque volentem,
Et plus ore tuo, quam, potes, ære Ducum.
Accipe conveniens igitur tibi munus ab illo,
Qui tibi jam cœpit debitor eſſe diu.

Magnifico Comiti Vitaliano Bonrhomeo.

Vitaliane tuum genitor meus ipſe parentem,
Et fratrem coluit, Vitaliane, tuum.
Vos ego germanos obſervo filius ambos
Mamſuetos proceres, magnificoſque viros.
Pignora multa dedi, ſed quæ neſcire poteſtis,
Italiæ veſter præco per omne latus.
Quod quia Dux, cui pulchra ſubeſt Ferraria, norat,
Cui conſanguineum te tua ſponſa facit.
Nobile pulſandi mihi credidit hoc opus heros.
Inclitus Alcides nomine, reque novus.
Accepi tibi reddendum, tuque accipe fratri
Mittendum uxoris Vitaliane tuæ.

Ad Jo: Jacobum Triulcium.

Dives amoris, egens auro tuus ille Platinus
Qui puerum cepit te coluiſſe puer;
Pro natalitio tibi mittit carmina dono,
Splendor eques patriæ, præſidiumque bonis.
Nullus in hac urbe eſt, qui non tibi debeat, ordo,
Sed tibi me nemo debet in urbe magis.
O utinam, princeps, Mæcenas ut mihi vivis,
Atque es, Virgilio quod fuit ille ſuo.

Sic equidem novus eſſe Maro tibi carmine poſſem!
Æquarent meritis ſe meà dona tuis.
Aut utinam mea corda tibi nudare liceret,
Ut retegit pectus dempta lacerna meum.
Judice te, meus in te animus mirabilis eſſet,
Et mea cum raris adnumeranda fides.

Orpheo Ricano Ducali Conſiliario.

Civis Etruſcæ memorande gentis,
Edite Alpini prope littus Arni,
Uſui magno, decorique ſummo
Inſubris oræ.
Fide curator vetus, & magiſter
Tris apud reges ditionis hujus
Militum Præfecte domi, foriſque
Utilis Orpheu.
Paſcha mutato quod agatur eſu,
Nomen Hebræum capitur Latine
Tranſitum ſignans alium ciborum,
Paſcha ſed inſtat.
Temporis rerumque vices ſequamur;
Anteponendos merito quibuſvis
Piſcibus plenos, age, lactis hœdos
Accipe binos.

Ad Nicodemum Pontremulenſem Ducalem Senatorem.

Nicodeme tuus trahitur Collega Boote
Tardior: Arcadio tu magis igne celer.
Aut ſocium disjunge tibi; ne fiat eclipſis
Aut conjunctus ei lumine cede tuo.

Ad Aloyſium Arcimboldum.

Accipe querquedulas Aloyſi ſplendide binas,
Quas auceps dono miſerat ante mihi.

Non auſus violare cibum, qui divitis eſſet,
Fraudavit propriam ruſticus ille gulam.
His ego te donans erratum emendo coloni;
Si tibi miſiſſet, ſenſerat ille bene.

Ad Hieronymum Bernerium.

Scimus ut integro ſis juſtior ipſe Catone.
Juris & interpres haud Cicerone minor.
Litiget ergo cliens cum divite pauper apud te,
Cum docto indoctus, cum ſeniore puer,
Munera cum ſpernas, nec verba ſophiſtica cures,
Quæ mera ſunt fratrum pignora ſume trium.

Ad Jacobum Antiquarium.

Ut bonus eſſe velis Putheo, Jacobe, Bonello;
Te decus Aonidum Calliopea rogat
Ut faveas vati lux, Antiquarie. vatum:
Te quicumque bibunt ex Helicone rogant.
Omnes Patricii te pro concive precamur,
Denique pro claro patria tota viro.

Ad Julium Catanenm Scribam Ducalem.

Carmina non pallent, ut epiſtola nulla rubeſcit;
Crede mihi; juſto pluſve minuſve petant.
Quam mea Muſa roget te confidenter, Juli,
Accipe noſtrorum ſcriba diſerte Ducum,
Qui tibi debebam quicquid debetur amico
Pro virtute tua, munere proque dato;
Officium peto rurſus idem: reſcribe tabellam
Quam ſemel edideras officioſe, mihi.
Hanc male commiſſam tulit advena forte viator:
Nuntius exemplum cras, hodieve feret.
Sic ego fortunæ quod ſum tibi debitor omnis,
Efficiar vitæ debitor ipſe meæ.

Ad

Ad Matthæum Berlaſinam.

Quam mihi miſiſti facilis Matthee Camœnam
  Mirari nequeo, nec celebrare ſatis.
Exhibet ingenii vim carminis exhibet artem,
  Cunctaque Muſarum flumina quicquid olent.
Nec meliora mihi potuiſſent Carmina mitti,
  Scribere nec poterat gratior ulla manus:
Juris, & Phœbi ſapiens, & dulcis alumne,
  Quo præſtes geminum me tibi junxit opus.
Magna meus genitor fuit olim fama forenſis;
  Frater Anaſtaſius, ſi modo vivat, erit.
Roſtra colo, veneror leges, juriſque peritos,
  Noſtra quibus debet bina decora domus.
In primis amo te ſtudium commune colentem,
  Quem fore noſco fori, Pieridumque decus.
Nos etenim quantum permittunt arma, Duceſque,
  Sicca Meduſeis labra rigamus aquis.

Ad Joannem Cribellum.

Quam cupide noſtras legiſti intelligo nugas,
  Et tribuas chartis culte Cribelle meis.
Quam mea Pelignis extollas verſibus arma
  Cerno, quod ex habitu ſcribis utrumque tuo.
Omnia qui caris ſtudia impertis amicis,
  De quibus ut velles optima quæque refers.
Mirariſque alios, cum ſis mirabilis ipſe,
  Si modo Naſonis verba referre licet.
Quod legar a tanto Muſarum lætor alumno,
  Nec minus a tanta quod probitate prober.
Hectora laudari a laudato patre juvabat:
  Hector in hoc ego ſum; laus tua grata mihi eſt.
Quippe bonis animi ſi quem præſtare putamus,
  Illum te noſtra nullus in urbe negat.
Cuncta tibi laudum genera & virtutis adepto
  Debetur patriæ gentis & omnis honos.

Er-

Ergo nec mea ſunt epigrammata reddita ſero,
  Nec mihi deſplicuit cauſſa relata moræ.
Quin amor ille tuus mihi ſe patefecit abundè
  Maximus, ingenii maxima viſque tui.
Sed tanto metam noli tranxire quadrigis
  Nec tuus anguſto limite currat equus.
Parce dediſſe mihi quibus Icarus occidit alas,
  Orbus ei nolet quas tribuiſſe pater:
Ne luſiſſe magis veterem videaris amicum,
  Laudibus immodicis quam celebraſſe tuis.

Ad Laurentium Mozzanicam.

Accipe Laurenti reliquos dulciſſime libros
  Codicis egregii, qui mihi charus erat.
Nec tibi vilis erit, licet illi deſit amictus,
  Quippe, moram faceret ne tibi, nudus abit;
Aut opus decorat: lege noſtri ſcripta Philelphi,
  Ne ſemper veteres quos imitere legas.
Donatoris item commendat gratia munus;
  Qui tibi jus, & onus tradidit omne ſuum.
Haud aliter mea namque tibi ſubſtantia ſervit,
  Ac mihi; tu noſtri ſis memor, atque vale.

In Pinum Sacerdotem.

Pine, quid inſanis cum milite? quid tibi, clere, eſt,
Quidve tibi, canonum interpres, cum vate canoro?
Tune tuis minitare mihi, mandaſve tabellis.
Quas tantum laceras frænata bile remiſi?
Si pergis, majora tuis redeuntibus addam,
Efficiamque meo ſalicem te carmine lentam,
Qualem te vidi Maceratæ, Pine, latentem,
Cum fugeres Romam: ſed amicum præſtat habere
Me tibi quam levibus inimicum reddere nugis:
Qualem malueris tibi me præſtabo paratum.

De ſemetipſo.

Romanos veteres imitatus ad arma Platinus
Contulit Aoniam, proſequiturque lyram;
Et libros, & tela manu quo tempore tractat;
In caſtris alacer, gymnaſiiſque bonus.

Ad Jo: Thomam Platum patruum optimum.

Cur habitem pagum fluvialem, patrue, dicam,
Marmoreâ ſeptem millia ab Urbe procul.
Non hic intueor fratrem, quem de tribus odi,
Nec queritur mater ſæpe moleſta mihi.
Nec mihi Cuſanus ſuccenſet in omnibus actis,
Cum ſocio lima me cruciante ſua.
Nulla ſenatorum tero limina, nulla Senatus,
Nec cameram illius, quem genuere ſalæ.
Sollicitudinibus potius quàm torquear iſtis,
Subter aquas fugerem, patrue, nedum ad aquas.
Conſuetudo tamen tua me revocabit ab agris,
Pro qua urbana pati tædia nulla nego.

Oraculum adventûs Turcarum in Italiam.

Ecce dies infanda venit, quam riſimus olim
Præmoniti, venit ecce dies, quam flebimus omnes,
Jam tenet Italiam Turcarum exercitus ingens,
Et toties victor Venetam contendit in Urbem.
Heu ſero auxilia exhauſtæ mittuntur in hoſtem,
Quem miſeranda ſua videt in cervice locatum,
Unde velut Torrens vicinas obruet oras;
Cum Paſtore lupus totum lacerabit ovile;
Tunc Italas primum linquet diſcordia gentes:
Proh dolor! æquabit Turcus nos impius omnes,
Aut nece crudeli, vel iniquis legibus actos:
Hoc ſcelera exitium pepererunt noſtra, Patrumque.

Ad

Ad Lectorem.

Quod non plura tibi dederim faſtidia Lector,
  Qui tibi majus opus forte daturus eram.
Orphei Ricano grates age, qui mihi nuper
  Juſſerat in Turcos arma ferenda truces.
Quod ratus eſſe ratum, vetui prodire Camœnas
  Longius, & facta eſt muta repente chelys.
Hac ratione liber breviuſculus iſte remanſit:
  Lucrifacis lector, qui ſatiare minus.

Ad Franciſcum Philelphum Poëtam.

Ex quo me patriæ jam ſeptima reddidit æſtas,
  Votum unum profugo quod mihi ſemper erat;
Nulla dies adeo mihi felix, albave fulſit,
  Quam lux, immo, loquar verius, hora brevis;
Qua mihi neſcio quis domina affirmavit in arce
  Vivere te nobis inſtituiſſe domi.
Te quoque Principibus noſtris ſervire paratum
  Addidit affectum conditione bona.
Gratulor anguigeris ducibus, Patriæque, tibique,
  Sed magis atque magis gratulor ipſe mihi.
Nondum Sfortiades meritos accepit honores:
  Inclita perſcribes geſta, Philelphe, Ducis.
Divinum illud opus te divo æquabit Homero,
  Nam tua poſt cineres gloria major erit.
Patria vate ſuo non amplius illa carebit,
  Quo gaudet quantum Mantua vate ſuo.
Et quantum oſſa Titi decorant Antenoris urbem,
  Tantum relliquiæ mœnia noſtra tuæ.
Nunc operam ſtudiis navabit docta juventus,
  Principe Doctorum te Duce læta ſuo.
Tecum Pegaſides Grajæ, Muſæque Latinæ,
  Et tecum rediit cum Cicerone Maro.
Jam mea Palladio pridem mens æſtuat igni,
  Hauriat ut rurſus dogmaque, melque tuum.

Nec potui frænare manum, quin ederet iſtud
  Nondum maturum, quod tibi mittit, opus.
Ne tamen Alcinoo videar dare poma, fatebor
  Omne meum lima carmen egere tua:
Talia crediderim Gallum miſiſſe Maroni,
  Si modo Virgilii Gallus amator erat.
Talia facundo Ciceroni Curio miſit,
  Talia Naſoni culta Corinna ſuo.
Sunt de meſſe tua mea qualiacumque leguntur:
  Accipe de ſpicis grana, Philelphe, tuis.

Ad Regem Franciæ.

Cæſaris invicti clementia maxima pulſum
  Marcellum patriæ reſtituiſſe fuit.
Hic apud Inſubres cenſebitur, optime regum,
  Carcere concivem te reſeraſſe tuum.
Dii tibi perdendi dent cunctos, juſque tuendi,
  Ut tibi ſervatum debeat omne genus.

Ad Aloyſium Terſagum.

Quod tibi libertas ſit reddita, care ſodalis,
  Ut tua teſtatur littera miſſa Patri,
Auribus, & lætis animis accepimus omnes,
  Audiit hoc hilaris patria, mœſta prius.
Contigit uberior nulli tamen iſta voluptas,
  Quam mihi lætitia fine carente mea.
Nec tuus undecimi octonis cum menſibus anni
  Carcer iners, ulli quam mihi pejor erat.
Tecum ego claudebar, ſubii diſcrimina tecum,
  Suſtinui pœnas, dulcis amice, tuas.
Sentio mutatos affectus, & mea ſorti
  It fortuna tuæ candida, & atra comes,
Quippe Moguntiaca latui captivus in arce
  Sex equidem lunæ cornua tota decem.
Dii meliora dabunt, fore ſideribuſque ſecundis
  Auguror, ut noſtrum vivat uterque ſimul.

In-

Interea ſuperis, & Regi demus honorem,
  Carceris ærumnis qui ſtatuêre modum.

Ad Antonium Vercellenſem.

Accipe divini præconum maxime verbi
  A tibi devota Carmina miſſa manu.
Fama tuarum audita mihi clariſſima laudum
  Olim me cupidum fecerat eſſe tui.
Libato ſemel ore tuo cum pondere rerum,
  A Divo Paulo non aliene pater;
Extemplo majora fide ſunt edita coram:
  Ipſa tuis meritis fama reperta minor.
Serus in aſtra, precor, redeas, vir debite Cœlo,
  Ut ſit qui decoret pulpita ſacra diu.

Declaratio Jo: Franciſci Puſterlæ ſuper amoris Definitione.

Quandoquidem non eſt humerorum ferre meorum
  Quod Baptiſta jubes dicere quid ſit amor;
Judicet inter nos Cicero rex judiciorum,
  Lucidus orator, philoſophuſque gravis.
Ut ſcitis, Baptiſta, Platineque, Tuſculearum
  Conſimiles tangit quæſtio quarta locos.
In partes hominis animum diſtinguier ambas
  Diſſerit: una boni eſt, altera cauſa mali.
Paret enim melior rationi ſubdita ſemper,
  Altera pars obſtat, quæ ratione caret.
Omnis ab hac oritur noſtræ turbatio mentis,
  Ut ſpes, atque timor, lætitia, atque dolor.
In valetudinibuſque aliis, & opinio, & error,
  Hic fomenta ferunt, officioſa rati.
Ah pudet: in morbis animi numeravit amorem,
  Naturæ ſobolem quem tamen eſſe negat.
Si generi humano Natura dediſſet amorem,
  Unus ait cunctos uſque teneret amor.
Atqui diſſimiles labique videmus amores;
  In multis etenim non reperitur amor.

De-

Denique in his, cupide quæ fiunt, ponit amorem,
  Cum nihil ardenter vir bene ſanus agat.
Quid ſit amor ſatis a noſtro doctore docetur;
  Sed ſtudium differt a Cicerone meum.

Ad Hieronymum Bernerium.

Gratia nulla poteſt a me tibi tanta referri,
  Quæ faciat meritis vir ſatis ample tuis.
Non valet, affirmo, mea, non aliena facultas,
  Reſpondere tibi, muneribuſque tuis.
Ad ſacra confugi, tibi dono, Hieronyme, divus
  Mittitur, a cujus nomine nomen habes.

Ad Franciſcum Buzacharinum, Civem Patavinum.

Oræ Antenoreæ decus a cultore Platino,
  Perpetuo ſalve, Buzacharine, tuo.
Quæ mea ſit fortuna domi tibi Nuntius edet,
  Fidus erat Paulo qui meus ante puer.
Accipe præterea, vates, a milite carmen,
  Quod tibi ſit noſtræ pignus amicitiæ.

Ad Jo: Franciſcum de la Turre.

Artuſius Michaël mea qui tibi Carmina reddit
  Omni me ſtudio, proſequiturque fide.
Utor eo veteri cunctis in rebus amico,
  Quo meus eſt uſus ante cliente pater.
Omnia quæ ſua ſunt, mea jure negotia duco;
  Officium violo, ſi minus hunc tueor;
Incidit in rabidos, qui vectigalia quæſtu
  Conduxere, canes, incidit inque lupos.
Vim prohibe præſes fiſci digniſſime, juſta
  Pro re, proque tua nobilitate, precor.
Tu vir patricius, tu ſervantiſſimus æqui,
  Tam probus, & doctus quàm generoſus homo.

Mi-

Mirifice res una tibi devinciet ambos,
  Iſtaque apud memores gratia ſemper erit.

In Judicem ſuſpectum.

Noſter ut eſt Judex humero pendente ſiniſtro,
  Sic animo pendet, judicioque ſuo.
Quam timeo cauſæ communi, frater, ab illo?
  Nil loquitur rectus, nil quoque rectus agit.

Ad Alexandrum Raudenſem Ducalem Senatorem.

Vult ſibi monſtrari per me ſua crimina Judex,
  Et petit in ſcriptis illa videre meis.
Cauſidicus meus iſta ſuo mihi nomine dixit;
  Diſpeream, ſi me continuiſſe queo,
Quin armem ſubitos in eum converſus jambos,
  Et notet hunc omni fixa tabella foro.
Differo rem ſecum, non aufero: munere functus
  Quando erit ille ſuo, fungar & ipſe meo.
Si dubitat, poſcitque fidejuſſore caveri,
  Sponſor Alexander tu meus eſto precor,
Interea facito videat breve diſtichon iſtud,
  Ne putet ex animo ſe cecidiſſe meo.

Diſtichon, ad Thomam Orphei.

Odi te: quamquam mihi nulla ſtipendia ſolvis,
  Vis, puto me ſolvam, teque ſolutus amem.

Ad Johannem Paladinum amicum optimum.

Sive ſit a pueris avis hæc querquedula noſtris
  Dicta ſuo nomen efficiente ſono.
Sive coturnicem culto ſermone Johannes,
  Ortyga ſeu Græce dicis, amica gulæ eſt.
Ne tamen hanc credas tantum ſervire palato:
  Ægri languidulo ſervit item ſtomacho.
Utere ſecurus ſtudioſi rebus amici;
  En meus accipiter tris tibi cœpit aves.
Rura petam rurſus, præda majore potiri
  Si dabitur, larga tu potiere manu.

Interea cures omni Vir digne ſalute,
Ut recte valeas, me quoque ſemper ama.

Ad Franciſcum Franchedinum.

Tempore non ullo Muſarum oblite mearum
Franchedine mei maxima pars animi,
Accipe quem dixti te velle videre libellum,
Non quia ſit doctas dignus adire manus.
Qualemcumque tamen, quo me, precor, aſpice vultu,
Et lege caſtigans quæ meruere notam.

Ad Adoleſcentem Ludovicum Guaſcum.

Non video, Ludovice, queas cur Marſya dici.
Nomine blanditur quo tua Muſa mihi.
Carmine ſi tali certaſſet Marſya Phœbo,
Me, puer, invitat quale, modeſte, tuum.
Non eſſet victus, non eſſet Marſya triſtis,
Et cute ſe tegeret qua caret ille ſua.
Quid quod erat Citharœdus atrox, tu mitis ephebus,
Indole promittens omne virile decus?
Ad tua Pïerides cunabula dona tulerunt,
Uberaque admorunt pro genitrice tibi.
Cum properare tuos Dianam frater ad ortus
Aſpiceret, vates hic novus, inquit, erit.
Ecce fides: te prima facit lanugo poëtam,
Cum tibi ſit præcox, ingeniumque ferax.
Quin etiam tibi ſummus adeſt præceptor, apud quem
Proficis ubertim, cottidieque magis.
Ergo meos, alioſque requirere deſine vivos,
Hubertina tuam cum levet unda ſitim.
Quod petis inter nos Pythiæ, & Damonis amorem
Annuo, perpetuam polliceorque fidem.
Si non diligerem te, certe ferreus eſſem,
O decus ætatis mi Ludovice tuæ.

Ad

Ad Juvenrm D. Angelium Biragum.

Quod Birage meas inter tua ſeria nugas
Et legis, & laudas, debeo jure tibi.
Ne valeam, ſi non iſto delector honore,
Meque juvat, nugæ ſi placuere meæ.
Ne valeam rurſus, gravius te ſi quid Athenis,
Aut in gymnaſiis doctius eſſe reor.

Ad Jacobum Triulcium Ducalem.

Non ridebis eques mea munera parva modeſte,
Si bene te novi per tria luſtra comes.
Scipiadæ ſummo mittebat talia prudens
Lælius invicti clarus amore viri.
Talia Meſſallæ faciebat dona Tibullus;
Tu mihi Meſſallam, Scipiadenque refers.
Accipies igitur placido munuſcula vultu,
Quæ tibi ſint animi pignora magna mei.

Ad Mæcenatem pro Puero Ducali.

Noſtræ Cicche pater patriæ, vigil, atque ſaluber
Imperii cuſtos, ducibus fidiſſime noſtris,
Ut tua ſuccurrat puero mihi gratia, ſupplex
Oro, diu noſtri ſum Principis aſſecla gratis.
Paſcit enim tantum Domini me Curia, veſtit
Ipſe meus genitor: Mæcenas optime, præſta
Æris ut accedat proviſio menſtrua, quæſo.

Ad Rhetorem Jacobum Balianum.

Nulla licet quondam fuerint mihi pignora tecum,
Nullaque congreſſus copia facta tui;
Fama tamen laudum paſſim vulgata tuarum.
Rhetora quæ magnum te celebremque refert,
Me tibi jampridem ſtudioſo pectore junxit.
Nunc & amicitiam cogit inire tuam.

Cogit item tua, quam nulli probitate ſecundam
  Duco, nec officio, me Baliana domus.
Dum mihi Ferrati regio placidiſſima montis
  Quærenti ſedes hoſpita prima foret.
Dum facilem victum lunæ ter quinque per orbes
  Celſa mihi illius Principis aula daret.
Omne genus meriti genus omne indulxit honoris,
  Et mihi nunc reduci mitis, ut ante, favet.
Sunt in ea fratres mira bonitate, fideque;
  Aurea Saturni ſecla rediſſe putes.
Sunt igitur cauſæ mihi cur Jacobe colaris,
  Et virtutis honos, gentis amorque tuæ.
Redde vices oro cum pignore carmine Rhetor,
  Nec te pœniteat Militis ore cani.

In Jacobum Landrianum Comitem Illuſtris Octaviani Sf. Mariæ.

Nunc ea Naſonis credi miracula poſſunt
  De lacrimis Cyanes, Heliadumque piis.
Funera ſiderei lugendo Jacobus alumni
  Landrianus obit queſtus acerba nimis.
Qui legis iſta, minus veteres mireris amicos;
  Rara fides hæc eſt carmine digna novo.

In Commentaria Ubertini Creſcentinatis Rhetoris clariſſimi ſuper M. Tullii Epiſtolarum Codice.

Ingeniis antiqua ſuis ne ſæcula tantum
  Illuſtrata putes, inclita noſtra vide.
Ex Ubertino Creſcentinate latinis
  Utile manavit, quod modo prompſit opus.
In quo non Phaëton, ſed Dædalus orſa peregit
  Maxima, qui metam victor ad uſque fuit.
Omnibus, Octavi, Ciceronis, epiſtola fructus
  Omnis eo cunctas excutiente, patet.
Namque ſuper chartis labor Arpinatibus hujus
  Plura tot emiſſis, & meliora notat.

Ille

Ille roſas aperit dumis hinc inde remotis,
  Mellaque de plenis eruit alveolis.
Tu quia nobiſcum ſentire putavimus olim,
  Qui præter leges iſta diſertus amas;
Curio ſis operi, neque enim livore carebit;
  Cum Cicerone ſuo nobile vivat opus.

In Prætorem Piſanum.

Si Florentinos ſocios, cum bella timerent,
  Anguigeri numquam deſeruere Duces;
Auxilium Tuſcis ſi quas miſere cohortes,
  Regis Aragonii ſuſtinuere minas.
Dic age Piſarum Prætor, cur accipis omnes
  Tam male nos equites, municipeſque ſuos?

Ad Nicolaum Michelotium.

Me communis heri ſtimulat vetus ardor honoris,
  Ut repetam chartas cogit & ille datas.

Ad Signorollum Homodeum Juriſconſultum eximium.

Carmina poſthabitis, ita me Deus adjuvet, actis
  Ut volui nuper ſcribere plura tibi
Et dare, ſi quicquam poſſunt mea Carmina, famam,
  Signorolle Dei, nobile nomen, Homo.
Continuit dextram, quaſi deliraret, Apollo:
  Rem tabulis actor, vel reus, inquit agat.
Non ego, non ipſæ convicia ferre ſorores
  Poſſumus iſtorum, barbariemque fori.
Judicis ergo mei fueris cum munere functus,
  Officio vatis fungar & ipſe tui.

Ad Adoleſcentem Angelum Politianum.

Angele, cui puero facundia contigit omnis;
  Angele, qui lingua clarus utraque vales;
Nulla tibi, ſolvens iſtinc, mea pignora liqui,
  Dicor & abſentis nulla tuliſſe tui.

Nec potui tibi diſcedens auferre libellum,
  Servandum dederam quem tibi caſtra petens.
Ut ſuus hunc peragat librarius, ipſe remittas,
  Inque meas cures hunc revolare manus.
Annue, ſi domini communis honore moveris,
  Cui me commenda, Nicoleoque meo.

Ad Antonium Medicem.

Antoni Medices haud inficianda propago,
  Maxima Tuſcarum ſit domus iſta licet.
Hoc opus exiguum Domini communis honorem
  Commendare tibi non putat auctor opus.
Legeris ut titulum, cognatum & nomen herile,
  Enitêre tua ſponte, viamque dabis.
Qua cito per certum puerum Laurentius heros
  Accipiat magnâ munera parva manu.

Ad Lucam Grimaldum Ducalem Senatorem præſtantiſſimum.

Cum mea jam librum facerent epigrammata juſtum,
  Exiretque meas jam liber iſte manus.
Erubui, Luca, velut a cenſore notatus,
  Ipſe quod in chartis non legerêre meis.
Quem colui ſemper, te præteriiſſe dolebam;
  Tanta quidem virtus prima canenda fuit.
Non quia poſſim ævo quemquam donare perenni,
  Ut potuit ſcriptis Appius ille ſuis.
Sed magis illuſtres ut me, Grimalde Senator,
  Neve quis ignoret te decus eſſe Patrum.
Ergo meum poſitus claudes in calce libellum,
  Dux ubi ſigna bonus, ſubſidiumque locat.
Heroas in fronte legas, & nomina magna,
  In quibus affinis ſunt monimenta tui.

Ad Antonium Bracellum Ducalem Senat.

O cui perpetuum propria virtute parentem
  Vincere, ne dicam ſuſtinuiſſe datur;

An-

Antoni Bracelle togæ, lumenque ſenatus;
  Gloria noſtra domi, gloria noſtra foris.
Si mea Muſa tuum leviter delibat honorem,
  Teque refert operis tænia, parce precor.
Quod collega tuus conſors patriæque, ducumque
  Pertulit, in libro perfer & ipſe meo.
Tu Ligurum victor rediiſti nuper ab oris,
  Cum Duce Baptiſta magna trophæa merens.
Legibus, & ſtudiis radiabas omnibus olim,
  Acceſſere tuæ Martia geſta togæ.
Jam te noſtra ſuum Ciceronem nominet ætas
  Muneribus pacis, militiæque parem.
Sed tibi jam natus, Cicerone beatior ut ſis,
  Surgit avo dignus, teque parente puer.
En novus hic vates ingentem pectore Phœbum
  Accipit, & cantat Carmina digna Lino.
Declamator item non contemnendus habetur:
  Quid faciet canus nobilis iſte puer?
Vivite felices ambo, tu Neſtoris annos,
  Tuque Sibyllinos nate, Paterque ſimul.

Ad Anaſtaſium Platum fratrem optimum.

Eſſe peritorum juris quia pectora quædam
  A ſtudiis novi non aliena meis:
Scis ea, mi frater rerum ſtudioſe mearum,
  Ore quidem memori quas recitare ſoles,
His ubi tempus erit vacuum; nam ſæpe notavi
  Vos apud ingenuis ſeria mixta jocis.
Hunc permitte brevem librum per roſtra legendum,
  Qui parat Etruſcam protinus ire viam.
Cauſidicis illic ſuccenſeo jure quibusdam,
  A quibus offendor; cetera turba placet.
Vos obſervo fori reges, Magnoſque patronos,
  Et juvat in veſtra me ditione legi.

RAPHAELIS PLACENTINI.

Ad Hilarium.

SAncta bonis, Hilari, multis te altaria ditant;
Nec tibi adhuc ſacro eſt chriſmate tacta manus.
Conduxiſti alium, officio quem, paupere cenſu,
Sufficis, & ſatis hoc eſſe putas animæ.
Hac vitium regis arte: Deus non fallitur: en quam
Deſipis! uxorem ducis, & alter habet.

Ad Olympicum.

Diſcere vis aſino cur major, Olympice, ſit bos.
Tu bove, dic nobis, cur minor eſt aſinus?

Ad Romulum.

Viſebat ſua regna Leo, nemora, æquora, & Alpes,
Offerturque fero res nova: mulus erat.
Dic genus, & patrium nomen, rex inquit: at ille
Eſt mihi Cæſareus frater, ait, ſonipes.
Et reges portabat avus; pendentia Romæ
Lucratus curſu ſerica avunculus eſt.
Stemmata ſic vanus matris jactabat; Aſello
De patre vox tandem, Romule, nulla fuit.

Ad Gaſparem.

Eſt anus, eſtque ſenex, odio tibi Gaſpar: iniqui
Fis reus: ad vulgi ſed male verba redis.
Nam nova ſi placeant, medicum quid Neſtora quæris?
Et nova quid laudas vina, vetuſta bibis?

Ser-

Servat Idumæus centum latitantia meſſes
  Balſama: amore nihil dulcius eſt veteri.
Ergo tibi prius ulla genas quam ruga cutemque
  Criſpet, & omnis adhuc Barba rubet, morere.

De Lyco.

Candidior cur barba Lyco ſit crine, rogatus:
  Sæpe fatigor, ait, gutture, non cerebro.

Ad Atyn.

Quid furis, & tota cupis Atticus urbe vocari?
  Te, tua nos pariens Theſtylis, Atyn ait.

Ad Gallum.

Quid tibi, Galle, precor rogitas? te, præmia certe
  Digna Jovis faciat mater ut alma ſuum.

Ad Alexin.

Qualis, Alexi, rogas Tortellius eſt? bonus inquam
  Multa, tamen melior, ſi tacuiſſet, erat.

De Buphori Ducis obitu Dialogiſmus.

Peremptus eſt Bos. Largius cœnabitur,
Sed ejus inquam, nominis magnum virum.
Quid ergo mors novi dedit? Mortis genus
Crudele. Plurimæ viæ, ſed exitus
Eſt unus omnibus; tyrannique hoc fuit.
Fleamus, eſt fletum ſatis, dum viveret.

Ad Polydorum.

Vis aliquem, cum ſim, Polydore, Poëta, leporem;
  Blandiri nulla eſt fortibus utilitas.
Nec dape nigra carens avis eſt laudata; ſed audi:
  Cum ſis venator, tu mihi da leporem.

Ad

Ad Aldum.

Longa quid hæc nimis, Alde, vocas Epigrammata ſem-(per?
Sunt duo longa nimis carmina, ſi mala ſunt.
Quæ bona, ſint ſine fine precor: neque credimus ulli,
Si bona ſit, longam diſplicuiſſe viam.

De Doro.

Sum, Dorus inquit, menſe natus ſeptimo.
Interrogatus, ſciret illud quo modo?
Citius maritum non habebat, ait, parens.

Ad Lucillum.

Lucillum dixi: tu, ſum Lucillius, inquis.
Ardentem cum te videro, verus eris.

Ad Primum.

Carmina, Prime, veru recitabas digna: ſed illis
Dixi, opus eſt obelis: tu mihi das obolum.
Num me Irum fortaſſe putas? me tempore falli
Arguis: at videas, tu mage falſus eris.
Digna tamen reor eſt mihi res admiſſa piaclo.
Non dicendum obelo, Prime ſed igne, fuit.
At ſocios inter quid nomine plaudis inani?
Quolibet eſſe idem qui potes in ſcelere.

Joan. Campetii epitaphium.

Lex, æquum, pietas, quo totum ivêre per orbem,
Hoc jacet, aſtra tenens, marmore Campetius.

De eodem.

Vin' ſcire, quam facere & docere Dîs placent?
Campetius hic cubans, polo ſublatus eſt.

Ad Alanum.

Hæc legis, & mala ſunt quæ non intelligis, inquin'?
Cum nihil ergo ſcias, dic quid Alane bonum eſt?

IOAN.

JOANNIS PLAZONII

SERAVALLENSIS.

Tumulus Bernardini Tomitani.

HIs artes varias, illis ſapientis honores
  Attribuit ſummus, qui regit omne, Deus.
Sed, quæ diſtinxit multis, Tomitanus abundè
  Poſſidet ille unus, qui jacet hoc tumulo.

Ad Eumdem.

Cum dotes natura ſuas componeret omnes,
  Fingeret ut clarum quàm ſtudioſa virum:
Te Tomitane, ſuis complexa eſt fortiter ulnis,
  Et geris in gremio tot bona dona tuo.

Ad Lectorem.

Ignotus cum ſim, forſan mirabitur orbis,
  Cum mea pervenient auribus iſta ſuis.
Me mea ſors fundo numquam deducit avito.
  Nec licuit regum viſere delicias.
Sed quamvis noſtræ veniant de rure Camœnæ,
  Nil tamen incomptæ ruſticitatis habent.
Si non cum primis mea carmina nota poëtis;
  Proxima erunt ſaltem vatibus illa bonis.

Ad Titianum pictorem celeberrimum.

Parce meæ juvenis formoſos pingere vultus.
  Et pæne arte tua ſic dare velle animam.

Nil

Nil opus eſt picta nobis, Titiane, figura:
Infixa eſt medio pectore vera prius.
Hanc in corde meo, quæ eſt dotatiſſima formi,
Sedula cum placido pinxit Amore Venus.
Quam ſi tantillum quiſquam delere medullis
Optavit, ſenſus deleat ille meos.

Ad Gallum.

Galle, quid Heſperios properas invadere campos,
Immemor antiqui roboris Heſperiæ?
An bello egregii contemnis Cæſaris arma,
A quibus eſt veſtro ſanguine tinctus Arar?
Si te nulla movent jam priſci Cæſaris arma;
Saltem, nota novi Cæſaris arma time.

Mopſo Mycon.

Hanc magnus cuſtos ovium, tibi Mopſe, galerum
Paſtorum ſancta mittit ab urbe Mycon.
Sedulus ut ſecum paſcas ſecurus ab æſtu,
Nec timeas triſtes, cum furit Auſter, aquas.
Nunc cuſtos ovium, tibi Mopſe galerum hunc
Paſtorum ſancta mittit ab urbe Mycon:
Poſt tamen Elyſii cum paſcua viſerit ille,
Hoc tibi, commiſſo cum grege, ſume pedum.

In Laudem M. Antonii Flaminii.

Flebat adhuc cari Benacus morte Catulli,
Crudeles referens per vada mœſta Deos:
Cum tandem undiſonæ cantantem margine ripæ
Senſit ſuaviloquo carmine Flaminium.
Ac Deus hæc: jam flete nimis; vale, amice Catulle:
Non Mors, ſed rapuit te mihi Flaminius.

De Vinea.

Hinc fueram præceps, illinc collapſa ruinis,
Invia ſive viris, invia ſive feris.

Vini-

Vinitor hanc pulchram tribuit, mihi reſpice, formam,
Excultamque tibi me bone Bacche, dicat.
Tu facilis, tu dexter ades; tu congrua tanto
Munere, jam domino præmia redde meo.

Barthol. Purlilius donatur Evangeliorum libro.

Quem magis hunc pulchrum deceat, ſanctumque libellū
Quam te, qui auctorem ſedulus uſque colis?
Hunc tu ſume libens; nec dantis munera tantum
Reſpice, quam quæ ſunt condita muneribus.

Ad Alpes.

Magnus Acon rigidas Cadubri cogitat Alpeis,
Conſulat ut caris finibus Italiæ.
Alpinæ rupes, & rupibus addita ſaxa,
Per quæ tam duram cogitur ire viam:
Sic vos perpetuo decoret pulcherrima pinus,
Atque abies veſtrûm cingat ubique juga;
Nunc ſaltem, dum magnus Acon vos luſtrat, eunti
O faciles aditus, o reditusque date.

De ſe.

Tandem de miſeris me ſolvi nexibus urbis;
Jam repeto optati ruſtica tecta ſoli;
Quæ longum ſervent florenti ſemper agello
Bacchus, & innumeris frugibus alma Ceres.
Grata cano: ſors nulla meas ſpes reddat inanes:
Hoc uno maneat vitaque morſque loco.

Ad Franciſcum Robortellum.

Si qua recordanti veterum præcepta virorum
Grati animi ſemper maxima lætitia:
Robortelle, tui tam clari nominis, omnis
Græcia perpetuo ſtat, Latiumque memor,

Eidem.

De te; de docto quoquam ſi dicitur; id quod
Nulla dies adimat, dicitur ingenue;
Ne plura enumerem, quidquid tulit inclita fama
Olim aliis, uni nunc tibi larga dedit.

Ad eumdem.

Invida mors ne forte ſemel quæ ſtraverat, alter
Erigeret firma vividus hiſtoria,
Robortelle, ſuos in te fera dirigit arcus;
Incaſſum in laudes ſed furit illa tuas.

De Sacello Mich. Turriani.

Tu qui tam pulchrum mira pietate Sacellum,
Et colis in verum ſaxa polita Deum:
Obſcenæ Veneris ſi qua eſt ſibi nota figura,
Aut alia e falſa relligione ſilex:
Non ſolum impuras dicas pietate, ſed arte
Cuncta piis iſtis cedere imaginibus.

Ad Villam Guidi Ferrarii Card.

Villula quæ fueras avidis habitata colonis,
Et quondam agricolis non niſi nota tuis:
Adventu tanti poteris celeberrima dici
Principis, & claras inter ubique domos.
Quod ſi ſæpe tuos colles herus ille reviſet;
Non locus in terris notior alter erit.

Ad eumdem.

O ſacer Antiſtes, quis, te nunc viderit, & non
Mox dicet ſummum te fore Pontificem?
Sic erit: ingenui mores, & vita pudica,
Et virtus, ſummi ſunt bona Pontificis.

De Therilla, & Lycida.

Ardentem Lycidas Solem vitabat ad umbras,
Cum ſubit umbroſum pulchra Therilla locum:
Atque hæc ille inquit: umbræ valeatis amatæ;
Heu, nihil hoc gemino tegmina Sole juvent.

Ad villulam ſuam.

Multos per ſcopulos, & multa per aſpera vitæ
Aufugio ad parvi jugera parva ſoli.
Ut me poſt triſtes caſus, poſt vulnera rerum,
Accipiat tuto villula noſtra ſinu.
Quandoquidem poſt te numquam me ſæva videbunt
Æquora, longinquis terra nec ulla locis.
Jam mea nunc me cara dico tibi villula; tu ſis
Et maris, & terræ meta quieſque mihi.

De Catella mortua, ad Sirium.

Invide, quid placidam, canis, eſt tibi morte Catellam
Perdere, & è dominæ ſurripuiſſe ſinu?
Te cœli cuſtode, tuo ſub ſidere, nobis
Eripitur: quid ſi non foret iſta canis?
Scilicet immites tantos prorumpis in ignes,
Ne foret iſta tuis æmula luminibus.
Sed numquam poteris flammas accendere, quas non
Extinguat lacrimis pulchra catella meis.

De ſua Muſa.

Quid mirare meam curarum in turbine Muſam
Edere, quæ lætis ſunt magis apta jocis?
Non hæc eveniunt humanis viribus orta,
Cœleſtis ſed enim nobile mentis opus:
Quæ cupiens miſero terrarum carcere ſolvi;
Non ſecus albus olor concinit, illa canit.

De

De Urſa puella.

Urſa nitet cœli, nautæque reguntur ab illa.
  Hac regimur terris; nec minor iſte decor.
Illa vagis (quid ni?) formoſa eſt ſtella carinis:
  Hæc pelago, & terris, pulchraque Cœlicolis.

De nocte Natalis Domini.

Lux oritur de nocte, dies fit nocte ſub ipſa:
  O mirum: exoritur hac quoque nocte Deus.

Pro Chariclo.

Alta petit nivibus ſemper conſperſa Chariclus,
  Atque etiam medio frigore currit iter.
Ah ne illum tantæ lædant pluviæque, niveſque,
  Juppiter avertas, triſtia quæque cadunt.
Te quoque ne pigeat paulum ceſſare Charicle:
  Sat citus ad dominum, ſi modo ſalvus, eas.

Ad Lycidam.

Noſter adeſt, Lycida, natalis: collige flores,
  Inſideant capiti florea ſerta meo.
Non pudor eſt, ſenio quamvis ſim crinibus albis,
  Me teneros vinctum ducere flore choros.
Hoc natalis opus: virides mihi præbuit annos;
  Atque ita perpetuò quod velit eſſe, rogo.

Vinea ad ſuos dominos.

Sicne igitur vobis adeo male grata nocenſque
  Dicar, ut alterius jura ſubire queam?
O dulces domini, quod non ſim fertilis iſtis
  Temporibus, culpa eſt, credite, nulla mea.
Quid mihi? ſi pluviis, nivibus, ſi grandine lædor,
  Surripiunt fures ſi mea quæque bona?

Ah potius faciles in me vos poſcite Divos;
Atque ita fertilior, grataque ſemper ero.

De nocte Natalis Domini.

Nox erat, & nigræ tenebræ: quis credere poſſet,
Clarum de mediâ nocte nitere diem?
Crederet id nemo: Deus ô Deus ipſe tenebras
Diſpulit exoriens, nocteque facta dies.

De Caſtilione.

Mantua dives avis, ſed ditior illa poëtis,
Quos inter primos maximus ille Maro.
Non tamen inferior multo tu culte poëta,
Caſtilio, claris regibus orte tuis.
Sed titulos gentemque tuam tam ſtultus avitos,
Qui teneris Muſis præferat, ecquis erit?

De obitu Bartholomæi Purlilii.

Magne heros, quem dira piis mors abſtulit, ergo
Si de te taceo, non memor eſſe rear?
Quin potius dum te recolo, tacituſque voluto,
Eripit & ſenſus ingeniumque dolor.
Quem ſi longa dies paulum levet; omnibus eſto;
Notus, ut in noſtro pectore fixus ades.

De Philomela, in obitum uxoris.

Ne mihi ne, Philomela, tuos oppone dolores,
Dum quereris certis improba temporibus.
Tu querula es ſub vere novo, requieſcis in anno:
At mihi perpetuus tempus in omne dolor.
Tu ſcelus indignum quereris: mihi cauſſa querelæ
Conjugis ereptæ res miſeranda premit.

De bona pluvia.

O dulces pluviæ, dextro quas Juppiter imbre
Miſit, ut optatis rura rigetis aquis.
O magis aurata Danaës pluvia mihi dulces,
O quoque nunc ſegeti nil minus uſque bonæ:
Vos quoque combuſtos æſtu relevaſtis abunde;
Vos mea plus Danaës æſtimat imbre chelys.

Ad poëtam medicum.

Admonuit ſi forte tuum deponere plectrum
Phœbus, & ad Medicæ te vocat artis opus:
Hoc facit is, metuens proprium ne perdat honorem,
Cum tanti tua ſit æmula lingua Dei.
Sume igitur citharam, cum jam ſis factus Apollo
Noſter, & invidiam ſperne doloſque Dei.

Ad Venetias.

Si quondam magno imperio tua fama vigebat;
Non ſolum Adriacis, Joniciſque vadis;
Sed qua longinquis tollit ſe maximus undis
Oceanus, claros uſque ad utroſque polos;
Surge maris Regina, tui ſub Principe honores
Hoc redeunt, priſco & tempora priſca Duce.

Sebaſt. Venerio, Duci Venetæ claſſis.

Te quoque conſortem Trojæ Venus alma, Veneri,
Protulit. Æneæ præpoſuitque ſuo.
Contigit Æneæ patrios auferre penates;
At tibi in antiquam poſſe referre domum.

Roma ad populum de inſigni Draconis, Gregorii XIII.

Quod mihi præpoſitum timeam, tua Roma, dracone
Non eſt: ſupplicibus nam bonus iſte favet.

Quem

Quem prius Alcides domuit, fuit improbus ille;
Non licuit ſilvæ carpere poma ſuæ.
Hic non poma modo, ſed totos obtulit hortos:
Hoc cuſtode tamen fur procul omnis abeſt.

Ad Deum opt. max.

Quæ rapidis vexata diu Caurisque Notiſque;
Eſt bene tranquillo cymba revecta ſolo.
Auxilio, Deus illa tuo vada tuta ſubivit,
Nec timet immites quas tulit ante minas
Pro quibus uſque tuis, quamvis ſua munera parva
Reddentur meritis; qualiacumque tamen
Tu non deſpicies gratæ Munuſcula mentis:
Aptior ante tuos victima nulla focos.

In obitu Andr. Minutii.

Si quæris cum jam placido pede Meſulus ibam.
Cur tumido rapidus ſic ferar amne diu?
Hæc mea, quam ſpectas ſolito magis aucta frequentis
E populi lacrimis unda ſuperba venit.
En de morte pii ſunt hæc monumenta Minuti:
Si properas, aliud quære viator iter.

De eodem.

Quid rapis o Mors ſæva? nihil niſi pectoris umbram
Tu rapis: iſte tuas ſpernit, acerba, manus.
Morte caret virtus præclari ſumma Minuti:
Ante homines ſemper vivet, & ante Deos.

PETRI PAULI PLOVENEI.

Ad Alexandrum Piccolomineum.

QUæ Zeno, vel quæ Plato, quæve Platonis alumnus
  Edocuit, docto pectore clauſa tenes.
Per te contemtis Academia migrat Athenis,
  Patriæ Alexander florida in arva tuæ.
Grajorumque ſophων obſcuras lucidus artes
  Hetruſcæ linguæ floribus irradias.
Et vel femineas ſapientum ad dogmata mentes
  Poſſe informari te preæunte doces.
Ne ſe miretur nata Cleobulus in una,
  Te duce quod doctas Turca dat ora nurus.

Ad Aloyſium Granatam.

Quem placidum ficti ſpectas per lumina vultus
  Demiſſis oculis, hoſpes amice, cole.
Cerne tamen venerans Ludovicum, cerne parentem,
  Virtutis columen, Palladiumque jubar.
Non tibi fas animi radios ſpectare comantes:
  Comprimit hos docta pictus ab arte color.
Sic Phœbus ſi nube latet, ſua lumina pandit,
  Viſibilem formam proſpiciendus habet.

Ad Franciſcum Panigarolam.

Nexibus Herculeis vivens ligat ore catervas,
  Haſque catenatas Panigarola trahit.
Et moriens linquit calamos ſine labe loquaces,
  Major ut eloquio vivat, & ingenio.

Fas

Fas erat, extentum ut meritis produceret ævum:
Perpetuum nomen per ſimulacra tenes.

Ad Paulum Benium.

Te ſeu facundæ pandentem Palladis artes,
Sive Caballini flumina docta jugi.
Te ſeu Meoniden, Sophocleum ſive cothurnum,
Seu Plauti ſoccos explicuiſſe juvat.
Germani, Hiſpani, Galli mirantur, & Angli,
Et quiſque in patriam doctior indè redit.
Quid plura? annales Livi cum Paule tonares,
Eloquio didicit candidiore loqui.

Ad Robertum Bellarminum Cardinalem.

Aſpicis, ut valido Robertus robore bellat
Bella poli, hæreticos & fugat ore greges.
Ille tamen mitis tacita, timiduſque ſub umbra
Ingemit, & querulis vocibus antra replet.
Nunc vi fulminea fertur generoſus in hoſtem,
Nunc gemitus imo e pectore in aſtra jacit.
Imbellem anne ales generat generoſa volucrem?
Idem aquila eſt agitans bella, columba gemens.
Utrobique tonat: bellum utrobique minatur,
Sive aquila hæreticis, ſive columba Deo.

Ad eumdem.

Quem vides, hoſpes, rutilum per aſtrum
Stare depictis tabulis loquentem,
Noveris dignum gemino cothurn
Surgere ad auras,
Clara Robertus ſuperum propago,
Quem vehit raptis ſuper aſtra pennis,
Dum manet terris comitata buſtum
Fama ſuperſtes,
Hunc canit docto calamo magiſtrum
Cerberi dextra religaſſe colla,

Spiculis Orcum domuiſſe ſacris
Herculis actu.
Hæreſum fractor tenet ille portum,
Negligit ſævæ fremitum Charybdis,
Arcet hoſtiles fidei catervas
Fulmine major.
Siderum calles graditur ſupremos
Morte, quin Phœnix per amiciora
Fata ſublimes renovatus intrat
Ætheris arces.

ANGELI POLITIANI

SILVA CUI TITULUS NUTRICIA.

Argumentum de Poëtica, & Poëtis.

STat vetus, & nullo lex interitura ſub ævo
Divorum, atque hominum concors: incîdit in auro
Scilicet hanc Natura parens, dictaſſe feruntur
Fatorum conſulta Themis, ſolerſque futuri
Nondum Caucaſea pendens de rupe Prometheus;
Quæ gratos blandæ officio nutricis alumnos
Eſſe jubet, longumque pia mercede laborem
Penſat, & emeritis cumulat compendia curis.
Hinc Italos Phrygio ſignavit nomine portus,
Cajetæ memor, Æneas: hinc urbe Quirini
Annua cinctutos nudabant feſta Lupercos.
Hinc pater aſtrigero Dodonidas intulit axi
Bacchus Agenoreo facturus cornua tauro.
Hinc jubar Olenium ratibus pelagoque pavendum
Exoritur, ſiquidem Cretæa fertur in Ida
Capra Jovem puerum fidis aluiſſe papillis.
Aſt ego, cui ſacrum pleno dedit uber nectar,

Non

Non olidi conjunx hirci, non rava ſub antris
Bellua, non petulans Nymphe, non barbara mater,
Sed Dea, Pieridum conſors, & conſcia magnæ
Pallados, humanas Auguſta Poëtica mentes
Siderei rapiens ſecum in penetralia cœli;
Quas rogo, quas referam grates, quæ præmia tantæ
Altrici ſolviſſe queam, nec fulminis auctor,
Nec thyrſi ſceptrique potens? quonam improba ducis
Mens avidum? quo me pietas temeraria cogis
Attonitum? quinam hic animo trepidante tumultus?
Fallor? an ipſa aptum dominæ præcordia munus
Parturiunt ultro, vocemque & verba canoro
Concipiunt ſenſim numero, inlibataque fundunt
Carmina numquam ullis Parcarum obnoxia penſis?
Sic eat: en agedum qua ſe furor incitat ardens,
Qua mens, qua pietas, qua ducunt vota ſequamur.
Intulerat terris nuper, mundoque recenti
Cura Dei ſanctum hoc animal, quod in æthera ferret
Sublimes oculos, quod mentis acumine totum
Nature luſtraret opus, cauſſaſque latentes
Eliceret rerum, & ſummum deprenderet ævi
Artificem, nutu terras, maria, aſtra regentem;
Quod fretum ratione animi ſubſterneret uni
Cuncta ſibi, ac vindex pecudum domitorque ferarum
Poſſet ab ignavo ſenium defendere mundo:
Neu lento ſquallere ſitu ſua regna, neque ægram
Segnitie pateretur iners langueſcere vitam,
Sed longum tamen oſcuris immerſa tenebris
Gens rudis, atque inculta virûm, ſine more, ſine ulla
Lege propagabant ævum, paſſimque ferino
Degebant homines ritu, viſque inſita cordi
Mole obſeſſa gravi nondum ullos prompſerat uſus:
Nil animo, duris agitabant cuncta lacertis,
Nondum relligio miſeris (ſi credere fas eſt)
Non pietas, non officium, nec fœdera diſcors
Norat amicitiæ vulgus, diſcernere nulli
Promptum erat ambiguo ſuſceptam ſemine prolem.
Non thorus inſterni genio: non crimina plecti

Judicio; nulla in medium conſulta referri.
Non quæri commune bonum: ſua commoda quiſque
Metiri; ſibi quique valere, & vivere ſueti.
Et nunc, ceu prorſus morientem, veſpere ſero
Ignari flevere diem, nunc luce renata
Gaudebant ceu ſole alio; varioſque recurſus
Aſtrorum, variam Phœben, ſubluſtris in umbra
Noctis, & alternas in ſe redeuntibus annis
Attoniti ſtupuere vices: inſignia longum
Spectabant cœli, pulchroque a lumine mundi
Pendebant cauſſarum inopes, rationis egentes:
Donec ab æthereo genitor pertæſus Olympo
Socordes animos, longo marcentia ſomno
Pectora, te noſtræ, divina Poëtica, menti
Aurigam, dominamque dedit: tu flectere habenis
Colla reluctantum, tu lentis addere calcar,
Tu formare rudes, tu prima extundere duro
Abſtruſam cordi ſcintillam, prima fovere
Auſa Prometheæ cœleſtia ſemina flammæ.
Nam ſimul ac pulchro moderatrix unica rerum
Suffulta eloquio dulcem ſapientia cantum
Protulit, & refugas tantum ſonus attigit aures.
Concurrere ferum vulgus; numeroſque, modoſque
Vocis & arcanas mirati in carmine leges
Denſi humeris, arrecti animis, immota tenebant
Ora catervatim, donec didicere, quid uſus
Diſcrepet a recto, qui fons, aut limes honeſti,
Quive fide cultus, quid jus æquabile quid mos,
Quid poſcat decor & ratio; quæ commoda vitæ
Concilient inter ſe homines; quæ fœdera rebus;
Quantum inconſultas ultra ſolertia vires
Emineat. quæ dein pietas præſtanda parenti,
Aut patriæ, quantum juncti ſibi ſanguinis ordo
Vindicet, alternum quæ copula ſervet amorem.
Quod gerat imperium, fractura Cupidinis arcus,
Atque iras domitura truces, vis provida veri;
Vis animæ, celſa quæ ſic ſpeculatur ab arce,
Ut vel in aſtrigeri ſemet præcordia mundi
Inſi-

Inſinuet, magnique irrumpat clauſtra tonantis.
Agnorant ſe quiſque feri, pudibundaque longum
Ora, oculos, taciti inter ſe, immotique tenebant.
Mox cunctos pariter morum, vitæque prioris
Pertæſum; rituſque auſi damnare ferarum
Protinus exeruere hominem: tum barbara primum
Lingua novos ſubiit cultus, arcanaque ſenſa
Mandavere notis, multaque tuenda virum vi
Mœnia ſuccinctus populis deſcripſit arator.
Tum licitum vetitumque inter diſcrimina ferre,
Et pretium laudi & noxæ meditantia pœnam
Vindicibus cœptum tabulis incidere jura:
Mox & dictus Hymen, & deſultoria certis
Legibus eſt adſtricta Venus; ſic pignora quiſque,
Affectuſque habuere ſuos: bellique togæque
Innumeras commenti artes, etiam æthera curis
Subſtravere avidis: etiam famulantibus altum
Inſeruere apicem ſtellis, animoque rotatos
Percurrêre globos mundi, & ſacra templa per orbem
Plurima luſtrato poſuerunt denique cœlo.
Sic ſpecies terris, vitæ ſua forma, ſuuſque
Diis honor, ipſa ſibi tandem ſic reddita mens eſt.
An vero ille ferox, ille implacatus, & audax,
Viribus ille gravi proſternens cuncta lacerto,
Trux vitæ, præceps animæ, ſubmitteret æquo
Colla jugo, aut duris pareret ſponte lupatis,
Ni prius indocilem ſenſum facundia victrix
Vimque reluctantem irarum, flatuſque rebelles
Carmine molliſſet blando, proniſque ſequentem
Auribus, ad pulchri ſpeciem duxiſſet honeſti?
Quippe etiam ſtantes, dulci leo carmine captus,
Submittit cervice jubas, roſeamque dracones
Erecti tendunt criſtam, & ſua ſibila ponunt.
Ille quoque umbrarum cuſtos, ille horror Averni
Cerberus, audita Getici teſtudine vatis,
Latratum poſuit triplicem, tria ſuſtulit hiſcens
Ora novo ſtupidus cantu, qui flexerat atram
Tiſiphonen, ſævo lacrimas conciverat Orco.

Ipſum fama Jovem, cum jam Cyclopea magna
Tela manu quatit inſurgens, tonitruque coruſcat
Horriſono, & cæcis miſcet cava nubila flammis;
Ut tamen increpuit nervis, & pectine pulcher
Delius, alternumque piæ cecinere ſorores,
Placari, totumque ſua diffundere mundum
Lætitia, & ſubito cœlum inſtaurare ſereno.
Nunc age, qui tanto ſacer hic furor incitet œſtro
Corda virum, quam multiplices ferat enthea partus
Mens alto cognata polo, qui præmia doctæ
Frontis, Apollineas auſi ſibi nectere lauros,
Inclita perpetuis mandarunt nomina ſæclis,
Expediam, faveat pulchro nunc Muſa labori:
Muſa quies hominum, Divumque æterna voluptas.
Juppiter [ut perhibent] liquit per & ignea mundi
Templa, per & ſtellis radiantibus æthera fixum,
Aurarumque animas, ſola terræ, & cærula ponti
Diffitus, errantes citharæ vice temperat orbes;
Ac rapidum imparibus curſum rotat intervallis:
Quem rata pars tamen, & certum confine diremit.
Hinc noſtro major captu ſonus exit, acutas
Compenſans gravibus ſeptem in diſcrimina voces:
Stellanteſque globos ſua quæque innoxia Siren
Poſſidet, ambroſio mulcens pia numina cantu.
Nec tamen in nullis hominum ſimulacra refulgent
Mentibus, arcanam cœli teſtantia Muſam,
Permixtumque Jovem: nam ceu tralucet imago
Sideris in ſpeculum, ceu puro condita vitro
Solis inardeſcit radio vis limpida fontis:
Sic nitidos vatum defecatoſque ſonori
Informant, flammantque animos modulamina cœli.
Is rapit evantem fervor, fluctuque furoris
Mens prior it peſſum; tum clauſus inæſtuat alto
Corde Deus, toto lymphatos pectore ſenſus
Extimulans, ſociumque hominem indignatus, ad imas
Cunctantem abſterret latebras, vacua ipſe potitus
Sede per obſeſſos ſemet tandem egerit artus,
Inque ſuos humana ciet præcordia cantus.

Non

Non illos cycnea mele, non Dædala chordis
Apta fides, non quæ duplici geniale reſultant
Nabla citata manu, non vincat dulcior ille
Flatus inæquales digitis pulſantibus implens
Compreſſo de folle tubos, pius æmula contra
Jubila cui referunt chorus, alternifque laceſſunt.
Agnoſcas propere numen; ſuſpirat anhelo
Grandior ore ſonus, quantuſque impleverit antrum
Phœbados, aut rupem Euboicam: nec Martius illum
Terrificum clangens rauci canor æris obumbret,
Nec tonitrus Jovis, aut petulantibus incita flabris
Oſſæo pineta jugo, Nilive ruentis
Exurdans vicina fragor: mirantur & ipſi
Sæpe (quis hoc credat?) quæ nuper cumque recepto
Numine, legitimi cecinere oracula vates,
Caligatque animus viſis: nec vindice lingua
Defendunt ſua dicta ſibi, poſtquam ille quievit
Spiritus, & preſſi tacuit ſacer impetus oris.
Ipſaque Niliacis longum mandata papyris
Carmina Phœbeos videas afflare furores,
Et cœli ſpirare fidem quin ſancta legentem
Concutiunt parili turbam contagia motu,
Deque aliis alios idem proſeminat ardor
Pectoris inſtinctu vates; ceu ferreus olim
Annulus arcana quem vi Magneſia cautes
Suſtulerit, longam nexu pendente catenam
Implicat, & cæcis inter ſe conſerit hamis.
Inde ſacros Muſarum amnes, Heliconia Tempe
Multiſoni celebrant numeroſo gutture cycni.
Prima tamen dubias fuderunt carmina ſortes.
Quippe etiam ante Jovem ſagis inſtincta reſolvit
Ora ſonis Nereus, Nereus quem priſca marinum
Dictat fama ſenem; tuque o conſulte Prometheu,
Qui tenuem liquidis ignem furatus ab aſtris
Mirantem fruſtra Satyrum, captumque decoro
Lumine, ne flammæ daret oſcula blanda, monebas.
Mox quoque Phocaico verum mugivit ab antro
Alma Themis, qua rupe pares utrinque volatus

Ar-

Armigeræ poſuere Jovis: tum Juppiter ipſe
Fatidico movit cantu Dodonida quercum,
Præſciaque in Libycis concuſſit cornua lucis:
Moxque Lycaonias Pan carmine terruit umbras.
Carmen Apollinei tripodes, lauruſque locutæ,
Quæque coronatum ſonuere Phileſia Branchum,
Paſtorem Branchum, tribuit cui gratus amorum
Sortilegas voces admiſſus ad oſcula Pæan.
Et ſua per carmen ducibus reſponſa Latinis
Noctivagus cecinit calcato vellere Faunus,
Vos quoque per carmen triplices oracula Parcæ
Veſtra datis, quin & veteres prompſere Sibyllæ
Carmen, Amalthea, & fati Marpeſia dives,
Herophileque Idæa genus, prædoctaque Sabbe,
Demoque, Phegoque, & veri gnara Phaënnis,
Et Carmenta parens, & Manto & Pythia longos
Phemonoë commenta pedes, & filia Glauci
Deiphobe, nimium vivax, & Marcia fratrum
Nomina, lymphatuſque Bacis, ſubterque Triones
Natus Hyperboreus Ollen, inque Atthide terra
Clarus honore Lycas, Dodoniadeſque columbæ.
Nam quid ego, innumeras variantem Protea formas,
Sed dubio riſus vultu, lacrimaſque peroſum,
Quidve loquar te Glauce ſenex? plenumque parente
Idmona, fulminei proſtratum dentibus apri?
Ampycidenque pium? Libycis quem fudit arenis
Vipera fatifero fauces accenſa veneno.
Quid te, cui volucrum linguæ patuere Melampu?
Quid, cui poſt viſos nudatæ Pallados artus
Cernere nil licitum: quid quem impia prodidit uxor,
Hoſticaque hauſit humus? quique alto in melle necatum
Reſtituit luci, quo nuper vixerat anguis
Gramine Minoum Dictæo carcere Glaucum,
Aut qui mille rates peritura ad Pergama duxit
Theſtoriden, aut qui magica fera murmura lingua
Ingeminans, liquido deduxit ab æthere fulmen
In caput ipſe ſuum, propugnarique bidental
Juſſit, Achæmenium ſervantia buſta tiaram!

An memorem Solymos prælustria nomina vates?
Pſallentemque Deo regem, qui turbine fundæ
Icta Philiſtæo ſecuit puer ora giganti?
Teque Palæſtini laqueantem culmina templi
Mentis opumque potens Solomon, nec odora tacentem
Oſcula ſollicito languentis amore puellæ;
Pars hymnos fudere Deo, ſic maximus ille
Nondum clara ſacris radiatus tempora Moſes
Ignibus, ut rubras ſicco pede tranſiit undas,
Demerſo inſignem cecinit Pharaone triumphum.
Tuque puer modo dicte mihi Jeſſæe viciſſim
Dulcia terribili mutans pſalteria bello,
Voce Deum placas; ut quos Babylone rebelli
Lambit in horriſonis non noxia flamma caminis:
Quoſque alios veteris gens ſervantiſſima ritus,
Retrorſum Judæa legit, ſed enim æthera magnum,
Cuſtodeſque aliis genios (ita juſſerat error
Publicus) innumeroſque lares, functoſque ſepulchris
Mille Deos, variiſque animatum partibus orbem,
Heu fruſtra coluere pii, veniamque rogantes,
Qualiacumque ſuo placabant numina cantu.
Mox chaos & teneri prima incunabula mundi,
Et Divum genus, atque hominum, & Titania ſæcla
Non umili dixere tuba, quoque edita partu
Gramina, frondiferumque nemus, genteſque ferarum,
Quidve parens Natura agitet, quoſque aurea ducant
Aſtra choros; ut ſe fraternis Delia flammis
Induat, & radiis eadem mox depleat hauſtis:
Quæ cœlo portenta volent; quemve ille tumultum
Miſceat; aut quantis varietur ab ignibus aër;
Quo ſaliat quaſſante ſolum; qui torqueat error
Oceani refluas undas, molemque natantem.
Inde ſacroſanctas modulati carmine leges,
Multiſonum fecere Nomon: nec vulnera tantum
Sæva, ſed & cæcos vincebant carmine morbos
Sacrifici quondam nec Diis ignara poëtæ
Nomina: quin magicas arcano murmure linguas
In varios duxere modos: nec fabula mendax
Par-

Parrhaſio lapides moviſſe Amphiona plectro,
Orpheos atque lyram curva de valle ſecutas
In caput iſſe retro liquido pede fluminis undas;
Cumque ſuis ſpelæa feris, cum rupibus ipſis
Dulcia Pierias properaſſe ad carmina fagos:
Quæque avis applauſo libraret in aëre pinnas,
Pæne intercepto vix ſe tenuiſſe volatu.
Illius argutis etiam patuere querelis
Tartara, terrificis illum villoſa colubris
Tergemini ſtupuere canis latrantia monſtra.
Tum primum & lacrimas invita per ora cadentes
Eumenidum, Stygii conjunx mirata tyranni
Indulxit vati Eurydicen; ſed muneris uſum
Perdidit, heu, duræ nimia inclementia legis.
At juvenem poſtquam Threſſarum injuria matrum
Fruſtra ſuave melos, fruſtra pia verba moventem,
Diſperſit totis lacerum furialiter agris;
Cùm lyra divulſum caput à cervice cruentâ
Heu medium veheret reſonans lugubre per Hebrum,
Relliquias animæ jam deficientis amatam
Movit in Eurydicen, tamen illam frigidus unam
Spiritus, illam unam moriens quoque lingua vocabat.
Lesboum ſtupuit vulgus, cum flere natantes
Sponte fides, atque os domini vectare cruentum
Vidit, & heu laſſis velut adſpirare querelis.
Improbus hanc ſtultè chelyn affectare Neanthus
Auſus, Apollineâ pendentem ſuſtulit æde.
Quem tamen indocto ferientem pollice chordas
Vindice diſcerpſit rictu nocturna canum vis:
Illa recepta polo ceu quondam ſaxa nemuſque,
Sic nunc ſtelliferis agit aurea cornibus aſtra.
Quin & Pellæi quondam præſaga triumphi,
Delicuit ſudore ſacro Libethris imago:
Tantus honor Getico fuit & poſt funera vati.
At tu, qui merito dulcem cratera magiſtro
Obtuleras, volucri penetrans in ſæcula famâ,
Cantando trahis Elyſios Muſæ minores.
Contrà autem indocilem nimis execratur alumnum

Immemoremque Linus vocat ingratumque laborum
Amphitryoniaden, qui quondam triſte peroſus
Doctoris magni imperium, veneranda rebelli
Concudit ora lyrâ, & clamantem plurima fruſtra,
Tendentemque manus, obteſtantemque peremit;
Heu non iſta piæ meritum ſibi præmia linguæ.
Jam Methymnæum vatem delphine revectum,
Jam Tamyram cantu doctas anteire ſorores
Fretum, mox citharæ damnatum, & luminis orbum
Quis neſcit? princeps idem (ni vana vetuſtas)
Ad faciles venerem inlicitam convertit ephebos,
Inſignemque ſacro tulerat certamine palmam
Tertius: hoc etenim Cirrhæus honore Philammon
Claruit ante pater: ſed Tres prævenerat ambos
Chryſothemis: nam Demodoci vivacior ævo
Fama Meleteis gaudet juveneſcere chartis;
Et tu Neritias invito pectine menſas
Qui celebras, etenim ut ſtellas fugere undique cœlo.
Aurea cum radios Hyperionis exeruit fax,
Cernimus, & tenuem velut evaneſcere lunam;
Sic veterum illuſtres flagranti obſcurat honores
Lampade Mæonides: unum quem dia canentem
Facta virûm, & ſævas æquantem pectine pugnas,
Obſtupuit, prorſuſque parem confeſſus Apollo eſt.
Proximus huic autem, vel (ni veneranda ſenectus
Obſtiterit) furtaſſe prior, canit arma virumque
Vergilius, cui rure ſacro, cui gramine paſtor
Aſcræus, Siculuſque ſimul ceſſere volentes:
Quem non tabifico mordax attingere Livor
Dente queat, Livor tandem & Sandalion auſus
Carpere, cum dominam aſſeruit ſua forma Dionen.
Excipiunt gemini procul hos, longeque ſequuntur
Qui ſeptem Cadmea vocent ad mœnia reges.
Hunc Phœbea Claros, Cumæa Neapolis illum
Protulit; hic elegis etiam tua funera Lyde
Flet pius; herois ille audax verſibus effert
Magnanimum quoque Peliden; hic denique magni
Inſtar habet populi, pendentem ad verba Platonem
Ille

Ille etiam ſilvis partum ſibi prædicat aurum.
Ecce alii primo tentatum remige pontum,
Palladiamque ratem, tabulaſque dedere loquaces.
Quorum Threicio perſonam primus ab Orpheo
Accepit genitus Miſcelli gente ſalubri:
Alter Alexandri Nilotidas abnegat arces
Exoſus natale ſolum, tumidamque Coloſſo
Solis, & irriguam pluvio Rhodon expetit auro.
Hujus in Auſonio veſtigia pulvere Varro
Pone legit, linguæ haud opulens, ut barbara Narbo,
Ut quem parvus Atax Latiæ tranſcripſerat urbi.
Atque idem imparibus proprios exponit amores,
Leucadiamque ſuam numeris, ſuccedere magno
Aruncæ quondam fruſtra conatus alumno.
Nam te, Flacce, ſinu ſulcantem cærula pleno,
Heu juvenum curſu excuſſit mors ſæva priuſquam
Æſonides Pagaſas, patriamque reve&tus Jolcon.
At tibi Dædaleos monitus, Heliconie vates,
Qui ſequeris, neque ventoſis in nubibus alas
Expandis, neque ſerpis humi, ſed præpete lapſu
Ceu medium confine teris, quo carmine dignas
Addiderim tandem, quove ore aut pectore laudes?
Scilicet huic patriis pecudes in vallibus olim
Servanti, cunctæ ſeſe indulxere videndas
Aonides, laurumque viro, vocemque dedere,
Qua ſuperum caneret ſtirpem, præceptaque morum,
Deſcriptoſque dies operum, clypeumque tremendi
Herculis, & veteres Divum genus Heroinas.
Ergo & Chalcidico vatum certamine quondam
Rettulit auratum tripoda, & (ſi vera minores
Audimus) cantu magnum quoque vicit Homerum;
Moxque dolo extinctum, merſumque ad littora triſtis
Delphinum vexere chorus, nec defuit index
Turba canum, medioque darent qui corpora fontum
Merſa mari, & meritam placarent mortibus umbram;
Oſſaque fatali tellus Minyæa ſepulchro
Nunc habet, annoſæ conſpectu inventa volucris.
Nec quæ magnanimum nodoſæ robore clavæ
In-

Inſtruit Alciden, nullum nomenque decuſque
Conciliat ſterili Piſandria Muſa Camiro.
Nec qui biſſenos iterum memorare labores
Audet, & a primo vatum figmenta priorum
Uſque chao repetit, non ſaltem laudibus æquet
Aſcræum, Clariumque ſenes, neque Chalcis alumnum
Euphoriona tacet, vario qui perſonat ore
Mopſopiam, neque Tyrtæi Lacedæmona cantu
Victricem ſe ferre pudet, licet impare greſſu
Tenderet: adde novis mutantem corpora formis
Parthenium, pictique notantem lumina mundi
(Namque hoc præcipue ſe carmine jactat) Aratum,
Cui cor ab intonſi fax ore accenſa Philini
Urebat miſerum, quem terra Ciliſſa recepit,
Et portentoſo celebrem dedit eſſe ſepulchro.
Nec te quem Colophon tulerit Nicandre, tacebo
Pæoniis celebrem ſtudiis, qui nigra venena
Prodis, & emiſſas ſerpentum fauce ſalivas;
Tum medicam ſubjungis opem, prædicere finem
Morborum, & tacitas gnarus deprendere cauſſas:
Atque idem pia rura ſonas, dulciſſima miſcens
Auſtero figmenta operi: ſed luſtra ferarum
Scrutatur, captat volucres, prolemque natantum,
Mox dat habere Pio gratiſſimus Antonino
Oppianus, docti prædives honore laboris.
Pingit & exiguis totum Dionyſius orbem
Terrarum in tabulis: ſed non & prœlia Bacchi
Nonnus in exigua potuit contexere tela.
Battiades Hecalen ſonat, & Marathonia geſta
Celſior aſſueto, cauſſaſque ætate latentes
Prodit, & undeno molles pede cantat amores:
Et nunc ingratum tenebroſus devovet Ibin:
Nunc Superos celebrat, nunc triſtibus ardet jambis,
Nunc humili premitur ſocco, nunc ille cothurno
Altiar aſſurgit, centumque poëmata pangens
Diſſipat in varios Heliconia flumina rivos.
Sed Tiberim dominum rerum, mundique potentem
Ambigitur, riguine tener Sulmonis alumnus

Nobilitet magis, an verò tibi Roma pudori
Sit potius, Getica ſic ſemiſepultus arena,
Proh dolor, exul, inops, nimium quia forſan amico
Lumine Cæſareæ ſpectaverit ora puellæ.
Ille novas primo facies transformat ab ævo:
Ille Cupidineas verſu canit impare flammas:
Involuitque novum dubiis ambagibus Ibin:
Vel dat amatricum dictatas ore tabellas:
Vel miſer exilium cycneo gutture deflet:
Temporaque & cauſſas Romani digerit anni,
Vel memorat piſces, & adhuc ignara Latinis
Nomina, vel cœlo labentia computat aſtra,
Et replet aſtrictas diverſo epigrammate chartas:
Conſutum quoque Syrma trahit, ſuſpendit & unca
Nare malos (quorum nunc omnia plena) poëtas,
Indulgens tamen uſque ſibi: nam præditus acri
Nimirum ingenio, faciem putat eſſe decoram
Carminis, inſperſus maculet quam denique nævus.
Jam ſenior triplici vates qui corde ſuperbit
Meonides Italis (ni fallunt viſa) ſecundus
Bella horrenda tonat, Romanorumque triumphos,
Inque vicem nexos per carmina digerit annos,
Arte rudis, ſed mente potens, parciſſimus oris,
Pauper opum, fidens animi, morumque probatus,
Contentuſque ſuo, nec bello ignarus, & armis,
Quem Rudiis ortum rigidi quæſtura Catonis
Ad ſeptemgeminas juvenem deduxerat arces.
Mox comes armorum Fulvî, qui ſanguine partas
Scilicet haud dubitat Latiis ſacrare Camœnis
Exuvias, dedit Ætolis hoſtilia campis
Corpora multa neci, longè gratiſſimus idem
Scipio magne tibi, & Calabris vicinus in hortis
Virtute emeritis. cujus gentile ſepulchrum
Mox tenuit, nullo patiens ſua funera fletu
Produci, lætuſque virûm volitare per ora,
Præterea tragico boat ampulloſus hiatu:
Comica laſcivo proſcenia laxat jambo:
Exponit Satyros, Latioque Evhemeron infert.

Et modò reprenſi deflorans carmina Nævi,
Carmina, quæ quondam Fauni, vateſque canebant.
Mox gemet ipſe ſuo natas in littore conchas
Præcultum purgare fimo, & ſibi ferre Maronem.
Sed quamquam inprimis docto Verona Catullo
Gaudet, vulnificos elegis qui miſcet jambos,
Et ſub adoptivum redigit te Clodia nomen:
Parturit & fortem forti quoque carmine Achillem,
Atque urbis proceres multo ſale defricat audax,
Cæſareæque notas, & injurit ſtigmata fronti,
Non nihil Æmilium tamen hæc quoque jactat alumnum,
Texentem tenui Macrum ſubtegmina filo;
Dum volucres numeris, dum gramina pingit & angues;
Nec qui philtra bibit, nimioque inſanus amore
Mox ferro incubuit, ſic mentem amiſerat omnem,
Ut non ſublimi caneret Lucretius ore
Arcanas mundi cauſſas, elementaque rerum
Doctus, & Arpini tamen exploratus ab ungui.
Scilicet & veteres naturam pandere Graî
Carmine tentarunt celebri, ceu maximus ille,
Ærifonas pedibus qui quondam inductus Amyclas
Inſiluit Siculi rapidum cratera camini:
Et cui de vocum tenebris cognomina flenti
Addita, quoſque alios ſtudio ſapientia dulci
Implicuit cecinitque diu memoranda vetuſtas.
Emicat Heſperio trifidum ceu fulmen ab orbe,
Qui vix puber adhuc, rudibuſque tenerrimus annis
Hæmonios iterat currus, auroque repenſum
Hectora, Tartareaſque domos, dirumque Neronem.
Orpheaque & meritæ peragit præconia Pollæ.
Laſcivitque jocis, ac torrens voce ſoluta
Dulichias æquare nives, & fulmina tendit,
Quanta Pericleo lepor intorquebat ab ore:
Mox tonat ardenti Pharſalica prœlia cantu,
Ægyptique nefas, primo vix flore genarum
Conſpicuus, torvo quem protinus ore ſecundum
Reſpexit, captæ vix auſus fidere palmæ
Vergilius, ſed iniqua bonis Rhamnuſia tantis,

Heu decus hoc orbi invidit, ne vindice ſerro
Aſſereret miſeras inceſto a principe terras.
Tu felix tamen, o juvenis (nam conſcia pœnam
Corda levant) felix inquam, licet ille cruentum
Rugiat, & truncas deſiccet ſanguine venas,
Fronte minax, diræque inſtinctus verbere matris.
Macte animo, non te o vates Parnaſſide lauru
Nequicquam Deus, & cithara dignatus honora eſt.
Poſt hunc Sidoniæ damnat perjuria gentis
Emeritoſque foro, Muſis tandem adſerit annos
Sillius, Auſonio qui quondam fulgidus oſtro
Expulit horribilem, vitaque aulaque tyrannum.
Ipſe obiit plenuſque ævi, natoque ſuperſtes
Aſpera congenito fixus veſtigia clavo.
An taceam Baſſum gravido tua dona ferentem
Veſpaſiane ſinu? & fantem Sicula arma Severum?
Aut te Sidonias repetentem Pontice Thebas?
Aut Peluſiaci miſſum de plebe Canopi
Pulchra ſuum quem nunc Florentia jactat alumnum,
Gaudentem Stygio dominam junxiſſe marito,
Magnanimique vagos ducis oſtentare labores?
Aut te Niliaca relegentem ſidera cura
Bis vates Manli, & Babylonia ſigna ſequentem?
Quoſque ſibi æquævos puro vocalior ore,
Ne qua laboranti incumbant oblivia famæ,
Naſo refert, queruli tangens confinia Ponti?
Et qui Smyrnæis poterat contendere plectris
Valgius, ut terſi memorat pia muſa Tibulli;
Muſa ſibi primos quæ jure adſciſcat honores
Imparibus numeris, ni blanda Propertius ora
Solvat, & ambiguam faciat certamine palmam.
Plania materiam teneri dat, & Hoſtia cantus
Nomine ſuppoſito, ceu Galli mima Citheris
Perſonam falſæ laſciva Lycoridos adfert
In ſcenam & docto clauſam ſe jactat amanti,
Dum miſer ipſe ſuo fodiat præcordia ferro.
At non exigui tenuis quoque pagina Calvi
Diſſimulat pulchram, ſed acerbo funere raptam
Quin-

Quintiliam, nec Cous ad hæc non ſacra Philetes,
Quamquam eſt æger, adeſt; quamquam veſtigia lento
Fulta gravat plumbo: nec qui ſine amore, jociſque
Jucundum nil eſſe putat: quid ruſtica dicam
Jubila paſtorum ſilvis meditata ſub altis?
Ut patrias Moſchus non inficietur avenas:
Externaſque Bion, ut opaca Tityron umbra
Provocet Auſonio Calphurni fiſtula cantu?
Aërios procul in tractus, & nubila ſupra
Pindarus it Dircæus olor, cui nectare blandæ
Os tenerum libaſtis apes, dum feſſa levaret
Membra quiete puer mollem ſpirantia ſomnum.
Sed Tanagræa ſuo mox jure poëtria riſit,
Irrita qui toto ſereret figmenta caniſtro.
Tum certare auſo palmam intercepit opimam
Æoliis prælata modis, atque illice forma.
Ille Agathoclea ſubniſus voce coronas
Dixit Olympiacas, & qua victoribus Iſthmos
Fronde comam, Delphique tegant, Nemeæaque teſqua,
Lunigeram mentita feram: tum numina Divum
Virtuteſque, viroſque undanti pectore torrens
Provexit, ſparſitque pios ad funera queſtus.
Frugibus hunc, libiſque virum Cyrrhæus ab ara
Phœbus, & accubitu menſæ dignatus honoro eſt:
Panaque paſtores ſolis videre ſub antris
Pindarico tacitas mulcentem carmine ſilvas;
Inde ſenem pueri gremio cervice repoſta
Infuſum, & dulci laxantem corda ſopore,
Protinus ad manes, & odoro germine pictum
Elyſium tacita rapuit Proſerpina dextra.
Quin etiam hoſtiles longo poſt tempore flammæ,
Quæ ſeptemgeminas populabant undique Thebas,
Expavere domum tanti tamen urere vatis,
Et ſua poſteritas medios quoque tuta per enſes
Senſit inexhauſta cinerem juveneſcere fama.
Non ego te longo præſignis Anacreon ævo
Tranſierim bicolore caput redimite racemo:
Cui citharæ cordi, cui nigri pocula Bacchi.

Semper, & ancipiti ſtimulans Amathuſia cura.
Nam modo Threicii crinem miraris ephebi,
Nunc Samium celebras (jubet Adraſtea) Bathyllum.
Nunc teneram Eurypylen, tenerumq; Megiſthea laudas,
Tandem acino paſſæ cadis interceptus ab uvæ.
Ipſe Lyci nigros oculos, nigrumque capillum,
Quamque vides digito nativam inoleſcere gemmam,
Exactoſque canis, pugnax Alcæe, tyrannos,
Æolium docto pertentans barbiton auro,
Arma ſed Actææ tua fles ſoſpenſa Minervæ.
Suſtinet heroi valida teſtudine pondus
Carminis, & damnans Helenen, laudanſque viciſſim
Amittit, recipitque oculos tuus Imera civis
Steſichorus, quem trux Phalaris veneratus & hoſtem eſt.
Cujus & in labris ſedit puerilibus olim
Daulias, & veſtrum Muſæ cantavit alumnum.
Sed vocat ad lacrimas Cei pia Nænia vatis,
Unum Mnemoſyne quondam. præque omnibus unum
Quem coluit, ſævæ quem ſubtraxere ruinæ
Ledæi juvenes, vacuam cui triſtis ad arcam
Gratia flet laniata comas, nudata lacertos:
Quique ſui vindex fuit & poſt fata ſepulchri.
Ipſi etiam patria preſſi brevitate Lacones
Adſcitum largo tamen ore Alcmana recenſent:
Quem tulit auriferos oſtentans Lydia fontes:
Nunc gemit heu tineis artus, & tabe pereſum.
At te cui numeros dictat Dea Suada canoros
Ibyce, quique marem tantum meditaris amorem,
Nec Superi, nec avis pygmæa reliquit inultum;
Et nunc Rheginis tua ſedibus oſſa quieſcunt.
Nec vulgare canit dulcis ab Julide Siren
Bacchylides: ſed enim lyricis jam nona poëtis
Æolis accedit Sappho, quæ flumina propter
Pierias legit ungue roſas, unde implicet audax
Serta Cupido ſibi, niveam quæ pectine blando
Cyrenen, Megaramque ſimul, cumq; Atthide pulchram
Cantat Anactorien, & crinigeram Teleſippen.
Et te conſpicuum recidivo flore juventæ

Mira-

Miratur revocatque Phaon, ſeu munera vectæ
Puppe tua Veneris, ſeu ſic facit herba potentem:
Sed tandem Ambracias temeraria ſaltat in undas.
Quæ toties Gorgo, toties inceſſerat atrox
Famoſam Andromeden, patriaque libidine turpem.
Non illi Praxilla ſuos, prædoctaque Noſſis
Contulerint, Myrtiſque modos; non dulcis Agacle,
Non Anyte, non quæ verſus Erinna trecentos
Caſtalio ceu melle rigat; non candida Myro,
Nec Teleſilla ferox: non quæ canit ægida ſævæ
Pallados effuſum crinem vittata Corinna.
Illam etiam decimo cunctæ accepere ſedili
Pierides ſertumque novem de floribus auro
Contextum nitidis lætæ impoſuere capillis.
Hinc Venuſina favos dulci jucunda ſuſurro
Carpſit apis, ſed acu ferit irritata cruento.
Hæc eadem rigidis Auruncæ in vepribus errans,
Quas Perſi manus, & bilem ſuccenſus Aquinas
Mox legere ſibi: neque enim his metuendus jambo
Certet Echidnæo, licet acrem effuſus in iram
Ore Lycambiadas rabioſo occiderit ambos
Archilochus, medio licet illum in Marte peremptum
Vindicet, & nigro ſit Pythia dura Calondæ.
Nec ferus Hipponax, atro qui felle cruentus
Bupalon & ſtratum morſu laniavit Athenin.
Nec Batius, ſpiniſque Bibaculus aſper acutis.
Multi Bacche tuo proculcavere cothurno
Fortunas regum ambiguas, & ſceptra tyrannis
Extorſere feris, totumque tremore, metuque
Horribiles, totum luctu opplevere theatrum.
Pluraque Palladiæ quondam impendiſtis Athenæ,
Dum ſcena Oedipoden, pavidumque agitatis Oreſten,
Atreaque, & medica percuſſum Telephon haſta,
Oenidæque facem, furiiſque Alcmæona pulſum,
Quoſque alios olidum cantor produxit ob hircum,
Quam, cum barbarico Marathonia ſanguine tellus
Incaluit, multoque obſtructæ funere Xerxen
Thermopylæ tarda refugum videre carina,

Auctorem perhibent Theſpin, quem juſta Solonis
Cura cothurnatis juſſit deſcendere plauſtris.
Tres porrò inſignem ſibi defendere coronam,
Æſchylus aëriæ caſu teſtudinis ictus,
Quemque ſenem meritæ rapuerunt gaudia palmæ,
Quemque tegit rabidis lacerum pia Pella moloſſis.
Invaſere locum Pleias ſeptena ſecundum.
Quippe alios, quos nec centum ſit dicere linguis,
Fortunæ nunc quemque ſuæ famæque relinquam;
Ni Latium Varius tamen objectare Thyeſten
Ambiat, atque ſuum jactet mihi Corduba vatem,
Cujus ad Herculeum tremefacta orcheſtra furorem eſt.
Ecce & grandiloquo ſemet quoque ſuggerit ore
Accius, & magna conturbat voce canentem
Pacuvius, nitidumque oſtentat Muſa ſecundum.
Adde & mordaci quatientes pulpita riſu
Eupolin, in medium quem mendax fabula pontum
Cliniadæ manibus puppi deturbat ab alta.
Quique leves nebulas Actææ effuderat urbi
Salſus Ariſtophanes, compotoremque Cratinum.
Adde novos etiam ſoccos, exemplaque morum,
Et variæ ſpecimen vitæ: jam grata Menandro
Poſteritas, ipſoque volente Philemone palmam
Reſtituit; longe ſequitur quem plurima turba
Haud noſtro referenda ſono; ſed pagina docti
Reddit Athenæi tamen, inſinuatque futuris.
Claudicat hic Latium, vixque ipſam attingimus umbrã
Cecropiæ laudis, gravitas Romana repugnat
Scilicet; & quamvis veterum ſit multus in ore
Cæcilius. quamvis jucundi ſcripta Terenti
Scipio diſſimulet, quamvis Plautina Camœnis
Lingua opicis placeat; ſcenam tamen ipſa ſuorum
Æneadum fugit alma Venus, tantumque togatis
Interdum Afrani grato ſe indulget honore.
Hos tamen atque alios Volcatius ordine ſiſtit
Sedigitus. mimos ſed enim ſcripſere protervos,
Implicituſque Sophron, riſuque Philiſtio tandem
Perditus, hinc Laberi laſcivia, multaque Publi

Cla-

Claruit Auſonio ſententia dicta theatro.
Pars quoque Sotadicos ceu proſtituere cinædos;
Pars tenues ſparſere ſales epigrammate multo.
Sed Latio celebres, quem miſit Iberia Marcum,
Romuleumque ſuis exornans faſcibus annum
Auſonius: mitto Hortenſi, doctique Catonis,
Qui ſolus legit quondam, fecitque poëtas.
Mitto & Cornifici luſus, Ticidæque Perillam,
Et Cinnam obſcurum, teque ore protervior Anſer;
Pammetron hic cecinit; Sillos dedit ille licentes.
Ille Menippeæ joca miſcellanea peræ
Inſerſit: Satyros alius nudavit agreſtes;
Et patuere novæ per mille poëmata curæ.
Quas ego, ſi Pyliæ duplicentur tempora vitæ
Jam mihi, ſi cunctas noſtra in præcordia voces
Fama ferat, rigidoque ſonent hæc pectora ferro,
Non amplecti auſim numero, non ore profari
Evaleam tantæve ſitum indagare ſenectæ.
Nec tamen Aligerum fraudarim hoc munere Dantem
Per Stygá, per ſtellas, mediique per ardua montis
Pulchra Beatricis ſub virginis ora volantem.
Quique Cupidineum repetit Petrarcha triumphum;
Et qui bis quinis centum argumenta diebus
Pingit & obſcuri qui ſemina monſtrat amoris:
Unde tibi immenſæ veniunt præconia laudis
Ingeniis, opibuſque potens Florentia mater.
Tu verò æternam per avi veſtigia Coſmi,
Perque patris (quis enim pietate inſignior illo?)
Ad famam eluctans, cujus ſecurus ad umbram
Fulmina bellorum ridens procul aſpicit Arnus,
Mæoniæ caput, ô Laurens, quem plena ſenatu
Curia, quemque gravi populus ſtupet ore loquentem,
Si fas eſt, tua nunc humili patere otia cantu,
Seceſſuſque ſacros avidas me ferre ſub auras.
Namque importunas mulcentem pectine curas
Umbroſæ recolo te quondam vallis in antrum
Monticolam traxiſſe Deam, vidi ipſe corollas
Nexantem, numeroſque tuos prona aure bibentem:
Vide-

Viderunt ſocii pariter, ſeu grata Dianæ
Nympha fuit, quamquam nullæ ſonuere pharetræ:
Seu ſoror Aonidum, & noſtræ tunc hoſpita ſylvæ.
Illa tibi, lauruque tuâ, ſemperque recenti
Flore comam cingens, pulchrum inſpiravit amorem,
Mox & Apollineis audentem opponere nervis
Pana leves calamos nemoris ſub rupe Pheræi,
Carmine dum celebras, eadem tibi virgo vocanti
Aſtitit, & ſanctos necopina afflavit honores.
Ergo & nocticanum per te Galatea Corinthum
Jam non dura videt: nam quis flagrantia neſcit
Vota, Cupidineoque ardentes igne querelas?
Seu tibi Phœbeis audax concurrere flammis
Claro ſtella die, ſeu lutea flore ſequaci
Infelix Clytie, ſeu mentem ſemper oberrans
Forma ſubit dominæ, ſeu pulchræ gaudia mortis,
Atque pium tacto jurantem pectore amorem,
Atque oculos canis, atque manus, niveiſque capillos
Infuſos humeris, & verba, & lene ſonantis
Murmur aquæ, violæque comas, blandumque ſoporem,
Lætaque quam dulcis ſuſpiria fundat amaror.
Quantum addat formæ pietas, quàm ſæpe decenter
Palleat, utque tuum foveat cor pectore Nymphe.
Non vacat argutoſque ſales, Satyraque Bibaces
Deſcriptos memorare ſenes; non carmina feſtis
Excipienda choris, querulaſve animantia chordas.
Idem etiam tacitæ referens paſtoria vitæ
Otia, & urbanos thyrſo extimulante labores,
Mox fugis in cœlum, non ceu per lubrica niſus,
Extremamque boni gaudes contingere metam.
Quodque alii ſtudiumque vocant, durumque laborem,
Hic tibi ludus erit: feſſus civilibus actis,
Huc is emeritas acuens ad carmina vires.
Felix ingenio, felix cui pectore tantas
Inſtaurare vices, cui fas tam magna capaci
Alternare animo, & varias ita nectere curas.
Quod ni blanda meum lactant præſagia ſenſum,
Ni pietas, ni longus amor, ni vana magiſtros

Au-

Aura ſuo nimios jubet indulgere favores
Quemque operi, ni me tacita experientia fallit,
Ibit in exemplum natus, mea maxima cura,
Ibit in acta patris, ſeſe tanta indole dignum
Præſtabit: luſtris nondum tribus ecce peractis
Jam tamen in Latium Grajæ monimenta ſenectæ
Evocat, & dulci detornat carmina plectro,
Meque per Aoniæ ſequitur compendia ſilvæ,
Ereptans avide montem, jamque inſtat anhelo.
It jam pene prior: ſic, o ſic pergat, & ipſum
Me ſuperet majore gradu, longeque relinquat
Protinus, & dulci potius plaudatur alumno,
Biſque mei victore illo celebrentur honores.

RUSTICUS.

In poëtæ Heſiodi, Vergiliique Georgicon enarratione pronunciata.

Ruris opes ſaturi, gravoque agitanda colono
Munera, & omniferæ ſacrum telluris honorem
Ludere ſeptena geſtit mea fiſtula canna,
Fiſtula Mantoæ quam nuper margine ripæ
Ipſe renidenti dum dat mihi Tityrus ore,
Hac puer Aſcræum repete, inquit, arundine carmen.
Pan ades, & curvi mecum ſub fornice ſaxi
Verſibus indulge, medio cum Phœbus in axe eſt,
Dum gemit erepta viduatus compare turtur,
Dum ſua torquati recinunt dictata palumbes.
Hic reſonat blando tibi pinus amata ſuſurro;
Hic vaga coniferis inſibilat aura cupreſſis;
Hic ſcatebris ſalit & bullantibus incita venis
Pura coloratos interſtrepit unda lapillos:
Hic tua vicinis ludit laſciva ſub umbris
Jamdudum noſtri captatrix carminis Echo.
Felix ille animi, Diviſque ſimillimus ipſis,
Quem non mendaci reſplendens gloria fuco
Sollicitat, non faſtoſi mala gaudia luxus:

Sed

Sed tacitos ſinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla ſilentia vitæ,
Urbe procul, voti exiguus, ſortemque benignus
Ipſe ſuam fovet, ac modico contentus acervo,
Non ſpes corde avidas, non curam paſcit inanem,
Securus quo ſceptra cadant, cui dira minentur
Aſtra, & ſanguinei jubar exitiale cometæ.
Non illum fragilis favor, indociliſque potenti
Plebs ſervare fidem, evectum popularibus auris
Caſuro imponit ſolio; nec ducit hiantem
Huc illuc vanos oſtentans purpura faſces.
Non mentem pavet ipſe ſuam, nec conſcius omnes
Exhorret ſtrepitus, nec edaci pectora culpa
Carpitur occulte: non opportunus iniqui
Judicio vulgi, aut celſa conſpectus in arce
Degeneri patet invidiæ: non ipſe viciſſim
Obliquo livore macet, fœtuſque veneno
Æſtuat, atque aliena oculis bona limat acutis.
Rure agit in vacuo, ſpatiiſque indulget aperti
Ætheris, aut operi inſudans, aut ille ſupinos
Evadens curſu in montes: hinc ſcilicet omnes
Gratæ epulæ, nudis Acheloum in pocula palmis
Advocat, excuſſæque cibos dant brachia ſilvæ,
Et feſſa in duro renovantur membra cubili.
Major quippe venit comitata labore voluptas,
Nec ſatias dominam, aut faſtidia lenta ſequuntur.
Ergo neque imbrifero pallens Autumnus hiatu,
Nec malus hunc afflat rabioſo Sirius aſtro,
Sævave Riphææ labefactant frigora brumæ.
Quippe hiemem excipere, & ventos, cœlique ruinam
Suetum, atque octipedem nec opaco vertice cancrum,
Et Jove ſub gelido nocturnos carpere ſomnos,
Et pede concretas nudo calcare pruinas,
Et perferre ſitim, & jejunia ſolvere glande,
Et laſſare feras curſu, & ſuperare natatu
Torrentem, & volucri foſſam tranſmittere ſaltu,
Et quercum annoſam ferro obturbare bipenni.
Tum prædam extorquere lupo, faſcique maligno
Su-

Subjeciſſe humeros, & iniqui pondera raſtri
Prædurâ tractare manu, & domitore lacerto
Sub juga cornigeri colla obluctantia tauri
Ducere, & iratis concurrere comminus urſis.
Hinc agilis ſubit ora vigor, robuſtaque magno
Pectore vis habitat, forteſque animoſa tuentur
Membra tori, & crudo tendunt ſe robore nervi:
Hinc facies procera, hinc fronti Martius horror.
Quòd ſi bella vocent, quis ad aſpera promptior arma?
Aut quis equum ſternacem arctis fregiſſe lupatis
Acrior? aut fortem mucrone haurire cruorem?
Aut torquere ſudem? aut nervo exturbare ſagittam?
Aut præpilatis aciem perrumpere contis?
Quis certet duro agricolæ? ſeu ducere vallum,
Seu ſit opus celſo præcingier aggere caſtra,
Seu fronte adversâ tormentum figere ahenum,
Quod tonitru horrifico magnas ſternentia turres
Ardua fulmineo jaculetur ſaxa rotatu:
Seu vigil inſomnem peragat cuſtodia noctem;
Seu tacitum rapiatur iter, ſeu parcere parto
Conveniat, ſi fors lentâ obſidione premantur.
Scilicet his Babylon dextris, Nabathæaque regna
Creverunt: hic Mopſopio delectus ab arvo
Miles. Achæmenium Marathonis in æquore Perſen
Contudit: his adjuta viris, ſe Romula tellus
Impoſuit mundo, & rerum tractavit habenas.
Nunc agè, quæ ſtudia agricolis induſtria ſolers
Extudit, atque operum quanta experientia, dicam.
Protinus extremo cum jam Boreas autumno
Incubuit terris, primo cum frigore tactæ
Labuntur frondes, maternaque brachia linquunt,
Nec cariem cæſæ formidant robora ſilvæ:
Ecce ſagax tacitam venientis ruſticus anni
Curam corde coquit, qua bubus ab arbore plauſtrum
Dedolet, unde juga & curvum fabricetur aratrum.
Nec mora, quin veteris truncata cacumina fagi,
Chaoniæque cadant quercus, nudataque ramos
Ulmus & audaci laurus ſonet icta ſecuri.

Qua-

Quarum quæque novam, fumo explorata calenti,
Vertitur in faciem, diverſaque munia tractant.
Continuo auditus gryis inter nubila clangor
Agricolam citat, & criſta ſpectabilis alta
Auroram gallus vocat applaudentibus alis.
Excitat ille operum ſocios, ſimul horrida cantus
Terga rudi centone fovet capitique galerum
Induitur, crudusque operit veſtigia pero:
Hinc ſaturos jungens loris ad aratra juvencos
Increpitat ſtimulo, & cantu minuente laborem
Prælongis ferrata terit dentalia ſulcis,
Ac late elicibus collectos exprimit imbres;
Jejunamque fimo tellurem, & rudere paſcit.
Tum plenum farris læva ſervante caniſtrum
Semina diſpenſat parca Cerealia dextra:
Quæ ne jacta avidæ populentur grana volucres,
Et prædam ſublime ferant, it pone minutus
Sarcula parva tenens puer, & frugem obruit arvo.
At cum ſe Eois jam veſpertinus ab undis
Extulit Arcturus, cum verſicoloribus ardet
Terra comis, rutiloſque interuiret herba colores,
Daulias & Getici tandem ſecura mariti
Ales adeſt, plauſuque larem, cantuque ſalutat.
Rurſum invadit opus, ſtivæque innixus, adunco
Pone nigreſcentes proſcindit dente novales:
Quas rapidi ſoles urant, gelidæque pruinæ.
Mox ubi jam ſapiens cœpit frondeſcere morus:
(Ante quidem ſapiens, nunc ambitioſa, nec ullum
Quæ pariat pomum, ſed ſerica penſa miniſtret)
Ille aliam atque aliam culturam dulcis agelli
Pertentans, truncos plantariaque infodit arvo,
Nec pictas lugubre fabas, nec pabula parcit
Vervacto mandare putri; glebaſque bicorni
Perſequitur ferro, & ſecat inſuperabile gramen;
Et montem cædit ſcrobibus, fortique bidente
Terga ſoli frangit; Bacchæaque ſemina rectum
Explicat in quincuncem, & differit ordine longo:
Atque iterum, atque iterum terrâ capita ima frequentat,
Et

Et ramos tondet falce, atque impune fluentem
Compeſcit vitem fingens, & robore fulcit
Deciduam, caræque hærentem in pectore matris
Acclinat ſobolem ſulco, juxtaque propagat:
Aut ipſo durus genitricis ab ubere flentis
Abſciſam rapit atque alio traducit alendam.
Quid dicam? externis cum ſe vernacula ſuccis
Robora nobilitant, peregrinaque ſegmine duri
Accipiunt trunci, aut diſcreto germina libro.
Namque oculis oculos, non blandi tempora veris
Jungere, ſed mediis gaudet fervoribus æſtas,
Æſtas congeſtos Cereris tritura maniplos,
Æſtas abſconſum ſiliqua excuſſura legumen,
Æſtas, qua grandes expectant horrea meſſes,
Dum coacervatas eventilet area fruges.
Tum ſola pulverei pingueſcunt arida campi,
Solvunturque putres glebæ, ac peritura lupini
Germina parturiunt; tum clivo rauca ſonantes
Eliciuntur aquæ, præcepſque recumbit agro fons.
Poſt ubi jam medio veſtigia librat in axe
Enſifer Orion, croceoque inſignis amictu
Adſpicit Arcturum pulſa Pallantias umbra,
Sentibus horrentes aperit jam vinea ſepes.
Aureolamque metit lentis de vitibus uvam
Vinitor, & fœtos rubicundo nectare fructus;
Quos conjunx, quos Virgo comes par vertice matri.
Aut ciſta exportant, aut raſilibus calathiſcis.
Nec ſentitur onus: ſtudio levat ipſa laborem
Sedulitas; quin frugiferos curvantia ramos
Poma ſinu, baccaſque ferunt, ficumque, nucemque.
Nec nihil addit hiems: nigros tum laurea fœtus
Exuitur, tum myrta legunt, glandemque caducam,
Glaucaque Palladiæ diſtringunt brachia ſilvæ.
Nocte autem ad lychnos aut junco texit acuto
Fiſcellam, aut crates virgis, aut vimine qualos
Ruſticus, infinditque faces & robora valli,
Dolia quaſſa novat; ferramentiſque repellit
Scabritiem, tritaque docet ſplendeſcere cote.

Nam

Nam quid delicias memorem? quamque alta labori
Otia ſuccedant? jam primum obſeſſa pruinis
Cum juga floriferi regelaverit aura Favoni,
Suave ſerenato rident vaga ſidera cœlo.
Suave ciet tardos per ſudum Luna juvencos,
Ipſa quoque ætherei melius nitet orbita fratris,
Terque quaterque manu madidantes nectare crines
Exprimit, & glebas fœcundis roribus implet,
Vecta Meduſæo Tithonia præpete conjunx.
Alma novum tellus vultu nitidiſſima germen
Fundit. & omnigenis ornat ſua tempora gemmis.
Idalio pudibunda ſinus roſa ſanguine tingit,
Nigraque non uno viola eſt contenta colore,
Albet enim, rubet, & pallorem ducit amantum.
Ut ſunt orta, cadunt, nive candidiora ligustra.
Nec longum durant calathos imitata parentis
Lilia, ſed longum ſtant purpurei Amaranti.
Hic Salaminiaci ſcribunt ſua nomina flores,
Hic gratum Cereri plenumque ſopore papaver
Oſcitat, hic inhiat ſibimet Narciſſus: at illic
Corycios alit aura crocos notumque theatris
Aëra per tenerum flatu diſpergit odorem.
Nec jam flammeolæ connivent lumina calthæ,
Nec melilotos abeſt: Tyrium ſeges illa ruborem
Induit; hic vivo ceſpes ſe jactat in auro;
Hæ niveos, hæ cyaneos ſuperare lapillos
Contendunt herbæ, vernantque micantia latè
Gramina per tumulos, perque umbriferas convalles,
Perque amnis taciti ripas, atque omnia rident.
Omnia luxuriant, & amica luce coruſcant.
Parturiunt ſtipulæ frugem & genitalibus auris
Pervia, turgeſcunt lactentibus hordea culmis.
Palmes agit rupto lacrimantes cortice gemmas.
Seque rudes primis monſtrant in vitibus uvæ.
Dulce virent teneræ modo nata cacumina ſilvæ,
Succreſcuntque piæ pullorum examina matri.
Ipſa ſibi ignotas miratur adultera frondes
Arbor, & aſcitis nativas inſerit umbras.

Au-

Auricomæ jubare exorto de nubibus adſunt
Horæ, quæ cœli portas atque atria ſervant.
Quas Jove plena Themis, nitido pulcherrima partu
Edidit, Ireneque, Diceque, & mixta parenti
Eunomie, carpuntque recentes pollice fœtus.
Quas inter Stygio remeans Proſerpina regno,
Comptior ad matrem properat: comes alma ſorori
It Venus, & Venerem parvi comitantur Amores,
Floraque laſcivo parat oſcula grata marito.
In mediis, reſoluta comas, nudata papillas
Ludit, & alterno terram pede Gratia pulſat.
Una choros agitat Nais, decurrit Oreas
Monte ſuo: linquunt faciles juga celſa Napææ.
Nec latitat ſub fronde Dryas, non jubila Fauni
Fundere, non junctis Satyri dare ſibila cannis,
Nec querulæ ceſſant tenerum tinnire volucres.
Fluctibus Halcyone, denſa philomela ſub umbra,
Canus olor ripis, tecto vaga plorat hirundo.
Lene ſuſurrat apis, plenoque ſaporibus alveo
Candida multiforæ ſolidat fundamina ceræ:
Colludunt per prata greges, atque omne beato
Flagrat amore nemus: juvenem laſciva maritum
Fert equa, fert tergo ſalientem bucula taurum,
Setigeræque ſubant matres; decertat amator
Fronte aries; avidos olidum pecus accipit hircos.
Spectant innixi baculis, gaudentque magiſtri.
Inde ubi prægnantes partu Lucina recenti
Solvit, ut exæquet numero fœtura parentes,
Ipſe rudem nec adhuc veſtigia certa prementem,
Fert ſubolem gremio, ſed ovem, gracilemve capellam
Enixas humero ſubit, atque in ſtramine molli
Componit ſenſim paſtor, ſtabuloque recondit.
Mox ut convaluere; rubos hæc rupibus altis;
Illa recens campo gramen decerpit aprico,
Aut dulces gelido delibant amne liquores,
Ut ſua concluſis ne deſint pocula natis,
Utque fluat plenis dives mulſura papillis,
Subrumi expectant hœdique, agnique petulci;

Cornigeraſque vocant tremulo clamore parentes,
Bruta gregem plenum denſis alit uberibus ſus
Exporrecta ſolo, & grunnitu allectat amico
Fellantes, turpique luto ſe immunda volutat:
Radices eadem calloſo avidiſſima roſtro
Eruit & bulbum, aut madida ſe pulte ſaginat.
Flet vitulum mœſta abſentem mugitibus altis
Mater & immenſam raucis miſeranda querelis
Silvam implet; boat omne nemus, valleſque, lacuſque.
Illa nigros late lucos, ſaltuſque peragrat
Crebra gemens, crebra ad montem, ſtabulumq; reviſit
Tabeſcens deſiderio, non ulla dolorem
Pabula, nec ſalicum frondes, nec gramina rore
Sparſa levant, non quæ viridi vaga flumina ripa
Perſpicuam tenui deducunt murmure lympham.
Prata tener perſultat equus, libatque volucri
Æquora ſumma fuga, aut alti ſubit aſpera montis
In juga, ſaxoſumque amnem pede plaudit inermi;
Cui pulchro micat acre caput, luduntque decoræ
Fronte comæ, vibrant aures, atque orbe nigranti
Prægrandes extant oculi; tum ſpiritus amplis
Naribus it fervens, ſtat cervix ardua, qualem
Præfert Marmaricis metuenda leonibus ales.
Ales, quæ vigili lucem vocat ore morantem.
Creſcunt ſpiſſa toris, lateque animoſa pateſcunt (eſt:
Pectora, conſurguntque humeri, & jam ſeſſile tergum
Spinaque depreſſos gemino ſubit ordine lumbos.
Et caſtigatum cohibent craſſa ilia ventrem,
Fundunt ſe lætæ clunes, ſubcriſpaque denſis
Cauda riget ſetis, & luxuriantia crebræ
Velant colla jubæ, ac dextra cervice vagantur.
Tum tereti ſubſtricta genu, molliſſima flectit
Crura ferox, celſum ingrediens, fremituque ſuperbit
Grande ſonat tornata cavo brevis ungula cornu,
Ingenti referens Corybantia cymbala pulſu.
O dulces paſtoris opes, o quanta beatum
Quàm tenet hunc tranquilla quies? ut pectore toto
Lætitiam, totaque fovet bona gaudia mente?

Nem-

Nempe odii, fraudumque expers, exemptus inani
Ambitione, vacanſque metu, ſpe liber, & inſons,
Nativo cultu, & gaza prædives agreſti,
Ipſe ſibi vivit nullo ſub teſte, ſuoque
Pendet ab arbitrio, ſuus ipſe eſt cenſor, & alto
Calcat opes animo, ac regum deridet honores.
Si non Tænareis illi ſtant fulta columnis
Robora, cælatumque altè laquearia ſubter
Ridet ebur, poſtemve ſilex aſaroticus ornat,
Nec Mauruſiacos pulchræ teſtudinis orbes
Delphica ſuſtentat, nec docto trita Myroni
Pocula multiplici florent radiantia gemma,
Aut bis in Herculea Mileſia vellera concha
Verſantur, tenuique ſatur lanugine bombyx
Luteolos follis, pretioſaque fila relinquit,
Textile nec tenero ſubtegmine fulgurat aurum,
Spirantes referens vultus, quæ Pergamos olim
Artifici deſcripſit acu, quæ ſtamina Memphis,
Quæ Tyros, & Babylon radio pinxere ſonanti,
At jacet in molli projectus ceſpite membra,
Quà cavus exeſum pumex teſtudinat antrum;
Quave ſuſurranti crinem dat aquatica vento
Arbor, & aut calamos, aut fixa haſtilia jungit
Cortice, ſtatque levi caſa frondea nixa tigillo,
Quam metuant intrare pavor, curæque ſequaces,
Sub qua jucundos tranquillo pectore ſenſus
Nutrit inabruptoque fovet ſua corpora ſomne,
Silvarum, & pecoris dominus, ſtant ſedula circùm
Turba canes, audaxque Lacon, acerque Moloſſus,
Dant ignem extritum ſilices, dant flumina nectar
Hauſta manu, dat ager Cererem: nam caſeus, aut lac,
Lucorumve dapes abſunt, ſtat rupibus ilex
Mella ferens trunco, plenoque cacumine glandem.
Illi ſunt animo rupes, frondoſaque teſqua
Et ſpecus, & gelidi fontes, & roſida Tempe,
Valleſque, Zephyrique, & carmina denſa volucrum,
Et Nymphæ, & Fauni, & capripedes Satyriſci,
Panque rubens, & fronte cupreſſifera Sylvanus,

Silenique ſenes, ſubdivaleſque Ithyphalli,
Et montana Pales, & quo paſtore Pheræi
Gaudebant campi, & crinem reſoluta Mimallo.
Et qui cornigera bicolores fronte corymbos,
Pampineamque manu tenera quatit Evius haſtam.
Semper amor, ſemper cantus & fiſtula cordi eſt,
Semper odorati, Veneriſque ſtipendia flores,
Vitarumque altrix urbi malè nota voluptas.
Talibus in ſtudiis paſtor molle exigit ævum.
Poſt ubi raucisonæ pinna vibrante cicadæ
Increpuere, ardenſque metentibus ingruit æſtus,
Pauliſper tum ceſſat opus, ſaxique ſub umbra
Proſtrati indulgent genio: non mollia pleno
Deſunt vina cado, non lacti mixta polenta,
Aut pinguis tergum vitulæ, placiduſque ſonoræ
Lapſus aquæ, crinemque auræ, frontemque laceſſunt.
Inde opus integrant, donec ſub nocte coruſcent
Flammigero parvæ ſtellantes clune volucres.
Ecce autem dulces labris puer ingerit uvas
Autumnus, crebræque eliſus verbere plantæ,
It per prœla latex, puer que examine denſo
Exultant laſciva cohors, circumque, ſupraque.
Ille manu panda pronus bibit, alter ab ipſo
Sugit muſta lacu crepitantibus hauſta labellis.
Hic ſua ſuſpenſum reſupinus in ora racemum
Exprimit, hic ſocii patulos irrorat hiatus,
Irriguumque mero ſordet mentumque, ſinuſque:
Ebriaque incertis titubant veſtigia plantis.
Poſtquam acris ſucceſſit hyems, & pendula tectis
Diriguit glacies, larga ſtrue tollitur alte,
Colluceтque focus: coëunt vicinia ſimplex
Una omnes, juveneſque probi, materque ſevera
Conjuge cum duro, & pueris, & Virgine grandi,
Convigilantque hilares, & primæ tempora noctis
Decerpunt, molli curas abigente Lyæo.
Mutuaque inter ſe ludunt: tum tibia folle
Laſcivum ſonat inflato, tum carmina cantant,
Carmina certatim cantant: tum tenta recuſſo
Tym-

Tympana ſupplendunt baculo, & cava cymbala pulſant,
Et læti ſaltant; & tundunt æribus æra,
Et grave conſpirat cornu tuba flexilis unco,
Conclamantque altum unanimes, tolluntque cachinnos.
Porro autem, quanta eſt differtæ copia villæ,
Quamque penu dives! neque enim vel frugibus hornis
Horrea ſufficiunt, vel odoro dolia muſto;
Teſtaque Palladiis jam non vacat ulla trapetis.
Terga ſuis pendent fumoſo ſordida tigno,
Pertica penſilibus oneratur longa racemis,
Non uvæ arentes, non pruna, & carica deſunt.
Sorbaque cum ceraſis, duroque putamine clauſa
Perſica nux, regumque altas imitata coronas
Meſpila, cumque pyris miſerorum munus amantum
Jam laxum in rugas malum, decoctaque ahenis
Defruta & omphacinus liquor, & lacrimoſa ſinapis,
Et meditata novos Sicyonia bacca ſapores.
Tum ſapa, melque recens, edulcatique lupini,
Et prunæ increpitans balanus, contextaque cannis
Fiſcina lacte madens, & durari ſale fungi.
Annonam facilem vicinus ſuggerit hortus,
Murmur apricantes nivea dant turre columbi,
Expandunt alas, & amicam blanda rogantes
Oſcula, circumeunt inſertantque oribus ora:
Jam vicibus nido incubitant genitrixque, paterque,
Jamque ova excludunt, natiſque implumibus eſcam
Commanſam alternant, roſtellaque hiantia complent.
Adde gregem cortis, criſtatarumque volucrum
Induperatores, laterum qui ſidera pulſu
Explaudunt vigilique citant Titana canore:
Et regnum ſibi Marte parant: quippe obvia roſtris
Roſtra ferunt, crebriſque acuunt aſſultibus iras,
Igneſcunt animis, & calcem calce repulſant
Infeſto, adverſumque affligunt pectore pectus.
Victor ovans cantu palmam teſtatur, & hoſti
Inſultans victo, pavidum pede calcat iniquo.
Ille ſilet, latebraſque petit dominumque ſuperbum
Ferre gemit: comes it merito plebs cetera regi;

Formoſo regi, cui vertice purpurat alto
Faſtigatus apex, dulcique errore coruſcæ
Splendeſcunt cervice jubæ, perque aurea colla,
Perque humeros it pulcher honos, palea ampla decenter
Albicat ex rutilo, atque toroſa in pectora pendet
Barbaricum in morem: ſtat adunca cuſpide roſtrum,
Exiguum ſpatii roſtrum, flagrantque tremendum
Ravi oculi, niveaſque caput late explicat aures.
Crura pilis hirſuta rigent, juncturaque nodo
Vix diſtante ſedet; durus veſtigia mucro
Armat: in immenſum pinnæque hirtique lacerti
Protenti excurrunt, duplicique horrentia vallo
Falcatæ ad cœlum tolluntur acumina caudæ.
Ipſe ſalax totam fœcundo ſemine gentem
Implet, & oblongo nunc terram ſcalpturit ungui,
Rimaturque cibos; nunc edita nubila viſu
Explorat cauto: non illum ſquamea tuto
Aggreditur ſerpens, non raptor ab æthere milvus.
Vocibus interea crebrum ſingultat acutis
Parturiens conjunx; quæ ſcilicet ova ſubinde
Tollit anus, ſignatque dies, vigilemque lucernam
Conſulit, & Lunæ creſcentis tempora ſervans,
Ut primum gallina glocit, numero impare ſubdit:
Verſatiſque diu, ſolers auſcultat an intus
Pipiat involucer pullus, tenerumque putamen
Pertuderit molli roſtro, atque erumpere tentet.
Parte alia bifero plumoſam corpore meſſem
Nutrit, & in craſſa ſatur urinare lacuna
Anſer avet, ſtagnumque ſuper pede remigat udo
Depictæ cervicis anas, prolemque natatum
Invitans, nunc extat aquis, nunc mergitur alte.
Erigit explicitæ gemmata volumina caudæ
Ambitioſus amans: at ficu & polline gliſcit
Pellaci cantu deceptus ab aucupe turdus.
Inſidit mutulo turtur, ſeſeque ſaginans
Rauca gemit, dulceſque miſer ſuſpirat amores,
Flet viduus perdix, queritur peregrina coturnix,
Incluſi caveis: hic cæca cuniculus antra

Excavat, hic ſepto prægnans lepus errat in amplo,
Capreolique hinulique, & aduncis dentibus apri.
Hic ſtertunt glires, hic femina fœtat echinus.
Dædala ſomniferos peragunt examina bombos,
Plenaque captivos ſervant vivaria piſces.
Scilicet his opibus placide ſua corpora curant,
Dulciaque inter ſe læti tellure magiſtra
Officia exercent: ut quæ neque ferre recuſet
Imperium, neque non grandi mercede rependat,
Si qua laborifero debentur farra colono.
Ille autem & volucri petit ardua ſidera mente,
Scrutaturque ſagax, quæ ſit ſententia Divum:
Quid quæque emergens, latitanſve, orienſve, cadenſve
Stella paret, quid quadruplici celer afferat annus
Cardine, quæ ſulcis, quæ ſint ſtata tempora meſſi:
Quidque pecus vehat Olenium, qua grandine collis
Trux nepa dilapidet, quo turbine ſurgat Orion,
Quos glomerent imbres, aut preſſus Arione delphin,
Pleias &, Arcturuſque ſenex, Hyadeſque puellæ:
Unde bibant herbæ divini pocula lactis;
Cur rubigo ſatis, vredoque vitibus obſit:
Quid nebulas abigat, tempeſtateſque repellat.
Quod vento ingenium, quæ nubes cauſſa ſerenet:
Quidque ſilens moneat, quidque intermenſtrua Phœbe,
Vel cum plena meat, vel cum decreſcere rurſum
Incipit: ille etiam numeros, legeſque dierum
Providus obſervat: ſcit enim quid ſeptima portet,
In qua naſcentem excepit bona Delia fratrem.
Scit quoque poſt decimam quid prima, quid altera luces
Injungant operum; quocirca aut vellera lanæ
Demetit, aut gravido maturas mergite ariſtas;
Aut telam locat uxoris; nam pendula in ortu
Poſteriore ſuos etiam net aranea caſſes.
Quæ ſequitur bona virgultis, inimica ſerendis
Frugibus: ergo cavet, quod obeſt, quodque expedit urget:
Novit enim quota connubiis, quota partubus obſtet,
Aſpiretve dies, quota pinguem emaſculet hædum,
Septaque circundet pecori, quota jungat amantes

Et clandeſtinos jubeat miſcere ſuſurros:
Qua ponat canis hirritum, maleſuadaque pectus
Cura nimis laceret, qua triſtis oberret Erinnys
Nocte magis, ſecat ille ſuo ſibi tempore lignum,
Dolia deguſtat; ſubigit juga ferre juvencum.
De flabris quoque, de pluviâ dulcique ſereno,
Aut Lunæ occaſus, aut idem conſulit ortus.
Tractat opus, ſi pura micet; ſin atra recedat,
Aut quinto directa die, aut medio orbe retuſa,
Nec gracili cornu, aut triplici ſit culta coronâ;
Tecta ſubit metuens hiemes: ſi rubra coruſcet,
Tum verò exſpectat ventos, nec fallit eundem
Quo Boream cornu, quo Cynthia provocet Auſtrum,
Conſulit & Phœbi flammas an grandinis augur
Palleat, an radiis monſtret diſcordibus imbrem.
An præ ſe exoriens nubes agat, an niger orbem
Circulus extremum claudens, quà rumpitur, acres
Carceris Æolii moneat conſurgere flatus.
Adnotat & cœli faciem; num ſtella reno
Æthere lapſa cadat, rapidi prænuntia Cauri,
Conſcia num ſubitâ ſemet caligine obumbrent
Aſtra, trahantque hiemem: gemino Thau antias arcu
Quid ferat, aut curto cùm vix ſecat aëra gyro,
Et pænè unicolor taurinâ fronte minatur.
Nunc præſepe oculis, nunc Bacchi ſpectat aſellos,
Quique Noton cernit, quique eſt obverſus ad Arcton,
Fulgores, tonitrus, inſperſaque vellera cœlo,
Brumalemque diem, & totum ſemel adſpicit annum.
Necnon & nautis ruiturum in carbaſa nimbum
Augurat, undiſonum ſi fors mare ſurrigit Ægon,
Canaque conſpergit ſale ſaxa & littora frangit.
Tunc & triſtifico reboant montana fragore,
Et repetunt ſiccum mergi, atque ex æquore clamant.
Ipſa volans ſublimè auras, æthramque laceſſit
Ardea, colludunt fulicæ, plauduntque gregatæ.
At laſciva lacus alis perſtringit hirundo,
Et ſummas prope radit aquas, ranæque coaxant.
Fuſca gradu cornix lento metitur harenas,

Aut fluvium capite, & madida cervice receptat,
Crocituque gravi pluviam increpat uſque morantem.
Clangunt Naupliadæ volucres & pervia pinnis
Nubila conſcribunt; incertus in æquore delphin
Difflat aquas; latrant corvi, vocemque reſorbent.
Progerit ova cavis patiens formica laborum.
Blanda canis terram pedibus ſcabit: ore lapillos
Tardigradus prendit cancer, ſeſeque ſaburrat,
Atque hæret ripæ: denſum occinit improbulus mus,
Straminaque exculcat: quin centipedes ſcolopendræ
Parietibus reptant, aures pigra motat aſella.
Dependet bullæ lychno, ſitienſque cruoris
Muſca redit, ſummoſque proboſcide mordicat artus.
Nec longe a tectis apis ingenioſa recedit.
Prunaque concretuſque ima cinis hæret in olla:
Carboque pellucet: neque non prænuntiat Euros
Pluma natans, foliumve errans, pappique volantes:
Flammaque cum flectit, cum ſeſe elidit, & ipſis
Vix ſedet in ſtupis, ſcintillamque excutit udam.
Vos quoque paſtores ventos horretis, & imbres,
Cum temere excurſans pecus ampla in paſcua fertur,
Cumque alacres ludunt agni, calceſque protervos
Subſultim incutiunt inter ſe, & cornibus hærent;
Aut cum ſe e paſtu vi vix, ægreque revellunt;
Cumque boves liquidi ſuſpectant lumina Cœli,
Olfactantque auras, & ſuccos naribus udos
Crebra trahunt, dextrumque latus conſternere gaudent,
Aut lingunt adverſa pilos, aut veſpere ſero
Mugitu ingenti redeunt, caulaſque fatigant.
Cum ſibi non factos ſus diſſipat ore maniplos,
Cumque antro lupus exululat, cumque improbus idem
Nec metuens hominum propius conſiſtit, & offert
Se mendicanti ſimilem, ac loca culta pererrat.
Ergo in conſilium maria advocat, æthera, terras,
Naturamque omnem; vivitque auctoribus aſtris
Cura Deum agricola atque animo præſcita recenſet,
Et rerum eventus ſenſu præſagit acuto.
Hanc o cœlicolæ magni concedite vitam.

Sic

Sic mihi delicias, ſic blandimenta laborum,
Sic faciles date ſemper opes; hac improba ſunto
Vota tenus, numquam certe, numquam illa precabor,
Splendeat ut rutilo frons invidioſa galero,
Tergeminaque gravis ſurgat mihi mitra corona.
Talia Feſuleo lentus meditabar in antro,
Rure ſuburbano Medicum, qua mons ſacer urbem
Mæoniam longique volumina deſpicit Arni:
Qua bonus hoſpitium felix, placidamque quietem
Indulget Laurens, Laurens haud ultima Phœbi
Gloria, jactatis Laurens fida anchora Muſis:
Qui ſi certa magis permiſerit otia nobis,
Afflabor majore Deo, nec jam ardua tantum
Silva meas voces, montanaque ſaxa loquentur,
Sed tu (ſi qua fides) tu noſtrum forſitan olim
O mea blanda altrix non aſpernabere carmen,
Quamvis magnorum genitrix Florentia vatum,
Doctaque me triplici recinet facundia lingua.

Præfatio in ſequentem Sylvam.

Stabat adhuc rudibus Pagaſæo in littore remis
  Quæ ratis undoſum prima cucurrit iter:
Dum tamen extremis hærent ſuccincta ceruchis
  Lintea, dum nautas flamina nulla vocant,
Conveniunt Minyæ gemini Chironis ad antrum,
  Qua fugit obliquo garrula lympha pede;
Quaque ingens platanus genialibus excubat umbris:
  Explicat hic faciles ruſtica menſa dapes;
Creſcit fronde thorus, vernant in flore capilli,
  Sed viret Herculeis populus alba comis.
Dat puer Æacides nivea carcheſia dextra;
  Sed ſuus Alcidæ pocula miſcet Hylas.
Finis erat dapibus, citharam pius excitat Orpheus.
  Et movet ad doctas verba canora manus.
Conticuere viri, tenuere ſilentia venti,
  Voſque retro curſum mox tenuiſtis aquæ.

Jam

Jam volucres feſſis pendere ſub æthera pinnis,
  Jamque truces videas ora tenere feras.
Decurrunt ſcopulis auritæ ad carmina quercus,
  Nudaque Peliacus culmina motat apex,
Et jam materno permulſerat omnia cantu,
  Cum tacuit, querulam depoſuitque fidem.
Occupat hanc audax, digitoſque affringit Achilles,
  Indoctumque rudi perſonat ore puer.
Materiam quæris? laudabat carmina blandi
  Hoſpitis, & tantæ murmura magna lyræ.
Riſerunt Minyæ; ſed enim tibi dicitur Orpheu,
  Nec pueri pietas grata fuiſſe nimis.
Me quoque nunc magni nomen celebrare Maronis
  [Si qua fides vero eſt] gaudet & ipſe Maro.

MANTO.

In Bucolicon Vergilii enarratione pronuntiata.

Eſt Dea quæ vacuo ſublimis in aëre pendens
It nimbo ſuccincta latus, ſed candida palmam,
Sed radiata comam, ac ſtridentibus inſonat alis.
Hæc ſpes immodicas premit, hæc infeſta ſuperbis
Imminet, huic celſas hominum contundere mentes,
Succeſſuſque datum, & nimios turbare paratus:
Quam veteres Nemeſin, genitam de nocte ſilenti
Oceano dixere patri: ſtant ſidera fronti,
Frena manu pateramque gerit, ſemperque verendum
Ridet, & inſanis obſtat contraria cœptis;
Improba vota domans, ac ſummis ima revolvens
Miſcet, & alterna noſtros vice temperat actus,
Atque huc atque illuc ventorum turbine fertur.
Viderat hæc domitis tumidam te, Græcia, Perſis
Signa quoque Eoum victricia ferre ſub orbem;
Viderat & cantu Aonio, eloquiiſque ſuperbam
Ire altum, magnumque loqui, cœloque ſupinum
Inſertare caput, nec Dîs te ferre minorem.
Mox faſtus exoſa graves, cervice coëgit

Ferre jugum, & Latiis ſuperatam ſubdidit armis;
Nec fandi permanſit honos: tu namque potenti
Protinus ore tonans, ardentis fulmine linguæ
Cuncta quatis Cicero: Pyliæ non mella ſenectæ,
Nec jam Dulichias audet conferre procellas;
Sponte tibi virides tranſcribens Græcia palmas.
Se tamen Aoniæ ſolatur fronde coronæ.
Deerat adhuc Latio vatum decus, horrida quamquam
Bella, tubaſque rudi cantaverat Ennius arte.
Editus ecce Maro, quo non felicior alter,
Seu ſilvas, ſeu rura canit, ſive arma, virumque.
Namque Syracoſiis cum vix aſſurgat avenis,
Heſiodum premit, & magno contendit Homero.
Ergo age quis centum mihi nunc in carmina linguas,
Immenſumque loqui, vocemque effundere ahenam,
Quis mihi det Siculas Latio clangore ſorores
Poſt Geticam ſuperare chelyn? dum te optime vatum
Imbellis pietas audaci promere cantu
Audet, Atlanteaſque humeris fulcire columnas.
Unde ego tantarum repetam primordia laudum?
Aut qua fine ſequar? facit ingens copia rerum
Incertum: ſic frondifera lignator in Ida
Stat dubius, vaſtæ quæ primum robora ſilvæ
Vulneret; hic patulam procero ſtipite fagum,
Hic videt annoſam ſua pandere brachia quercum;
Illic ſuccinctas caput exertare cupreſſos,
Metiturque oculis Phrygiæ nemora alta parentis.
Te naſcente, Maro, Parnaſſi e culmine ſummo
Affuit Aonias inter feſtina ſorores
Calliope, blandiſque exceptum ſuſtulit ulnis,
Permulſitque manu quatiens, terque oſcula junxit.
Omina ter cecinit; ter lauro tempora cinxit.
Mox aliæ dant quæque tuis munuſcula cunis:
Certatim dant plectra, lyram, pellemque pedumque
Dant & multiforam modulanda ad carmina loton,
Et decreſcenti compactas ordine avenas.
Dant Pandionias volucres: ter murmure placant
Liventes oculos, ter frontem baccare tangunt.

Ve-

Venit & Elyſio venturi præſcia Manto,
Manto quæ juvenem fluvio conceperat Ocnum;
Ocnum, qui matris dederat tibi Mantua nomen:
Venit & horrentes quatiens vittamque comaſque,
Sanguineamque rotans aciem, ſic ora reſolvit
Plena Deo, & veras excuſſit pectore voces:
Dicebam memini, memini, tibi Mantua quondam,
Surge bonis avibus fundata, & fulmine lævo:
Surge, paremque aſtris contende educere molem,
Pyramidum ſupra ſumptus: proh quanta manet te
Gloria, quam longum ſenibus celebrabere ſæclis?
Naſcetur, video, ſupera tibi miſſus ab arce
Sidereus vates, alti cui numinis hauſtum
Mens cœlo cognata ferat, quem grande ſonantem
Ne Linus Inachides tantum, atque Oeagrius Orpheus,
Aut ſua qui Tyrio conſtruxit mœnia plectro;
Sed vos o Muſæ, ſed tu mireris Apollo.
Et nunc ecce puer tranquillæ ad lumina lucis
Ille diu promiſſus adeſt, vitamque ſalutans
Has teneris jam nunc mulcet vagitibus auras.
Euge beate puer, ſanguis meus, horreat ortus
Græcia tota tuos, laurumque habitura ſecundam,
Aſcra, Arethuſa, ſuis metuant, & Smyrna coronis.
Incipe adhuc gracili connectere carmina filo.
Incipe magne puer, nec vota intexere Diris
Impia, nec Culici gemitum præſtare merenti,
Nec te Lampſacium pudeat luſiſſe Ithyphallum,
Blandaque laſcivis epigrammata pingere chartis;
Acmonidas refer, & Bronten, Volcaniaque antra,
Ignivomoſque apices montis, raucoque trementem
Murmure Trinacriam, quoties per nubila flammas
Eructat, tentatque latus verſate Typhoëus.
Dic Scyllam ſubitis miſeram, quæ ſe induit alis,
Scyllam quæ nimio flagrans Minois amore;
Ah potuit rigido genitorem invadere ferro
Crudelis: potuit cano ſpoliare capillo
Crudelis: ſed quis duro contendat amori?
Crudelis, ſed culpa tua eſt, tua culpa Cupido.

At-

Atque hæc prima novi fuerint elementa poëtæ.
Hæc fuerint timidæ præludia prima juventæ.
Jam vatem, jam Roma vocas, jam ſæva receſſit
Paupertas, præſtatque piis grata otia Muſis
Tuſcus eques: noſco hunc, atavis qui regibus ortus;
Diſcinctum juvenem cerno, & te, maxime princeps,
Purpureos inter proceres, ſanctumque Senatum,
Pendentem ſtare ad numeros atque ora tenentem.
Tu tamen o miſeræ nimium vicina Cremonæ,
Quid fles amiſſum, quid fles mea Mantua campum,
Paſcentem niveos herboſo flumine cycnos?
Nonne vides, ingrata, tuis quæ præmia damnis
Accumulent Superi, & ſolatia quanta rependant?
Ipſa en Roma tuo ſeſe quoque jactat alumno:
Jamque Phalanthei reſonant pineta Galeſi
Tityre te vacuo meditantem murmur in antro.
Jamque tuam dociles recinunt Amaryllida ſilvæ.
Nigraque dum raucum tremulis evibrat ab alis
Carmen & epoto canit ebria rore cicada,
Montibus ah ſolis formoſum jactat Alexin
Vocalis Corydon, & Alexin reddit imago.
Ecce autem imparibus dum ſibila flectit avenis
Impubis paſtor; faciles dum ludit amores,
Aureolo petit hunc malo, laſcivaque currit
Ad ſalices Nymphe furtivo prodita riſu.
Sed majora vocant; nunc, o nunc omnis abeſto
Impius, & caſti linguiſque animiſque favento.
Stelligero Deus ille, Deus ſe fundit ab axe
Æterni mens certa patris, quique omnia nutu
Torquet, Idumææ ſe virginis inſerit alvo
Aurea ſparſurus redivivo ſæcula mundo.
Tu tamen ante alios felix mea vera propago,
Cui licitum in ſilvis, inter coryleta jacenti
Rimari quid fata parent, quid pulchra minentur
Sidera, quique mihi divini pectoris heres,
Enthea Cumæis incingas tempora vittis.
Verum age jam gelidoſque tegant umbracula fontes,
Et foliis cumuletur humus, denſique maniplis
Inſpi-

Inſpirent flores, vacuoque inciſa ſepulchro
Candida formoſum teſtetur littera Daphnin,
Daphnin ad aſtra vocet tenero cava fiſtula cantu.
Ebrius interea noſtri nutritor Jacchi
Silenus molli dormit reſupinus in antro,
Ebrius & nimio venas tumefactus alumno.
Securum pueri audaces, atque improba Nais
Invadunt furtim, deque ipſis vincla coronis,
Quæ ſenis e mutilo modo vertice defluxerunt,
Iniiciunt alacres, promiſſaque carmina poſcunt:
Carmina cum ſilvis totos mulcentia montes.
Jamque tuis Minci glauca ſub arundine ripis
Vincitur alterno Corydonis carmine Thyrſis.
Jam repetit querulam Damonis tibia Muſam:
Damonis Muſam ſcopuli, pinuſque loquuntur.
Sed quid jo tam dulce tibi eſt Galatea ſub undis,
Quam formoſa vocet nequicquam ad littora Cyclops?
Infelix Cyclops, ſed enim infelicior illo
Gallus, amat, queriturque ſuam procul eſſe Lycorin;
Gallus quem rigidæ flevere in montibus orni,
Cujus amorem omnes nequeunt mutare labores;
Gallus quem fruſtra verbis ſolatus Apollo eſt.
Hæc ſat erit ſimas inter ceciniſſe capellas
Paſtorem, tu victricem fer Mantua palmam,
Ecce lacertoſi quærunt nova turba coloni
Quo ſegetes veniant campo, quo ſidere tellus
Vertatur, quod ſit falcis, quod tempus aratri.
Egredere o ſilvis juvenis, curruque levatus
Triptolemi Latios fœcunda meſſibus agros.
Nec cœlebs jam palmes agat, ſed reptet ad ulmum
Ebrius, at dulci rubeat nova nupta marito,
Et pater autumnus medio conſurgat ab auro
Pomiferum viridi caput alte umbratus amictu,
Atque Acheloë tuum teneat grave dextera cornu,
Stetque catenatas ſuadens nudare palæſtras.
Palladis ampla arbos bicoloribus horrida baccis,
Frondibus & verſis longum diſcriminet annum,
Jam lætos inter ſaltus, frondoſaque teſqua.

Hinc

Hinc vitulus primo cui frons protuberet ævo,
Mugitu tenero matrem vocet, inde per herbas
Candida laſcivo diſcurrat bucula ſaltu.
At quibus aſſurgunt pleno jam cornua gyro,
Inter ſe adverſo decertent pectore amantes,
Dum rudis exultim florentis in æquore campi
Ludit equus, volucreſque fuga prævertere ventos,
Aut tranare amnes, aut curſu evincere montem
Geſtit, Olympiacæ rapturus dona coronæ:
Lanigerumque pecus primo propellat Eoo
De ſtabulis paſtor, dum pratis roſida lucent
Gramina, dum teretes per flexa cacumina guttæ
Colludunt: ipſæ hærentes vix rupibus altis
Aſpera Cinyphiæ carpant dumeta capellæ.
Tum glomerata cavo fundant ſe examina ſaxo,
Halantemque roſam, & tenerorum germina florum
Taurigenæ populentur apes, plenoque recurrant
Poplite: jam lentum teneat fundamina gluten.
Jam portas, arcemque & propugnacula condant,
Ceraque nectareas ducat ſexangula cellas:
Aut natos, aut mella legant, fucoſque repellant
Turpe pecus, jamque accinctæ civilibus armis
Expediantque manus roſtris, & ſpicula vibrent,
Nocturnoque ſonent muſſantia caſtra ſuſurro.
At tu quæ tellus, æſtuque geluque laboras,
Cui ſacer hybernos Helicon intercipit ortus,
Ne ceſſa acceptam noſtræ ſubmittere laurum,
Nec jam ſupremi certent de ſanguine vatis
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ.
Quippe Bianoream manet hæc victoria gentem,
Namque meus timido qui rura, & paſcua verſu
Hactenus excoluit, ſtimulis tandem acribus actus,
Dediſcetque metum, validaſque in pectora vires
Contrahet, attonitoque canet fera pectine bella.
Qualis adhuc brevibus quæ vix bene fidere pinnis
Cœpit avis, matrem primò, nidoſque loquaces
Circumit, & crebrum patula ſuper arbore ſidit:
Col-

Colligit inde animos ſenſim, & vicina volatu
Stagna legit, terraſque capit, captaſque relinquit,
Laſcivitque fuga: tandem & ſublimia tranans
Nubila, & iratis audens ſe credere ventis,
In ſpacia excurrit juſtiſque eremigrat alis,
Ac primùm Siculis magnum producet ab oris
Laomedontiaden, undiſque & turbine ſævo
Auferet in Libyen, quem Dido ignara futuri
(Sic placitum ſuperis) animoque domoque receptet.
Reginæque hoſpes diri commenta Sinonis,
Mendaces Grajos, vanæ perjuria gentis,
Et populata malis Neptunia Pergama flammis,
Se quoque jactatum referet terraque marique.
Illa avidis bibet ignem oculis, noctemque, diemque
Nutriet infelix veſanum pectore amorem,
Venatu tandem in medio Saturnia nimbum
Pronuba diffundet, ſoloque Hymenæus in antro
Affuerit, nullaſque faces mœſtum afferet omen.
Fulgoreſque dabit nymphis ululantibus æther.
Ipſe Jovis monitu Æneas rurſum ire per undas
Cogetur vento, rurſum Itala quærere regna,
Surgentem Auſoniæ ſolio impoſiturus Julum.
At Phœniſſa rogum ſævo furiata dolore
Incendet moritura, truceſque in vota vocabit
Eumenidas, mox & Phrygium, proh triſtia dona,
Ah niveum per pectus aget miſerabilis enſem.
Diſcolor interea taurino combibet ore
Iris aquas, iterumque antris effundet apertis
Hippotades hyemem, & rapidis ruet æquora ventis,
Zanclæas iterum feſſi ejicientur ad oras
Troës, & hoſpitio fidi accipientur Aceſtæ.
Hic patris ad tumulum ſolennes ordine pompas
Dux feret, ac meritos celebrabit littore ludos.
Tum pelagus relegens amiſſo præſide puppis
Vix tandem Euboica lacrimans potietur arena.
Atque ubi fata Deûm vivacis ab ore Sibyllæ
Hauſerit, infernas etiam deſcendet ad umbras,
(O pietas) maneſque petet per Averna paternos,

Romanoſque ſuos Lethæi ad fluminis undam
Conferet, & magnos gaudens cognoſcet Julos,
Paciferumque ducem, fulvo cui pulchra metallo
Sæcla fluent, cui preſſa gravi pede bella jacebunt.
His lætus porta ad ſocios evadet eburna
Dux Anchiſiades, Tuſcumque enabit ad amnem.
Necdum parta quies, reſtant bella aſpera, reſtant,
Et craſſus multo ſtagnabit funere Tybris.
At tibi Caſtaliis renoventur pectora lymphis
Care nepos, nunc nunc ingenti eſt ore ſonandum
Grande opus a tergo, quis enim alto evincere cantu,
Clamoreſque virûm, atque hinnitus ſperet equorum?
Tu tamen evinces, licitum tibi maxime vatum
Arma, acies, furias, Martem ipſum æquare canendo.
Jamque volans ſuperas Alecto impunè per auras
Tartareum canit, & reſides ſtridentibns hydris
Inſtimulat, dux ipſa manú Saturnia ſæva
Clauſtra quatit belli, poſteſque irata refringit.
Jam Latiæ coïere manus, domat aſpera duris
Ora lupis ſonipes, facileſque in pulvere gyros
Flectit eques, ipſæ alpino de vertice ſilvæ
Præcipitant, avidæ Phrygios haurire cruores.
Jam raſtri pondus rigidum diffingit in enſem
Cædis amor, verſique abeunt in pila ligones,
Attrituſque cava mutatur caſſide vomis.
Jamque aurem horriſono rumpunt fera claſſica bombo,
Armorumque minax perſtringit lumina fulgor.
Dumque alacres ſecum in Martem Cytherejus heros
Arcadas, & miſſum auſpicio Pallanta ſiniſtro
Audacem puerum, melioraque fata ſequutos
Tyrrhenos rapit & tantis accingitur auſis;
Ecce furens Rutulus, ſævoque inſtinctus amore
Nequicquam in Phrygiam jaculatus lampada claſſem
Miratur ſubitas pelago conſurgere Nymphas.
Nec minus irrumpit caſtris, altamque cruentus
Dat ſtragem, fluvioque evadit lætus amico.
Ultor adeſt, ſocioſque exponens littore tuto,
Auſpicium belli, maternis fulgurat armis

Dar-

Dardanides, totaſque in pugnam exſuſcitat iras.
O qui ſudor equis, qui ſe alto in pulvere reges
Turpabunt, quanto exurget rubra ſanguine tellus!
Nec tuus haſta Deus, nec te tua dextera forti
Mezenti leto eripiet, viſque effera mentis;
Sed conſors nato accedes tumulique, neciſque.
At tu quo nimio ſpoliorum & laudis amore
Inconſulta ruis? quin ſævas bellica Virgo
Inſidias prius, & venientem reſpicis haſtam?
Tuque miſer pone o rapti mala gaudia balthei,
Et cæſi exuvias pueri, invidiamque Deorum
Turne cave: dabis heu penas, dabis improbe, & iſtam
Evandro debes animam, atque ultricibus umbris
Sic tandem Iliacas properans penſare ruinas
Ad Teucros feſſis revolat Victoria pinnis.
Grande tamen vobis lethi ſolamen honeſti,
Magnanimi heroës nati felicibus aſtris,
Afferet Aonius juvenis, cui dia canenti
Facta virûm totis pariter præconia linguis
Solvet fama loquax, cui dulci ſemper ab ore
Roſcida mella fluent, cujuſque Acheloja Siren
Geſtiet innocuo divina poëmata cantu
Flectere, cui blandis inſidet Suada labellis,
Cui decus omne ſitum cedet ſtupefacta vetuſtas,
Ipſa illi, quem vix ducibus largiris, honorem
Sponte feres, totoque aſſurges Roma theatro.
Hæc ubi veridico fudit de pectore Manto,
Compoſuit vultum, teneroque arriſit alumno,
Oſculaque ore legens ſacrum inſpiravit amorem,
Afflavitque animam, tenueſque receſſit in auras.
Plauſerunt hilares ad tanta oracula Muſæ.
Plauſerunt Nymphæ, quique alto e vertice montis
Affuerat, capripes concuſſit cornua Faunus.
Et triplices carmen ſcripſere adamante ſorores.
Vos age nunc alacres certatim Etruſca juventus,
Aoniis operata ſacris accurrite mecum,
Dædala perpetui viſum monumenta poëtæ;
Qualia nec caſtæ peplis intexta Minervæ

Solenni veteres luſtro explicuiſtis Athenæ;
Picta rubro quoties animantur prœlia cocco.
Nec vetus immenſum fuerint quæ ſparſa per orbem
Gloria ſeptenâ celebrat ſpectacula famâ.
Nam neque belligeris Babylon pulſata quadrigis
Mœnia, nec liquido pomaria pendula cœlo
Conferat, aut dextris conſtructa altaria Delos
Cornibus, aut vaſti molem Rhodos aurea Phœbi.
Non Cares, Mauſole, tui cælamina buſti,
Phidiacum non Elis ebur, non ipſa ſuperbas
Pyramidas jactet laſcivi lingua Canobi.
Namque hæc aut valido Neptuni quaſſa tridenti:
Aut telo Summane tuo traxere ruinam:
Aut trucibus nimbis, aut iræ obnoxia Cauri;
Aut tacitis lenti periere dentibus ævi:
At manet æternum, & feros excurrit in annos
Vatis opus, dumque in tacito vaga ſidera mundo
Fulgebunt, dum Sol nigris orietur ab Indis,
Prævia luciferis aderit dum curribus Eos,
Dum ver triſtis hyems, Autumnum proferet æſtas,
Dumque fluet ſpirans, refluetque reciproca Tethys,
Dum mixta alternas capient elementa figuras,
Semper erit magni decus immortale Maronis,
Semper inexhauſtis ibunt hæc flumina venis,
Semper ab his docti ducentur fontibus hauſtus,
Semper odoratos fundent hæc gramina flores;
Unde piæ libetis apes, unde inclita nectat
Serta comis triplici juvenalis Gratia dextra.
Et quis jo juvenes tanti miracula luſtrans
Eloquii, non ſe immenſos terræque mariſque
Proſpectare putet tractus? hic ubere largo
Luxuriant ſegetes: hic mollia gramina tondet
Armentum, hic lentis amicitur vitibus ulmus;
Illinc muſcoſo tollunt ſe robora trunco:
Hinc maria ampla patent, bibulis hoc ſquallet harenis
Littus: ab his gelidi decurrunt montibus amnes,
Huc vaſtæ incumbunt rupes, hinc ſcrupea pandunt
Antra ſinus, illinc valles cubuere reductæ.

Et

Et diſcors pulchrum facies ut temperat orbem,
Sic varios ſeſe in vultus facundia dives
Induit, & vaſto nunc torrens impete fertur
Fluminis in morem; ſicco nunc aret in alveo,
Nunc ſeſe laxat, nunc expatiata coërcet,
Nunc inculta decet, nunc blandis plena renidet
Floribus, interdum pulchre ſimul omnia miſcet.
O vatum pretioſa quies, o gaudia ſolis
Nota piis, dulcis furor, incorrupta voluptas,
Ambroſiæque Deum menſæ! quis talia cernens
Regibus invideat? mollem ſibi prorſus habeto
Veſtem, aurum, gemmas, tantum hinc procul eſto mali-
Vulgus, ad hæc nulli perrumpant ſacra profani. (gnum

AMBRA.

In poëta Homeri enarratione pronuntiata.

Spicea ſi Cereris templo ſuſpenſa corona
Donum erat agricolæ quondam; ſi vinitor uvam
Sepoſuit Bromio, quoties prædivite cornu
Copia ſe fudit, placidam ſi lacte recenti
Paſtores ſparſere Palem, ſpumantia poſtquam
Complerant olidam ſupra caput ubera mulctram;
Primitias & quiſque ſui fert muneris auctor:
Cur ego non vocem hanc, aut ſi quid ſpiritus olim
Concipit egregium, ſi quid mens ardua conſcit
Rarum, inſigne, ſibi, ſi quo ſe murmure jactat
Lingua potens, cur non totum in præconia ſolvam
Mæonidæ magni, cujus de gurgite vivo
Combibit arcanos vatum omnis turba furores?
Utque laboriferi ferrum lapis Herculis alte
Erigit, & longos chalybum procul implicat orbes,
Vimque ſuam adſpirat cunctis; ita prorſus ab uno
Impetus ille ſacer vatum dependet Homero.
Ille Jovis menſæ accumbens, dat pocula nobis
Iliaca porrecta manu, quæ triſte repellant
Annorum ſenium, vitamque in ſæcla propagent.

Ille Deûm vultus, ille ardua ſemina laudum
Oſtentat populis, ac mentis præpete niſu
Pervolitat chaos immenſum, cœlum, æquora, terras,
Vimque omnem exſinuat rerum, voceſque refundit,
Quas fera, quas volucris, quas venti atque ætheris ignes,
Quas maria, atq; amnes, quas Diiq; homineſq; loquãtur.
Quin nudam virtutem ipſam complexus honores
Faſtidit vanos, & ineptæ præmia famæ
Deſpicit exemptus vulgo; ac jam monte potitus,
Ridet anhelantem dura ad faſtigia turbam.
Vos age nunc tanti precor incunabula vatis
Divinoſque ortus, Clio, dictate canenti.
Muneris hoc veſtri, longis ſiquidem obſita ſæclis
Fama tacet, centumque Deæ premit ora vetuſtas.
Iverat Æthiopum ſolitas inviſere menſas
Oceanumque ſenem, & fœcundæ Tethyos antra
Juppiter, Ætnæoque manum exarmaverat igni,
Contentus ſceptris: frontem tranquilla ſerenat
Majeſtas, ſanctoque nitet pax aurea vultu;
Nimbi, hyemes, tonitruſq; procul: regẽ omne Deorum
Concilium facie, cultuque inſigne ſequuntur.
Biſtoniis Mars inſtat equis; tu jungis olores
Phœbe Therapnæos; Getica Mars fulgurat haſta:
Contendis tu Phœbe fides, arcuſque retendis;
Lyncas agit Bromius; pavos Saturnia pictos,
Tardos Luna boves; annoſas Delia cervas;
Gryphas Hyperboreos Nemeſis; Cytherea columbas;
Fert pedibus pinnas puer Arcas, crine galerum,
Et chelyn incurvam, atque incurvam ſuſtinet harpen,
Paciferaque duos virga diſcriminat angues:
Coryton puer Idalius calamoſque facemque;
Alcides clavam, & Nemeæi vellera monſtri;
Tartaream Pallas galeam, & Phorcynida geſtat.
Concordes gemino radiantur Caſtores aſtro:
Claviger in ſemet redeuntem computat annum
Jam dextra Deus, at Saturnum lanea compes
Mulcibero jubet ire parem; nec dextra, Prometheu,
Non tua Caucaſeæ meminit ferrata catenæ.

Ar-

Arma Deos ſua quemque decent; nec ſegnius alti
Numina conveniunt pelagi: rex ipſe biformes
Arduus urget equos, ſævoque tridente minatur
Euroque, Boreæque; & vultu temperat Auſtros.
Solus equo Zephyrus tremulis perſultat in undis.
Ipſe ſinu facilem molli fovet Amphitriten.
Ludunt Nereidum ſimplex chorus: illa ſororem
Provocat, & blando certat ſuperare natatu:
Hæc junctum Delphina regit; premit illa leonem;
Trux vehit hanc aries; olido ſedet illa juvenco;
Inſultant aliæ monſtris, quæ plurima vaſtus
Subluit Oceanus, ſcopulis horrentia Cete
Balænam, Piſtrimque, & Phyſetera marinos
(Si qua fides vero eſt) efflantem ad ſidera fluctus,
Quasdam & ſemiferi dorſo Tritones amico
Excipiunt, bifidæque ligant curvamine caudæ:
Et nunc tortilibus permulcent æquora conchis;
Dulcia nunc flexis cervicibus oſcula captant.
It Phorcus pater, it Glaucus, longamque per undas
Canitiem trahit, & Nymphis luctantibus inflat.
Inouſque puer, Glauca cum matre, repulſas
Nunc ſubter laſcivit aquas; nunc improbus extat
Pube tenus, conchaſque, & rubra corallia vellit.
Tu quoque non dubio frontem laxare ſeveram
Tandem auſus riſu, Proteu; verum una peremptum
Plorat adhuc natum Thetis, & crudelia Divum
Numina, crudeles Parcas miſeranda laceſſit;
Ac precibus mixtas obliquans ſæva querelas,
Exitiiquæ reum citat, & convicia fundit.
Tum vix paſſa thoro primos accumbere Divûm
Procurrit turbata comas, & pectore nudo,
(Sic dolor ille monet) lævaque amplexa verendi
Genva Jovis, dextraque attentans ſupplice barbam
Talibus affata eſt: o qui ſtellantia nutu
Regna quatis, viden' ut magna de gente Dearum
Sola ego perpetuo (quid enim mea vulnera celem?)
Tabeſcam luctu, veſtraſque infeſta profanem
Has epulas? quodnam ob meritum pater optime? certe

Non ego vincla tibi, ſcis, o, ſcis ipſe parabam
Magne ſator, non Corycio tua tela ſub antro
Servabat Thetis anguipedi jurata Typhœo.
Nec nunc mortales thalamos, humilemque maritum
Conquerimur: fuerint Parcarum vellera juſtis
Invida connubiis, liceat timuiſſe Tonanti:
Quanquam o (ſed taceo) cur autem ſumme Deorum
Cur meus Æacides Latoja tela cruentat
Te minor? anne etiam ſobolem damnavimus ipſæ,
Aut faciem Titani tuam? ſed vertite quæſo,
Me quoque jamdudum in ſilicem, nec marmora ſolum
Triſtibus æternum lacrimis Sipyleja manent.
Hos certe ingrato cineri, mutiſque ſepulchris,
(Quando aliud quid ſit) genitrix perſolvat honores
Si neque perpetuæ ſaltem illum munere laudis
Dignaris pater, & Lethen parva accolet umbra.
Talia verba refert, genibuſque affixa Tonantis
Hæret inexhauſtum lacrimans ſparſiſque capillis,
Jamque Deos omnes dictis, & imagine mœſta
Flexerat: invidiam ſenſit, vultuſque retorſit
Ad Venerem Phœbus: tum Divam pauca moratus
Sublevat omnipotens, verbiſque ita mulcet amicis:
Ne crede æterno inciſas adamante revelli
Poſſe Deum leges; ſtant omne immota per ævum
Quæ triplices nevere colus, nec funera nati
Flet Thetis una ſui: communes deſine caſus
Adnumerare tibi, ac totam hanc circumſpice turbam:
Scilicet invenies conſortes undique luctûs;
Me quoque in his: ſiquidem tranſegit Opuntia cuſpis
Ductorem Lyciæ, & moribundum in pulvere merſit.
Nec tu digna tamen, fateor (ni fata repugnent)
Quæ tam ſæva gemas, quæ mortales Hymenæos
Nerei pertuleris, nec ſolus Apollinis arcus
Pignora Divarum Phrygiis tamen obruit arvis.
Eſt etiam cui Memnoniam Pallantias urnam
Imputet, atque adeo triſtes ut pectore curas
Excutias, animumque leves, reddetur Achilli
Ingens tantorum pretium (mihi crede) laborum:
Nam

Nam neque Cerbereos rictus, nec Erinnyas atris
Anguibus implicitas inamœnaque Tartara paſſus
Elyſium tenet hic magna venerabilis umbra.
Mutatis pulchram auſpiciis ſibi Colchida junget
Solis & Oceani volventi progener ævo.
Utque Rhodos Solem, Venerem Paphos, atque Cythera,
Junonemque Samus, Cereremque Typhojas Ætne,
Me mea Creta colit; ſic nato candida Leuce,
Leuce, quæ Scythicis procul inſula perſonat undis,
Templa tuo ponet: nautis hic ille ſub alto
Fata canet luco venturæ nuntia ſortis.
Adde, quod & pulchro tradetur pulchra marito
Tyndaris Æacidæ ſtellis fulgentibus ardens:
Meque dabit ſocerum: thalamis en ſternuit iſtis
Pulcher Hymen, grataſque vices ſortita Voluptas
Jam nunc dividuos juveni deſpondet amores.
Utque tuos artus nunc dulci Gratia nodo,
Nunc Paphie roſeis nectit Vulcane lacertis:
Sic illum formoſa Helene, formoſa Cytæis
Auferet alternum, & lentus feſta otia ducet.
Famaque (nec dubita) centeno gutture veſtros
Indefeſſa canet cœloque æquabit honores.
Audiet hos & quem torrenti flammeus aſtro
Carcinus æſtiferis late diſpeſcit harenis;
Et quos Herculeæ ſummorunt orbe columnæ,
Atque hominum primi Blemyæ, quoſque altior axis
Cogit Hyperboreos ſubter durare Triones.
Nulla virum gens, nulla dies, nuſquam ulla tacebit
Poſteritas, nulla teget invida nube vetuſtas.
Quippe Deûm ſancta naſcetur origine vates,
Qui lucem æternam factis immanibus addat,
Qui regum fera bella tonet, grandique tremendas
Obruat ore tubas; cujus vocalia Siren
Pectora, & Aonidum miretur prima ſororum.
Ille tuum, Theti, Peliden venientibus annis
Dedet honoratum, ſeriſque nepotibus unum
Theſſalus exemplum virtutis habebitur heros.
Quondam etiam noſtro juvenis de ſanguine cretus
Dux

Dux bello invictus, Gangen domiturus, & Indos,
Atque Semiramias fracturus cuſpide turres,
Felicem tanto præcone vocabit Achillem.
Et dubitabis adhuc obductæ nubila frontis,
Atque importunas Euris mandare querelas?
Quin audes laxare animum, vultuſque priores
Induis, & lætis hilarem te cœtibus infers?
Dixerat: illa oculis jamdudum abſterſerat imbrem
Læta omnem, ætherio grates agit inde Tonanti,
Inſtauratque comas, cultuſque habituſque decoros
Accipit: hic Divam glaucarum tota ſororum
Circumfuſa cohors ſtudio excolit; ipſa ſibi obſtat
Sedulitas: pars multifidi diſcrimine dentis
Cæſariem comit: molli pars colligit auro
Effuſam; pars fingit acu, crinemque lapillis
Spargit Hydaſpeis; hæ baccas auribus addunt,
Reſtituunque ſinus; illa aurea cingula donat;
Donat Erythræis hæc plena monilia conchis.
Lætantur Nereuſque pater, grandævaque Doris.
Continuo redit ille decor, ſuffuſaque pulchris
Fax radiat tranquilla genis: procul exulat omnis
Triſtitia, inſuetam tentant nova gaudia mentem.
Haud aliter verno cum pulſa roſaria nimbo
Frondentis rutilum virgæ ſpoliantur honorem:
Defluit expirans dominæ cruor, ictaque lapſis
Commoritur foliis halantum gratia florum;
Aſt ubi mox clarum jubar aureus exeruit Sol,
Augeſcunt recidiva novis tum germina truncis,
Lætaque nativas oſtentat purpura gemmas.
Jamque implere fidem divini cœperat oris
Æacides thalamo, & templis, & honoribus auctus;
Cum partum ingentem memor extulit Ilithyia.
Hermæo prætenta ſinu fuit inclita quondam
Urbs toti prælata Aſiæ, Bœbejus illam
Conjugis extinctæ monimentum nobile Theſeus
Eſſe dedit Smyrnes, arcemque in monte locavit
Proſpectantem undas ſemel, & ſua tecta tuentem.
Quo flet mœſta ſilex Niobe, Niobesque ſepulchrum:
Hic

Hic placido fluit amne Meles, auditque ſub altis
Ipſe tacens antris meditantes carmina cycnos.
Hæc vatem eximium tellus [ita ſancta vetuſtas
Credidit] hæc illum dias in luminis oras
Prima tulit: pater Aonii Deus incola luci
Ductare aſſuetus thiaſos, ſacriſque ſororum
Reſponſare choris, & par contendere Phœbo,
Furtivo pulchram impleratt Critheida fœtu:
Inde capax nato ingenium, larguſque verendæ
Scilicet hauſtus aquæ primo (ſi credimus) ille
Vagitu horriſoni ſternebat murmura ponti,
Pacabat ventos, mollibat corda ferarum:
Ipſa etiam lacrimas Sipyleja fundere cautes
Deſtitit audito; reptabat maximus infans
Fluminis in ripa; reptantem mollibus ulnis
Nais arenivagum rapiebat ſæpe ſub amnem
Oſtenſura patri, & rurſum exponebat in ulva,
Flore breves cinctum, aut apio rorante, capillos.
Voſque Etheocleæ (ni mendax fama) ſorores
Miſiſtis lectas Horarum a fonte corollas,
Flavaque virgineam puero immulſiſſe papillam
Dicitur Actæo ceu quondam Pallas Erechtheo.
Ipſe ut jam certo veſtigia ponere niſu,
Utque datum varia voces effingere lingua;
Gaudebat calamos Hybleis jungere ceris,
Dilectos Bromio calamos; gaudebat & uncam
Ore inflare pio, ac digitis percurrere loton:
Grande tamen calami reboant, grande unca remugit
Tibia; ſæpe illum vicina Faunus in umbra
Demirans, aures tacitus tendebat acutas,
Et ſubito puerum Satyri cinxere theatro,
Cum Satyriſque feræ; ſed quæ nil triſte minentur;
Cumque feris ſilvæ, ſed quæ alta cacumina motent,
Multifidæque ſacris adnutent legibus auræ.
Ipſi quinetiam riguo Pactolus, & Hermus
Certatim affluxere auro, juſſoſque tacere
Ripa ab utraque ſuos Mæander miſit olores:
Mæander ſibimet refluis ſæpe obvius undis,

Mæan-

Mæander ſub humum pudibundo flumine labens:
Quod puerum ignarus Carpon, dum ludit in unda,
Delicias nati, mox natum merſerat alveo,
Infelix genitor: ſed venti id crimen amantis.
Verum ubi primævæ dubio ſe flore juventæ
Induit, ac plenis adolevit fortior annis,
Carmen amat, carmen (proh maxima numina vatum)
Carmen Apollineo tantum modulabile plectro,
Carmen Caucaſeas ſilices, cautemque Sicanam
Quod trahat, & rigidi leges infringat Averni,
Exarmetque Jovis minitantem fulmine dextram,
Jamque inſana ſacrum vis; inſertuſque medullis
Extimulat vatem Æacides; jam parturit altum
Mens opus, & magnis animoſa accingitur auſis.
Ille tamen quænam ora ſui qui vultus Achilli,
Quive oculi, quantus maternis fulguret armis,
Scire avet, ah nimius voti, violentaque fundens
Murmura, terribilem tumulo ciet improbus umbram.
Continuo Sigæus apex concuſſus in æquor
Procumbit, raucumque gemit Rhœteja contra
Littora, & effuſis tremit ardua fontibus Ide;
Semjuſtumque cavo Xanthus crinem abdidit antro.
Ecce tuens torvum, nec vati impune videndus
Phthius honoratis heros adſtabat in armis:
Qualis Peliaca Teucros obtriverat haſta
Priamiden verſa a Danais dum quæreret ira
Ultor, & heu fluviis miſeros, campiſque fugaret:
Flammeus igneſcit thorax, auroque minatur
Terrifico radiatus apex, in nubila ſurgit
Fraxinus, & longa rurſum Hectora vulnerat umbra:
Ipſe ardens clypeo oſtentat terramque fretumque
Atque indefeſſum Solem, Soliſque ſororem
Jam plenam & tacito volventia ſidera mundo.
Ergo his defixus vates, dum ſingula viſu
Explorat miſer incauto, dum lumina figit,
Lumina nox pepulit, tum vero exterritus hæſit,
Voxque repreſſa metu, & gelidos tremor impulit artus;
At juvenem ſacer Aonium miſeratus Achilles,
Quan-

Quandoquidem, Saturne, tuas inflectere leges,
Haud licitum cuiquam: clypeo excipit, oraque jungens
Inſpuit augurium, baculum dat deinde potentem
Tireſiæ magni, qui quondam Pallada nudam
Vidit, & hoc raptam penſavit munere lucem,
Suetus inoffenſos baculo duce tendere greſſus.
Nec deeſt ipſe ſibi: quin ſacro inſtincta furore
Ora movet, tantique parat ſolatia damni.
Æaciden tamen, Æaciden cœlo æquat, & aſtris;
Æaciden famæ levat arduus alite curru;
Unum Dardanidis, unum componit Achivis
Æaciden; unum ante omnes miratur, amatque;
Ac primum irarum cauſſas trepidique tumultus;
Expedit; utque luem neglecta induxerit ægris
Relligio populis; ut regem irritet amantem
Theſtorides; ut acerba fremens, vix temperet ipſo
Enſe puer Thetidis, vix magni ſanguine Atridæ
Abſtineat, Divæ admonitu; quæ jurgia contra
Dux ferat incenſus dictis; quo vulnera Neſtor
Melle riget, quantum amiſſo dux frendeat alter
Munere: quos nato genitrix exoret honores,
Quid doleat Juno; cœlo quid portet ab alto
Inſidioſa quies; quæ rex obliquet inertis
Tentamenta fugæ; faciat Laërtius heros
Quantum operæpretium, cum dulcibus aſpera miſcet,
Cum vaga clamoſæ reprimit convicia linguæ,
Cum ſuadet durent caſtris, præſagaque monſtrat
Fata Deûm: memorat platanum, infanteſque volucres
Cum matre abſumtas, verſumque in ſaxa draconem:
Quo Pylius fremat ore ſenex, ut pacta fidemque
Deploret, dextraſque datas; ut fulmina narret
Miſſa polo; ac pretium oſtentet victoribus urbem:
Quæ facies Danaum, cum ſeſe in munia Martis
Accingunt; quantum dux ore, & pectore & armis
Emineat: tum Pieridas ſua numina rurſum
Conſulit Hectoreaſque Agamemnoniaſque phalanges
Enumerans ipſos icto mox fœdere amantis
Committit, victumque rapit Phryga nubibus atris,
Vi-

Victorem Atriden nec opino vulnerat arcu.
Tum pugnam inſtaurans toto dat funera campo
Haud dubitans alta Tydiden ſtrage cruentum
Dardanio, Lycioque duci, totidemque repente
Objectare Deis, Glauci poſt munere pulchro
Inſignem auratis oſtentaturus in armis.
Quid nunc Sidonio tentatam Pallada peplo?
Quid memorem lacrimas Thebææ conjugis, & te
Parve puer criſtas, & caſſidis æra timentem?
Teque heros longe gradientem, & torva tuentem,
Quaſſantemque procul metuendam cuſpidis umbram,
Atque auſum corde impavido, ſolum Hectora contra
Stare diu? quid te populorum fata duorum
Lancibus æquantem imparibus, rex magne deorum,
Aut miſeros tonitru Danaos, & lampade ſæva
Terrentem? quid te vallo, caſtriſque minantem
Priamida armipotens? his rurſum adjungitur ardens
Heu precibus nihil, & donis inflexus Achilles,
Exceptuſque Dolon, & ſomno proditus heros
Othryſius, tacitaque averſi nocte jugales,
Qui ſuperent candore nives, qui curſibus æquent
Flamina: mox ipſi ferro, teliſque repulſi
Ductores Danaum, clypeoque interritus Ajax
Tutari ſociam claſſem, Iliacumque paratus
Ductorem, & ferrum, & flammam exceptare, Jovemque
Quem ceſto tamen Idalio, conjunxque ſororque
Implicat & ſomni facies mentita volucrem,
Dum pater æquoreus feſſis adſpirat Achivis.
Nec mora, Peliacis cum longe horrendus in armis
Emicat, & nubem belli defenſat Achivis
Actorides, ac ſanguineo Sarpedona campo
Obruit, heu magni prolem Jovis inde ſecundis
Elatus rerum, Balium, Xanthumque jugales.
Quos Zephyro peperit geminos Harpyia Podarge:
Et te captivo funalem Pedaſe collo
Igneus extimulat, Scææque in limine portæ
Concidit, ah tanti nimium ſecurus amici.
Nam quid Panthoiden fœdantem ſanguine crines
Illos

Illos, proh dolor, argentoque auroque micantes?
Quid primos querar heroum pro corpore functo
Certatim obniſos inter ſe haud cedere certos,
Atque animam exanimum funus ſuper exhalantes?
Ecce ſuum tandem cantor Smyrnæus Achillem
Suſcitat, ardentem clypeo, atque Hyperionis orbem
Orbe laceſſentem pulchro, & cœleſtibus armis,
Ingentique manu Centaurica tela tenentem,
Atque immortales adigentem in prœlia bigas.
Hic vero obverſis Victoria remigat alis,
Dum rapit inferias, dum curribus ille, viriſque
Atque armis, & equis minitantem infeſtior implet
Xanthon, & arſuras anguſtat cædibus undas.
Vix ego nunc ſi mille ſonent mea pectora linguis,
Voxque adamante rigens, atque indefeſſus anhelet
Spiritus infuſum totos Pæana per artus,
Bella Deûm narrem, terram ipſam immane gementem,
Clangentemque polum, Martemque in jugera ſeptem
Porrectum, multoque comas in pulvere merſum,
Ægidaque horrificam, protectamque ægide pectus
Pallada, nil magni metuentem fulmina patris.
Imbellemque Deam Venerem; & te Phœbe tridenti
Summittentem arcus, & te Latonia virgo
Jam pavidam, ac vacua linquentem caſtra pharetra.
Nec ſi Caſtalios ipſis a fontibus amnes
Hauriat os avidum, nec ſi Pirenida lympham,
Pimplæoſque bibat latices, æquare canendo
Hectora ſanguineum violentumque auſit Achillem.
Hectora pro patria clariſque penatibus unum
Stantem animis contra, qualis draco paſtus amaros
Per brumam ſuccos, venientem expectat iniquus
Paſtorem & tumido furiatus felle cruentum
Spectat, hians immane, cavoque advolvitur ingens.
Æaciden autem cædem, & crudele ferentem
Exitium: qualis vaſti canis Orionis
Per noctem exercet radios, ſævumque minatur.
Jamque illum ante oculos, amborum ante ora parentum
Raptatum Hæmonio circum ſua mœnia curru,

Jam

Jam funus Patrocle tuum, Priamumque ſuperbos
Porrectum ante pedes, atque auro ſupplice victum
Dixerat invictum juvenem, lamentaque ſæva
Iliadum, mœſtoſque rogos, cineremque ſepultum:
Cum ſubito in ſomnis Ithaci experientis imago
Viſa viro, ſic ampla humeros, ſic pectora fundens,
Sed lethale gerens vulnus: namque inſcia nati
Dextera quæſitum per cærula vaſta parentem
Protinus æquoreæ viroſo trygonos ictu
Perculerat, ſive ira Deum, ſeu fata jubebant.
Atque ait: o magnæ qui princeps debita laudi
Præmia perſolvis, qui lenta oblivia ſæclis
Excutis, & ſeros famam producis in annos,
Anne tot exhauſtos nobis terraque marique,
Lethæo merſos fluvio patiere labores?
Nec ſua reddetur virtuti gloria merces?
Namque licet virtus ſemet contenta quieſcat,
Sola tamen juſtos virtus adſciſcit honores,
Solaque ſe merito laudum fulgore coronat.
Quinetiam ignaris præferre nepotibus optat
Prima facem, ac monſtrare viam, quæ tendat in altum
Culmen, & e celſo ſcandenti porgere dexaram.
Quem neque poſteritas, neque tangit fama ſuperſtes,
Nempe aliis exempla, ſibi vitam invidet amens.
Ergo ſub Iliacis tractantem prœlia muris
Grajus Achilleis populus donaverit armis:
Tu vero emenſo quæ geſſi plurima ponto,
Quæque tuli, nullo vates dignabere cantu,
Quem ſolum vocat iſte labor, cui pectore pleno
Defluit illa meæ felix opulentia linguæ?
Incipe, namque adero, & præſens tua cœpta juvabo.
Hæc ait, & pariter ſomnuſque Ithacuſque receſſit.
Ille novo rurſus Muſarum percitus œſtro
Concinit abjegnæ Danaos compagibus alvi
Occultos, & equi molem, fraudemque Sinonis,
Indiciique metu præcluſum pollice fauces
Anticlon Ortygiden; populataque Pergama flammis
Disjectaſque rates, patriumque a Pallade miſſum
Fui-

Fulmen, Oilidenque ignes, & ſulfura fixo
Pectore proflantem teque importune Caphareu;
Nec faciles Ciconas, fortunatoſque ciborum
Lotophagos; vinoque gravem Cyclopa per antrum
Exporrectum ingens, humanaque fruſtra vomentem
Mixta mero; inque bovis conſtrictos tergore ventos;
Et Lamium Antiphaten, & virgam, & pocula Circes;
Cimmerionque domos, Everidemque locutum
Vera ſenem; fuſoque allectos ſanguine manes,
Et maris illecebras; vocemque impune canoræ
Virginis auditam; Scyllamque, avidamque Charybdin;
Lampetienque patri violata armenta querentem;
Immerſoſque undis ſocios, ipſumque natantem
Littus ad Ogygies, & Atlantidos antra Calypſus;
Neptunumque iterum, ventoſque, undaſque cientem;
Leucotheamque piam, Cercyræoſque receſſus
Hoſpitio faciles; ſubitumque in gurgite montem;
Aſſertumque larem tandem, ultriceſque ſagittas.
Ergo tegunt geminæ victricia tempora laurus
Vatis Apollinei, geminis ergo arduus alis
Fugit humo, celſumque altis caput intulit aſtris,
Par Superis, ipſique Jovi, quo nulla rebellis
Spicula livor agat, quo nulla adſpiret iniquæ
Tempeſtas fœda Invidiæ: ſic eminet extra
Liber, & innocuus, toto ſic ille ſereno
Perfruitur gaudens, magni ceu purus Olympi
Supra imbres vertex, & rauca tonitrua ſurgit,
Deſpectatque procul ventorum prœlia tutus.
Quo nunc divitias animoſi carminis ore
Exequar? haud illi plena ſe conferat urna
Hermus, & aurata radians Pactolus arena,
Et Tagus, & Durius, latebris quodque eruit audax
Dalmata, quodque procul Beſſus rimatur, & Aſtur;
Fuſile Callaica quodque in fornace liqueſcit;
Decolor in toto quodque invenit Indus Hydaſpe;
Quemque Rhodos fulvis hauſit de nubibus imbrem,
Quodque manu Dea cæca tenet prædivite cornu.
Utque parens rerum fontes, & flumina magnæ

Suggerit Oceanus terræ, ſic omnis ab iſtis
Decta per ora virum decurrit gratia chartis.
Hinc fuſa innumeris felix opulentia ſeclis
Ditavit mentes, tacitoque infloruit ævo:
Omnia ab his, & in his ſunt omnia; ſive beati
Te decor eloquii, ſeu rerum pondera tangunt.
Nam quæ tam varium Memphitis ſtamen arundo
Separat, aut quæ ſic Babylonos texta potentis
Sollicita pinguntur acu, quæ tanta colorum
Gloria, cùm pinnis Zephyri rorantibus adſunt:
Quantus honos vocum, quam multis dives abundat
Floribus, & claris augeſcit lingua figuris?
Sive libet tenui verſum deducere filo;
Seu medium confine tenet: ſeu robore toto
Fortior aſſurgit: ſeu vena paupere fertur
Aridius; celeri ſeu ſe brevis incitat alveo;
Gurgite ſeu pleno, denſiſque opulentior undat
Vorticibus; ſive humentes læto ubere ripas
Dædala germinibus variat, majore nec umquam
Sermo potens meminit ſe majeſtate loquentem.
Quod ſi facta virum victuris condere chartis,
Flectere ſeu mavis orando, & fingere mentes,
Hunc optato ducem: non cauſſas doctius alter.
Perſonamque, locumque, modoſque, & tempus, & arma,
Remque ipſam expediat, dum nunc jactantior exit,
Nunc contorta ruit, nunc ſe facundia profert
Simplicior, varia nunc floret imagine rerum.
Dulcius eloquium nulli, nec apertior unquam
Vis fandi fuit, aut quæ mentibus acrior inſtet.
Indole quemque ſua pingit, ſua cuique decenter
Attribuit verba, & mores, unumque tenorem
Semper amat, meminitque ſui; ſcit & unde moveri,
Et quo ſit prodire tenus, fuſumque gubernat
Arte opus, & mediis prima ac poſtrema revincit.
Nunc teneras vocat ad lacrimas, nunc igneus iram
Suſcitat, interdum retrahit, probat, arguit, urget.
Nunc nova ſuſpendunt avidas miracula mentes,
Feta bonis, ipſum utiliter celantia verum.

Quid-

Quidquid honorato ſapiens canit ore vetuſtas,
Doctaque multijugæ poſt hunc divortia ſectæ,
Hinc hauſtum, ſive infantis cunabula ſecli;
Seu conſpirantes pugnaci fœdere cauſſas:
Diſcordemque fidem, & genitalia ſemina rerum;
Seu potius mundi fines, Divûmque rotatas
Contemplere domos, atque obluctantia cœlo
Sidera: quæ magnum vis tanta Hyperionis orbem
Torqueat; exhauſtam reparet quo fonte ſororem
Auſam fraternis mediam ſe opponere flammis,
Et ſubitis violare diem, lucemque tenebris:
Conſcia fatorum cùm mens animaverit aſtra;
Unde tremat tellus, trifidane impulſa laboret
Cuſpide Neptuni, cæcis an terga cavernis
Subdat atrox Boreas. noſtrum erupturus in orbem?
Ventorum nunc ille vices, nunc fulminis ortus
Monſtrat, & eliſis crepitantes nubibus auras:
Curque ruunt imbres, ſubitus cur lumina fulgor
Sic ferit, ut medium credas diſcindere cœlum.
Eſſe Deum, mentem immenſam, rerumque potentem,
Cunctaque complexum, ſtabili qui lege gubernet
Naturam, mundique vices; qui fata ſolutis
Subjuget arbitriis, qui temperet omnia ſolus.
Eſſe animos lethi exortes, ſed corpore claudi
Ceu tumulo, quos in varias tamen ire figuras,
Hoc dictante docet tacitæ dux ille cohortis,
Antè ortus memor uſque ſui, ſibique ipſe ſuperſtes.
Quin & præcelſa rationem ſiſtit in arce
Ceu Dominam; triſtes in pectore concitat iras,
Viſcera degeneri damnata cupidine paſſus.
Nec tacet unde æger cruciat dolor, unde rebellem
It furor in rabiem: cur pallent ora timentum;
Genva tremunt; ſtant corda gelu; ſtant vertice crines.
Quæ ſummi ſit meta boni, quæve orbita rectum
Signet iter; quo ſe confundat devius error;
Quot virtus fluat in rivos, quo cardine honeſtum
Vertatur, rebus quantum fortuna caducis
Præſit, ut humanos toleret mens cruda tumultus.

Quæ cives menſura premat, quo robore leges
Firmentur: plus conſilio res creſcat, an armis
Publica: quas belli tentet dux callidus artes:
Quam vocum ſit amica fides: quam magna gregandis
Relligio numeris; quantis præſagia ſignis
Conſultes, quantum ſuccos rimata ſalubres
Ardua Pæoniæ valeat ſolertia dextræ.
Hinc & magniloquis voces crevere cothurnis.
Hinc laſciva datos riſerunt compita ſoccos:
Quique adſtricta brevi claudunt epigrammata nodo.
Quin & Apellæos digitis animare colores
Monſtrat; Olympiaco quin is dedit ora Tonanti.
Nec faber ille negat, dum nigris mota laborant
Cuncta ſuperciliis, immortaleſque ſequuntur
Aſtra jubas; ſancta dum majeſtate tremendum
Excipiunt, magnoque aſſurgunt numina patri.
Heroumque idem facies, & celſa potentum
Ora Deum, variiſque horrenda animalia formis,
Diverſaſque urbes, poſituſque, habituſque locorum
Innumeros, ſenſuſque animorum, carmine pulchro,
Naturamque omnem illa ipſa mirante figurat.
Huic aras, huic templa dedit veneranda vetuſtas.
Hunc ære, hunc ſaxo, fulvoque colebat in auro:
Hunc unum auctorem teneris præfecerat annis,
Rectoremque vagæ, moderatoremque juventæ:
Hunc etiam leges vitæ agnovere magiſtrum;
Omnis ab hoc doctas ſapientia fonte papyros
Irrigat; hunc proprias olim Gangetica tellus
Tranſtulit in voces: hujus natalia ſeptem
Quæque ſibi rapiunt ſtudiis pugnacibus urbes:
Hunc & Sithonii patientem jura flagelli
Aſſeruit patrio vindex Ptolemæus ab amne:
Hunc quoque captivo gemmatum clauſit in auro
Rex Macedûm; mediis hunc conſultabat in armis:
Hoc invitabat ſomnos, hinc craſtina bella
Concipere, huic partos ſuetus jactare triumphos.
Et nos ergo illi grata pietate dicamus
Hanc de Pierio contextam flore coronam,

Quam mihi Cajanas inter pulcherrima Nymphas
Ambra dedit patriæ lectam de gramine ripæ:
Ambra mei Laurentis amor, quam corniger Umbro
Umbro ſenex genuit domino gratiſſimus Arno;
Umbro ſuo tandem non erupturus ab alveo.
Quem ſuper æternùm ſtaturæ culmina villæ
Erigis, haudquaquam muris ceſſura Cyclopum.
Macte opibus, macte ingenio, mea gloria Laurens;
Gloria Muſarum Laurens, monteſque propinquos
Perfodis, & longo ſuſpenſos excipis arcu,
Prægelidas ducturus aquas, qua prata ſupinum
Lata videt Podium riguis uberrima lymphis,
Aggere tuta novo, piſcoſiſque undique ſepta
Limitibus, per quæ multo ſervante moloſſo
Plena Tarentinis ſuccreſcunt ubera vaccis.
Atque aliud nigris miſſum (quis credat?) ab Indis
Ruminat ignotas armentum diſcolor herbas.
At vituli tepidis clauſi fœnilibus intus
Expectant tota ſugendas nocte parentes.
Interea magnis lac denſum bullit ahenis:
Brachiaque exertus ſenior, tunicataque pubes
Comprimit, & longa ſiccandum ponit in umbra.
Utque piæ paſcuntur oves, ita vaſtus obeſo
Corpore ſus Calaber cavea ſtat clauſus olenti.
Atque aliam ex alia poſcit grunnitibus eſcam.
Celtiber ecce ſibi latebroſa cuniculus antra
Perforat; innumerus net ſerica vellere bombyx.
Ad vaga floriferos errant diſperſa per hortos,
Multiforumque replent operoſa examina ſuber.
Et genus omne avium captivis inſtrepit alis.
Dumque Antenorei volucris criſtata Timavi
Parturit, & cuſtos Capitoli gramina tondet,
Multa lacu ſe merſat anas, ſubitaque volantes
Nube diem fuſcant Veneris tutela columbæ.

Epicedion in Albieræ Albitiæ obitum, ad Siſmundum Stupham ſponſum ejus.

Et merito: quis enim tantum perferre dolorem?
Aut quis jam miſeris temperet a lacrimis?
Sed tamen heu fruſtra crudelia ſidera damnas
Siſmunde, & fruſtra Numina ſurda vocas.
Proh dolor! ah quantos rapta pro conjuge fletus
Ingeminas, quanto perluis imbre genas:
Sollicitaſque pios fratres, miſerumque parentem,
Inque tuo tota eſt vulnere nigra domus?
Nigra domus tota eſt: flent mœſti ad limina cives,
Flent ſocii lacrimis & tua damna piis.
Ipſe ego qui dudum reges magno ore canebam,
Dardanaque Argolica Pergama tapta manu,
Heu nil dulce ſonans taceo jam bella, tubaſque,
Et refero ad nigros carmina mœſta rogos.
Ac tecum infauſtus vates conſortia luctus
En repeto & querulam pectine plango chelyn.
Nec, Siſmunde, tuos gemitus, ægrumque dolorem
Arceo: ſunt lacrimis funera digna piis.
Majus habes vulnus ſecreto in pectore, quam quo
Te deceat madidas non habuiſſe genas.
Nam poteras dudum nulli invidiſſe Deorum,
Dum ſubiit velis aura ſecunda tuis:
Nunc ubi dira ſuum vertit Fortuna tenorem,
Uxor abeſt, animæ portio magna tuæ.
Uxor abeſt, heu, heu; ſed qualem nulla tuleruut
Sæcula, nec qualem tempora nulla ferent.
Uni, quicquid habet, dederat Natura decoris.
Uni etiam dederat Gratia quidquid habet.
Candor erat dulci ſuffuſus ſanguine, qualem
Alba ferunt rubris lilia mixta roſis.
Ut nitidum læti radiabant ſidus ocelli;
Sæpe Amor accenſas rettulit inde faces.
Solverat effuſos quoties ſine lege capillos,
Infeſta eſt trepidis viſa Diana feris.

Sive

Sive iterum adductos fulvum collegit in aurum,
  Compta Cytheriaco eſt pectine viſa Venus.
Uſque illam parvi furtim componere Amores
  Sunt ſoliti, & facili Gratia blanda manu;
Atque Honor & teneri jam cana Modeſtia vultus,
  Et Decor, & Probitas purpureuſque Pudor;
Caſta Fides, Riſuſque hilaris, moreſque pudici,
  Inceſſuſque decens, nudaque Simplicitas:
Quæ cuncta in cineres fati gravis intulit hora;
  Mors cuncta immiti carpſit acerba manu.
Occidis, Albiere, prima fraudata juventa,
  Exigeres vitæ cum tria luſtra tuæ.
Occidis amborum correpta ante ora parentum;
  Occidis ante tui lumina mœſta viri.
Ah dolor! i nunc & rebus confide ſecundis,
  Quas fortuna levi fertque refertque manu.
Tolle animum, & victo molire ex hoſte triumphos:
  Laurigerum Morti ſubiiciere caput.
Erige Tænareis radiantia tecta columnis,
  Parca tamen rapida te trahet inde manu.
Ingenio, formæ, validæ confide juventæ.
  Albiera ecce gravi morte ſoluta jacet;
Tu mihi nunc tanti fuerit quæ cauſſa doloris,
  Attonito vati, mœſta Thalia, refer.
Annua pelliti referentem ſacra Joannis
  Extulerat roſeo Cynthius ore diem,
Cum celebres linquens Sirenum nomine muros,
  Herculeumque petens regia nata torum,
Candida Syllanæ veſtigia protinus urbi
  Intulerat longæ feſſa labore viæ.
Pro ſe quiſque igitur pueri, juveneſque, ſeneſque,
  Matreſque, & teneræ ſplendida turba nurus,
Illius adventum celebrant, atque unicus urbis
  Eſt vultus, feſto murmure, cuncta fremunt.
Eſt via Panthagiam Syllani nomine dicunt,
  Omnibus hic Superis templa dicata micant.
Hic domus æthereas perrumpens Lentia nubes
  Provehit ad rutilos culmina celſa polos;

Quam prope ridentes ſubmittunt prata colores,
Pictaque florifero germine vernat humus.
Hic, dum cornipedes primi ſub carceris oras
Tyrrhenæ expectant ſigna canora tubæ,
Regia nata leves gaudet celebrare choreas;
Jamque nurus certa brachia lege movent.
Emicat ante alias vultu pulcherrima Nymphas
Albiera, & tremulum ſpargit ab ore jubar.
Aura quatit fuſos in candida terga capillos,
Irradiant dulci lumina nigra face.
Tamque ſuas vincit comites, quam Lucifer ore
Purpureo rutilans aſtra minora premit.
Attoniti Albieram ſpectant, juveneſque, ſeneſque:
Ferreus eſt quem non forma pudorve movet.
Mentibus Albieram lætis, plauſuque ſecundo
Albieram nutu, lumine, voce probant.
Vertit in hanc torvos Rhamnuſia luminis orbes,
Exiguoque movet murmura parva ſono.
Tum miſeræ lethale favens, oculiſque nitorem
Adiicit, ſolito celſius ora levat.
Tantaque perturbans extemplo gaudia, triſtem
Qua pereat virgo quærit acerba viam.
Hic Febrim æthereas carpentem proſpicit auras,
Exerere Icarius dum parat ora canis.
Illam Erebo, Nocteque ſatam comitantur euntem,
Luctuſque & tenebris Mors adoperta caput;
Et Gemitus gravis, & gemitu commixta Querela,
Singultuſque frequens, Anxietaſque ferox.
Et Tremor & Macies, pavidoque Inſania vultu,
Semper & ardenti pectore anhela Sitis.
Horridus atque Rigor, trepidæque Inſomnia mentis,
Inconſtanſque Rubor, terrificuſque Pavor.
Marmaricæque trahunt dominæ juga curva leones,
Ignea queis rabido murmure corda fremunt.
Vertice Diva feras ardenti attollit echidnas,
Quæ ſaniem Stygio ſemper ab ore vomunt.
Sanguinei flagrant oculi, cava tempora frigent,
Colla madens ſudor, pectora pallor obit.

Atque

Atque animi interpres liventi lingua veneno
  Manat, & atra quatit fervidus ora vapor;
Spiritus unde gravis tetrum devolvit odorem;
  Lethifera ſtrident guttura plena face.
Sputa cadunt rictu, croceo contracta colore:
  Perpetuo naris fluxa fluore madet.
Nulla quies, nullique premunt membra arida ſomni;
  Faucibus in ſalſis tuſſis acerba ſonat.
Riſus abeſt; rari ſqualent rubigine dentes;
  Sordida lunato prominet ungue manus.
Dextera fumiferam præfulgens lampada quaſſat.
  Sithoniaſque gerit frigida læva nives.
Olli templa olim poſuit Romana propago;
  Abſtinuit ſævas nec tamen inde manus.
Sacra illam Actiaco tenuere Palatia Phœbo,
  Quique olim vicus nomine longus erat.
Area quin etiam diræ templa ardua Febris
  Oſtendit, Marii quæ monumenta tenet.
Hoc ubi crudelis vidit Rhamnuſia monſtrum,
  Exacuit ſævo lurida corda ſono:
Adſpicis hanc, inquit, virgo ſata Nocte puellam,
  Cujus & hinc radiis ora ſerena micant?
Quæ gaudet, fati, ſortiſque ignara futuræ,
  Quam digito, atque oculis denſa caterva notat?
Hanc nive tu gelida, rapidis hanc infice flammis:
  Sic opus eſt; vires ſentiat illa tuas.
Dixerat; & pariter greſſumque avertit & ora:
  Non oculos poterat jam tolerare truces.
Continuo ardentes ſtimulis citat illa leones,
  Sæpius & ducto verſat in orbe facem.
Interea humentem Noctis variantia pallam,
  Heſperus in rutilo ſparſerat aſtra polo.
Albiera in patrios jam candida membra penates
  Intulerat, molli conſtiteratque toro.
Jam tenero placidum ſpirabat pectore ſomnum;
  Venit ad obſtruſos cum Dea ſæva lares.
Quo Dea, quo tendis? non te lacrimabilis ætas.
  Non te forma movet? non pudor, aut probitas?

Non-

Nonne movent lacrimæque viri, lacrimæque parentum?
  Mortalem potes, ah, perdere ſæva Deam?
Limina contigerat; tremuerunt limina: pallor
  Infecit poſtes, & patuere fores.
Virgineum petit illa torum, pavidæque puellæ,
  Pectore ab obſcæno talia dicta, refert:
Quæ placidam carpis ſecura mente quietem,
  Et fati, & ſortis neſcia virgo tuæ;
Nondum ſæva meæ ſenſiſti vulnera dextræ,
  Quæ tibi ego, & mecum quæ tibi fata parant.
Stat vacua tua Parca colo: moritura puella,
  Ne geme: cum dulce eſt vivere, dulce mori eſt.
Sic ait, æſtiferamque excuſſit lampada, & acres
  Virginis injecit dura ſub oſſa faces
Tum lethale gelu invergens, guttaſque veneni,
  Inſerta heu venis, effugit inde, nece.
Excitat illa gravi geminos clamore parentes;
  Advocat abſentem nuntia fama virum.
Vicinæ extemplo matres, trepidæque puellæ
  Conveniunt teneras imbre rigante genas.
Jam fera virgineas populatur flamma medullas;
  Jam gelida torpent horrida membra nive.
Liquitur infelix: non ars operoſa medentum,
  Non facta a miſero conjuge vota juvant.
Liquitur, & quamquam diræ veſtigia mortis
  Cernit, & extremum ſentit adeſſe diem,
Corde tamen gemitum premit, & ſpem fronte ſerenat.
  Triſtitiamque acie diſſimulante tegit.
Scilicet augeret trepidi ne dura mariti
  Lamenta, & curas anxietate graves.
Jam decima infauſtam referebat lampade lucem
  Cynthius, & picea texerat ora face;
Cum miſeræ extremus jam preſſerat error ocellos;
  Fugerat heu vultus, fugerat ore color.
Adſpicit illa tamen dulcem moritura maritum;
  Illum acie ſolum deficiente notat.
Illius adſpectu morientia lumina paſcit;
  Mens illum e media morte reverſa videt.

Quis

Quis tibi tum, Siſmunde, dolor? cum virginis artus
Adſpiceres anima jam fugiente mori?
Non tamen illa tui, non illa oblita parentum;
Te vocat, & tales fundit ab ore ſonos.
Pars animæ, Siſmunde, meæ ſi conjugis in te
Quicquam juris habent ultima verba tuæ,
Parce, precor, lacrimis; vixi curſumque peregi.
Jam procul a vobis me mea fata vocant.
Immatura quidem morior; ſed pura ſub umbras
Deſcendam, & nullis ſordida de maculis.
Diſcedam virgo, facibus nec victa maritis
Ceſſi; conjugii nil niſi nomen habes.
Eſt mihi dul e mori, vitamque impendere famæ.
Edita mortali conditione fui:
Ac niſi nunc morerer, fueram moritura ſubinde:
Eſt mihi dulce etiam te ſuperante mori.
Nil mihi jam poterant anni conferre ſeniles:
Vita brevis, longi temporis inſtar habet.
Mi dederat teneri leges natura pudoris,
Mi dederat mores cum probitate bonos.
Nil mutari in me cuperes niſi triſtia fata.
Humanæ vici conditionis opus.
Vidi ego te ſummi defunctum munere honoris;
Vidi omnem feſta pace nitere domum.
Et niſi me, gemini poſſunt nil flere parentes:
Parce igitur manes ſollicitare pios.
Parce precor lacrimis conjux: ſic lætus in auras
Evadet tenues ſpiritus inde meus.
Mœſta ſed amborum nimis ah nimis ora parentum
Solare; heu noſtro torpet in ore ſonus.
Heu rapior: tu vive mihi: tibi mortua vivam.
Caligant oculi jam mihi morte graves.
Jamque vale, o conjux, carique valete parentes,
Heu, procul hinc nigra condita nocte feror.
Sic ait; & dulcem moriens complexa maritum
Labitur, inque illo corpus inane jacet.
Corpus inane jacet cara cervice recumbens
Conjugis: heu fati triſtia jura gravis.

Hoc licuit vobis o ferrea pectora Parcæ?
  Credo ego jam Divum Numina poſſe mori.
Quis nunc, quis gemitus miſerorum & verba parentum
  Neſciat in tantis heu repetita malis?
Ora rigat lacrimis frater, rumpitque capillos
  Mœſta ſoror, teneras & ſecat ungue genas.
Non ſecus Hectoreo Trojanæ in funere matres
  Fleverunt ſciſſis publica fata comis.
Implentur clamore lares, clamore reſultant
  Atria; luctiſonis fletibus aula fremit.
Heu quid agas conjux; quæ vocem in verba relaxes?
  Quo fletu incuſes triſtia fata miſer?
Non lacrimas miſerandus habes, non verba dolentum:
  Attonitus pigro torpet in ore ſonus.
Extinctæ ingeminas tantum miſera oſcula, & arcte
  Impedis amplexu frigida membra tuo:
Dilectoſque premis vultus, premis ora, nec ullum
  Invenit incluſus pectore luctus iter.
Quoque magis merſum premis alto in corde dolorem,
  Hoc magis ille furit, æſtuat atque magis.
Sic magis incluſus furit intra obſtacula torrens,
  Quæ ſi dimoveas lenior inde fluet.
Quin etiam inviſæ rupiſſes vincula vitæ,
  Conjugis ut manes conſequerere pios:
Sed prohibent fratres, & blandi cura parentis;
  Sed prohibent ſocii pectora fida tui.
Jam Virgo effertur nigro compoſta feretro,
  Deſectas humili fronde revincta comas.
Heu ubi nunc blandi riſus, ubi dulcia verba,
  Quæ poterant ferri frangere duritiem?
Lumina ſidereas ubi nunc torquentia flammas?
  Heu ubi puniceis æmula labra roſis?
Proh Superi! quid non homini brevis eripit hora?
  Ah miſeri, ſomnus, & levis umbra ſumus.
Non tamen aut niveos pallor mutaverat artus;
  Aut gelido macies ſederat ore gravis:
Sed formoſa levem mors eſt imitata ſoporem;
  Is nitidos vultus, oraque languor habet.

Viſ-

Virginea ſic lecta manu candentia languent
  Liliaque, & niveis texta corona roſis.
Hic, ceu nulla prius fuerint lamenta, novatur
  Luctus, & indignis imbribus ora madent.
Præcedit jam pompa frequens, jam mœſta ſacerdos
  Verba canit; ſacris turribus æra ſonant.
Funerea cives pullati veſte ſequuntur.
  Et ſpargunt mœſtas ore madente genas.
Denſaque pars vidui deplorant fata mariti,
  Atque illum digito, luminibuſque notant.
O quantum impexi crines, oculique, genæque
  Noctis habent! quantus nubilat ora dolor?
Quid nunc exſequias celebres, opulentaque dicam
  Munera, quid donis templa referta piis?
Omnis cæratis radiat funalibus ara,
  Omnis odoratis ignibus ara calet.
Æternamque canunt requiem. lucemque verendi
  Sacricolæ, & lymphis corpus inane rigant.
Et tandem gelidos operoſi marmoris artus
  Includit tumulus, & breve carmen habet:
Hac jacet Albieræ pulchrum ſub marmore corpus.
  Nulla quidem tantum marmora laudis habent.
Exornat tumulum corpus; ſed ſpiritus aſtra.
  O quanta acceſſit gloria lauſque polo!

Ad Laurentium Medicem.

Cum referam attonito Medices tibi carmina plectro,
  Ingeniumque tibi ſerviat omne meum,
Quod tegor attrita, ridet plebecula, veſte,
  Tegmina quod pedibus ſint recutita meis:
Quod digitos caligæ diſrupto carcere nudos
  Permittunt cœlo liberiore frui,
Intima bombycum vacua eſt quod ſtamine veſtis,
  Sectaque de cæſa vincula fallit ove.
Ridet, & ignavum ſic me putat eſſe poëtam,
  Nec placuiſſe animo carmina noſtra tuo.

Tu contra effuſas toto ſic pectore laudes
  Ingeris, ut libris ſit data palma meis.
Hoc tibi ſi credi cupis, & cohibere popellum;
  Laurenti veſtes jam mihi mitte tuas.

Ad eundem, gratiarum actio.

Dum cupio ingentes numeris tibi ſolvere grates
  Laurenti, ætatis gloria prima tuæ,
Excita jamdudum longo mihi murmure tandem
  Adſtitit arguta Calliopea lyra:
Adſtitit, inque meo pretioſas corpore veſtes
  Ut vidit, pavidum rettulit inde pedem:
Nec potuit culti faciem Dea noſſe poëtæ,
  Corporaque in Tyrio conſpicienda ſinu.
Si minus ergo tibi meritas ego carmine grates,
  Fruſtrata eſt calamum Diva, vocata meum.
Mox tibi ſublato modulabor pectine verſus,
  Cultibus affuerit cum mea Muſa novis.

In aridam populum, quæ repente ante domum Laurentii reviruit.

Quod rediviva novas diffundit vertice frondes
  Quæ Medicam ſurgit populus ante domum,
(Cui quondam Ogygio fierent cum ſacra Lyæo,
  Admovit rapidas ebria turba faces)
Quid mirum? Herculeis nam cum Laurentius armis
  Æmulus, Auſonios temperet arte lares;
Ipſe ſuas juveni Tirynthius explicat umbras;
  Implicet ut meritum lecta corona caput.
Sic quoniam dextro modulatur Apolline carmen,
  Ante ſuas Lauri circumiere comas.
Nunc igitur duplici crines lambente corona,
  Se bello oſtentet, ſeque valere toga.

De Cane Hebro ad Laurentium Medicem.

Quod canis Heſperio, Medices, tibi miſſus ab Hebro
  Terribiles vaſto ſtrangulat ore feras:
Aſt hominem pavido metuit contingere rictu,
  Nil mirum: domino convenit ille ſuo,
Sic tua nam ſontes, Laurenti, pœna coërcet,
  Sic referunt abs te præmia digna pii.

Ad Ponticum.

Pontice vis noſtro cumulum ſuperaddere amori,
  Inque dies fieri ſemper amabilior?
Vis mihi vel tenera jucundior eſſe puella,
  Vis mihi vel geminis carior eſſe oculis?
Mitte leves numeros, calamo nec parce jocoſo,
  Mitte tuæ teſtes carmina nequitiæ.
Si facies, charo fies mihi charior auro,
  Et nitido Phœbi ſidere fulgidor.
At ſi non facies, vili mihi vilior alga,
  Atque aſini fies ſtercore ſordidior.

In Paulum.

Quæ tu condideras damnavi carmina nuper;
  Nec tua damnavi carmina Paule tamen.
Auctor eras, fateor: ſed cum ſunt edita, Paule,
  Auctoris non ſunt carmina, ſed populi.

Ad Xyſtum Card.

Tenderet Etruſcam nuper cum Xyſtus in urbem,
  Aurea quæ magni ſigna leonis habet,
Viderat aſſiduis pallentes ſolibus herbas,
  Et cava limoſo flumina ſicca ſinu.
Viderat & querulis poſcentem vocibus imbres,
  Effuſas populum congeminare preces.

Ergo

Ergo ſalutiferos ſuſpendit in æthere nimbos,
Dum pergit Lydas Xyſtus adire domos
Inde ubi jam lætus mediæ ſeſe intulit urbi,
Obtulit & Tuſcis ora ſerena piis:
Ardua laxato diſcuſſit nubila cœlo,
Et liquido arentem nectare pavit humum.
An quiſquam neget eſſe Deum te Xyſte, tenentem
Imperium terris, imperiumque polo?

Ad eundem.

Verba dedi Xyſto: decet hæc dare dona poëtam,
Æra decet Xyſtum reddere, verba refert.
Verum habet ille alios: qui dent ſibi verba fatemur,
Æra tamen qui nunc det mihi; nullus adeſt:

Ad eumdem propter aliquos poëtas detractores.

Credebam demens Xyſtum mihi verba dediſſe,
Fallebar: vates nam mihi verba dabant.
Nil queror, inſanis mos eſt dare verba poëtis:
Dii faciant ne ſis, Xyſte, poëta mihi.

In picturam puellæ.

Ne dubita, picta eſt quam cernis virgo, ſed acres
Hiſce oculis flammas ejaculatur amor.
Hiſce oculis vocem dedit ars, linguæque negavit.
Heu fuge: ſed nulla eſt jam fuga, vulnus habes.

In Pamphilum.

Mittis vina mihi: mihi Pamphile vina ſuperſunt.
Vis mage quod placeat mittere? mitte ſitim.

In Corydonem.

Sum puer exclamas Corydon, ſubigiſque fateri:
In te reclamat ſed tua barba; vir es.

In Mabilium.

Innumeræ tibi ſunt Mabili in carmine mendæ:
Atque ubi ſint quæris? per mare quæris aquam.

De Antonio Tuſco poëta, ad Fabianum.

Tuſcus ab Othryſio, Fabiane, Antonius Orpheo
Hoc differt; homines hic trahit, ille feras.

In Laurentium Medicem.

Ante erat informis, Laurens, tua patria truncus:
Nunc habet ecce ſuum te tribuente caput.
Namque tuis nimia eſt frænata licentia nuper
Legibus: hoc patriæ quis neget eſſe caput?
Cæca fuit quondam tua dicta Fluentia, ſed nunc
Cuncta, oculos illi te tribuente, videt.
Otia namque piis ſtatuiſti dulcia muſis,
Quas patriæ veros dixeris eſſe oculos.
Conſilium dic eſſe aures, quo conſulis illi:
Quod fugit inſidias te duce, nare valet.
Cum dederit largas illi tua dextera fruges;
Os hebet, hoc totum patria corpus alit.
Impenſis, ductuque tuo Volaterra repulſas
Accepit leges; hæc ſua dextra fuit,
Pæne puer, lævamque manum, clypeumque dediſti,
Cum tuta a miſera ſeditione fuit.
Præmia certa manent juſtos, rata pœna nocentes:
Hiſce urbem pedibus comprobat ire Solon.
Præterea auratos poſito ſqualore capillos
Compſit, & aurata candida veſte nitet.
Hoc decus educti templorum ad ſidera ſumptus,
Hoc Medicæ præſtant ardua tecta domus.
Sic patriam gignis Laurens, educis, & ornas:
Patria ſic vero te vocat ore patrem.

In Philippum Fratrem pictorem.

Conditus hic ego ſum picturæ fama Philippus;
Nulli ignota meæ eſt gratia mira manus.
Artifices potui digitis animare colores,
Sperataque animos fallere voce diu.
Ipſa meis ſtupuit natura expreſſa figuris,
Meque ſuis faſſa eſt artibus eſſe parem.
Marmoreo tumulo Medices Laurentius hic me
Condidit: ante humili pulvere tectus eram.

Ad Laurentium Medicem.

O ego quam cupio reducis contingere dextram
Laurenti, & læto dicere lætus ave:
Maxima ſed denſum capiunt vix atria vulgus,
Tota ſalutantum vocibus aula fremit.
Undique purpurei Medicem pia turba ſenatus
Stat circum; cunctis celſior ipſe patet.
Quid faciam? accedam? nequeo; vetat invida turba:
Alloquar? at pavido torpet in ore ſonus.
Adſpiciam? licet hoc, toto nam vertice ſupra eſt:
Non omne officium turba moleſta negas.
Adſpice ſublimi quem vertice fundit honorem,
Sidereo quantum ſpargit ab ore jubar.
Quæ reducis facies, lætis quam lætus amicis
Reſpondet nutu, lumine, voce, manu.
Nil agimus; cupio ſolitam de more ſalutem
Dicere, & officium perſoluiſſe meum.
Ite mei verſus, Medicique hæc dicite noſtro;
Angelus hoc mittit Politianus, ave.

Ad eundem.

Invideo Piſis Laurenti, nec tamen odi,
Ne mihi diſpliceat, quæ tibi terra placet.

In

In eumdem cum ruri querna corona frontem redimitum viderem.

Quam bene glandifera cingis tua tempora quercu,
Qui civem ſervas non modo, ſed populum.

In eumdem.

Det tibi Neſtoreos, Laurenti, Juppiter annos:
Neſtoreum quoniam pectus, & ora dedit.

Eidem.

Cum commiſſa ſibi tellus male fida negaſſet
Semina, & agricolæ falleret herba fidem:
Protinus optatas patriæ tua dextera fruges
Obtulit, & celerem juſſit abire famem.
Nec mora, Piſeis commutas ſedibus urbem
Servatam, & nimio tempore lentus abes.
Heu quid agis? patriæ, Laurens, te redde gementi:
Non facta eſt donis lætior illa tuis.
Mœſta dolet, malletque famem perferre priorem,
Quam deſiderium patria ferre tui.

In Laurentium, Juliamque Petri filios, fratres piiſſimos.

Nec tanta Oebalios tenuit concordia fratres.
Nec tanto Atridas fœdere junxit amor.
Implicuit quanto Medicum duo pectora nexu
Mitis amor, concors gratia, pura fides.
Unum velle animis, unum eſt quoque nolle duobus;
Corque ſibi alterna dant, capiuntque manu.
Eſſe quid hoc dicam Juli, & tu maxime Laurens;
An ne duos una mente calere putem?

In Laurentium Medicem.

Num tibi littorea collectum Anthedone gramen
 Divinum extemplo pectus & ora dedit?
Nil mortale ſapis Laurens, ſed pectore cœlum,
 Sed cœlum lingua, mente, animoque refers.
Cum referas cœlum, cœlum tibi præmia fiet:
 Tu cito parta tamen præmia ſero pete.

In Marſilium.

Mores ingenium, Muſas, ſophiamque ſupremam,
 Vis uno dicam nomine? Marſilius.

Ad eumdem.

O ego ſi poſſem laqueo ſubducere collum,
 Et pedicis vinctos explicuiſſe pedes.
Haud equidem dubitem volucres ſuperare canendo,
 Quas aluit campis unda Cayſtre tuis.
At nunc Phœbeos inter velut anſer olores,
 Agreſtem rauco gutture fundo ſonum.
Sed facile expediar, Medices, fiamque canorus,
 Si modo tu dicas Politiane veni.

In eumdem.

Celſa triumphatis Medices Florentia Piſis
 Invidet: ut dominam ſe putet ipſa redi,

In Gaddium.

Delicias tibi Roma ſuas, Florentia, Gaddi,
 Datque ſuas: o quam delicioſus homo es!

In libellum Elegiarum Naldi poëtæ.

Dum celebrat Medicem Naldus, dum laudat amicam,
 Et pariter gemino raptus amore canit.

Tam

Tam lepidum unanimes illi ornavere libellum,
  Phœbus, Amor, Pallas, Gratia, Muſa, Fides.

In Albieram Siſmundi Stuphæ ſponſam, fato immaturo ereptam.

Vivebam; fato ſum rapta Albiera conjux:
  Siſmundus vitam reddidit en iterum.
Nam faciem, & claram cælato marmore formam,
  Ingenium, & mores carmine reſtituit.

In eamdem.

Viva tibi fueram conjux Albiera ſemper
  Cara quidem; nunc ſum mortua cara magis.

In eamdem.

Debebam vivens tibi, ſed mage, rapta: voluptas
  Illa fuit: verum hæc proxima relligio eſt.

In eamdem.

Morte una geminam ſum nacta Albiera vitam:
  Fama etenim terras, ſpiritus aſtra colit.
Fama olim, numquam ſed ſpiritus occidet: hæc mi
  Vita quidem ſemper vivet, at illa diu.

De eadem.

Quid quereris genitor? vivit tua filia cœlo
  Albiera: an ne Deam progenuiſſe doles?

In Demetrium Cretenſem, & Dionyſium Paraviſinum, Græcorum voluminum impreſſores.

Qui colis Aonidas, Grajos quoque volve libellos:
  Namque illas genuit Græcia, non Latium.
En Paraviſinus quanta hos Dionyſius arte
  Imprimit; en quanto cernitis ingenio.
Te quoque Demetri ponto circumſona Crete
  Tanti operis nobis edidit artificem.

Turce quid inſultas? tu Græca volumina perdis.
  Hi pariunt: hydræ nunc age colla ſeca.

In puellam morientem.

Quærenti Venerem, diu negaſti:
Sed dum mi toties pudet negare,
Tandem occaſio juſta pernegandi
Inventa eſt; moreris: vafra es, ſagaxque.

Bernardo Bembo Veneto Oratori.

Ut miſeros quondam nautas Acheloja Siren
  In pœnam traxit carmine blandiſono:
Sic, Bernarde, tuo quemvis ſuccendis amore,
  Seu quid mente agitas, ſeu geris, aut loqueris.
Si cauſſam Veneti tutaris, Bembe, ſenatus,
  Mox Pitho in labris ſtat veneranda tuis.
Seria ſi tractas, credam tractare Minervam:
  Si joca; dat puros Gratia nuda ſales:
Carmina ſeu cantas; tibi Muſæ in pectore cantant:
  Sive taces; tacito ridet in ore lepos;
Si graderis; placido non dura modeſtia vultu
  Eſt comes, & dulcis cum gravitate modus.
Blandus honos veſtem furtim componit, ovanſque
  Te circum plena ludit Amor pharetra.
Fronte decor, ſedet ore fides, in pectore candor·
  Inque tuis omnes ſunt oculis Veneres.
Sic nos devincis, nec vinctos Bembe relaxas:
  Sic te quiſquis adit m. x tua philtra bibit.
Fruſtra ad te florem Cylleni ferret Ulyſſes;
  Sed pro te optaſſet linquere vel patriam,

In Panatium Pandothium.

Tantus amor tuus eſt in me, tamque omne Panæti
  Exemplum veteris vincis amicitiæ:

Ut

Ut tibi collatus juvenis Phocæus Oreſten
  Oderit, & ſpernat Theſea Pirithous:
Sicanium Pyladen credatur fallere Damon,
  Vixque bonum frænis Caſtora frater amet.
Non tu unam pro me mortem, ſed mille ſubires;
  Pro me Siſyphium non fugeres lapidem.
Nunc ſolum hoc tanto refero mercedis amori,
  Quod me abs te ſolo victum in amore puto.

In Simonettam.

Dum pulchra effertur nigro Simonetta feretro,
  Blandus & exanimi ſpirat in ore lepos,
Nactus Amor tempus quo non ſibi turba caveret,
  Jecit ab occluſis mille faces oculis:
Mille animos cepit viventis imagine riſus,
  Ac morti inſultans: eſt mea, dixit adhuc.
Eſt mea, dixit, adhuc: nondum totam eripis illam:
  Illa vel exanimis militat ecce mihi.
Dixit, & ingemuit; neque enim ſatis apta triumphis
  Illa puer vidit tempora, ſed lacrimis.

In eamdem.

Cum Simonetta decens media jam morte labaret.
  Mors illi quidam jam prope, dixit, adeſt.
Suſtulit illa graves oculos, nec territa dixit.
  Hanc animam nobis qui dedit accipiat.
Hactenus, & tacuit: repete hic ævum omne vetuſtas:
  Nil par huic animo, quod referatur, habes.

In eamdem.

Hic Simonetta jacet, jacet hic ſimul omnis Amorum
  Turba, jacent omnes Deliciæ, & Veneres.

In Archeanaſſam, Platonis. è Græco.

Archeanaſſa mihi meretrix Colophonia nunc eſt,
  Cujus & in rugis inſidet acer amor.

Ah miſeri a prima tetigit quos illa juventa
  Igne ſuo: medii vos rapuere rogi.

Sapphus Epitaph. in Timaden. e Græco.

Timados hic pulvis, quæ dulces ante Hymenæos,
  Excepta eſt nigro Perſephones thalamo.
Illius heu fato, cunctæ de vertice amatam
  Æquales ferro ſubſecuere comam.

Antipatri, in Homerum, e Græco.

Trojam canens, Homere, flammis erutam,
  Urbes gravi livore ſtantes concutis.

Ad Galeottum Principem Faventinum.

Cur promiſſa tibi tuus poëta
Nondum præſtiterit, rogas? poëta eſt.

In Ptolemæi Geographiam e Græco.

Si cœlum e terra ſpectes, cœlum omne videbis:
Si terram e cœlo, penitus tibi terra patebit.
Nunc terram penitus cernis, cœlum eſſe putato.

In Herculem, & Antæum e Græco.

Incaluere animis dura certare palæſtra
  Neptuni quondam filius, atque Jovis.
Nec certamen erant operoſo ex ære lebetes;
  Sed quod vel vitam, vel ferat interitum.
Occidit Antæus: Jove natum vincere fas eſt:
  Eſtque magiſtra Pales Græcia, non Libya.

In Nioben Lapidem.

Hoc eſt ſepulchrum intus cadaver non habens,
Hoc eſt cadaver, & ſepulchrum non habens,
Sed eſt idem cadaver, & ſepulchrum ſibi.

In

In Mabilium minitantem novum ſe fulgur, veroſque tonitrus miſſurum.

Quod fulgur mihi te novum Mabili
Miſſurum, & tonitrus minere veros,
Nil eſt: novimus hos neque eſſe fictos;
Nam veros tuus eſſe odor probavit.

In eumdem.

Si jam carmina noſtra te Mabili
Urgent ad laqueum miſer, crucemque,
Ne, quæſo, propera mori, tuum ne
Fraudes carnificem ſuo lucello.
Namque eſt percupidus tui, ac libenter
Is tantum tibi dempſerit laboris.
Qui? noſtin' hominem? negas; at idem eſt
Aurem qui ſecuit tibi ſiniſtram.

In Mabilii inertem maledicentiam.

Ore tibi pauci, ſed nulli in carmine dentes
Cum ſint, atque illi ſint, & putridi & veteres:
Allatras, ut cum nequeas mordere Mabili,
Latratu oſtendas te tamen eſſe canem.

In Mabilium, quod perturbatus reſpondeat.

Iratus nimium es nobis, ſed jure, Mabili:
Urgeris noſtris jam, puto carminibus.
Ipſe jocor tecum ridens, ſed jure, Mabili:
Quis non rideret carmina, quæſo, tua?

In Mabilium responſum.

Quod naſum mihi, quod reflexa colla
Demens obiicis, eſſe utrumque noſtrum
Aſſertor veniam vel ipſe: nam me
Nil naſutius eſt, ſagaciuſque,
In te dum liceat vibrare naſum.
Nam quis te rogo ſic inelegantem,
Inſulſum, illepidum videns, ineptum,
Verſus ſcribere prorſus infacetos,
Non centum cupiat ſibi eſſe naſos?
Centum rhinocerotas, atque barros,
Ronchos, auriculas, ciconiaſque
Cum ſplene, & petulantibus cachinnis?
Condas te in putidum licet lupanar,
Mergas te in mediis licet cloacis,
Non cedas olidâ licet latrina,
Quoquo diffugias pavens Mabili,
Noſtrum non poteris latere naſum.
Prendam te miſer, utque trux moloſſus
Frangam dentibus imbecille tergum.
Sed naſus ſupereſt tibi Mabili,
Curtus, dimidiatus, oſſeuſque,
In quo pulypus eſurit vel ipſe,
Quo cimex poſuit ſibi cubile,
Quo tutas culices habent latebras,
Qui jam pervius eſt aduſque frontem,
In quo nidificare veſpa poſſit,
Qui neutro patet indecens hiatu,
Clauſus ſentibus hic quibus! ſed ille
Plenus caſſibus eſt araneorum.
Sed quid te cruciat, reflexa colla
Si interdum gero? num parum videtur,
Si pronos ſtatuis tuos cinædos?
Si pronum ſtatuent miſer Mabili
Mox te carnificis manus, velut nunc
Pronum te ſtatuunt mutoniati?

Atqui tu reſupina colla demens
Poſthac deſine jam mihi exprobrare.
Nam qui pronus obambulas popinas,
Spurcatum caput erigas libenter,
Si pondus ſinat herniæ Mabili.

In Violas a Venere ſua dono acceptas.

Molles o violæ, Veneris munuſcula noſtræ,
Dulce quibus tanti pignus amoris ineſt.
Quæ vos quæ genuit tellus? quo nectare odoras
Sparſerunt Zephyri, mollis & aura comas?
Vos ne in Acidaliis aluit Venus aurea campis?
Vos ne ſub Idalio pavit Amor nemore?
His ego crediderim citharas ornare corollis
Permeſſi in roſeo margine Pieridas.
Hoc flore ambroſios incingit Flora capillos,
Hoc tegit indociles Gratia blanda ſinus:
Hæc Aurora ſuæ nectit redimicula fronti.
Cum roſeum verno pandit ab axe diem.
Talibus Heſperidum rutilant violaria gemmis:
Floribus his pictum poſſidet Aura nemus:
His diſtincta pii ludunt per gramina manes,
Hos fœtus vernæ Chloridos herba parit.
Felices nimium violæ, quas carpſerit illa
Dextera, quæ miſerum me mihi ſubripuit.
Quas roſeis digitis formoſo admoverit ori
Illis unde in me ſpicula torquet Amor.
Forſitan & vobis hæc illinc gratia venit;
Tantus honor dominæ ſpirat ab ore meæ.
Adſpice lacteolo blanditur ut illa colore.
Adſpice purpureis ut rubet hæc foliis.
Hic color eſt dominæ, roſeo cum dulce pudore
Pingit lacteolas purpura grata genas.
Quam dulcem labris, quam late ſpirat odorem?
En violæ in vobis ille remanſit odor.
O fortunatæ violæ, mea vita, meumque
Delicium, o animi portus, & aura mei!

A vo-

A vobis ſaltem violæ grata oſcula carpam,
  Vos avida tangam terque quaterque manu.
Vos lacrimis ſatiabo meis, quæ mœſta per ora,
  Perque ſinum vivi fluminis inſtar eunt.
Combibite has lacrimas, quæ lentæ pabula flammæ
  Sævus amor noſtris exprimit ex oculis.
Vivite perpetuum violæ, nec ſolibus æſtus,
  Nec vos mordaci frigore carpat hiems.
Vivite perpetuum miſeri ſolamen amoris,
  O Violæ, o noſt i grata quies animi.
Vos eritis mecum ſemper, vos ſemper amabo,
  Torquebor pulchra dum miſer a domina;
Dumque Cupidineæ carp nt mea pectora flammæ:
  Dum mecum ſtabunt & lacrimæ, & gemitus.

Ode ad Alexandrum Curteſium Adoleſcentem bene litteratum, qui ut Politianum videret Florentiam petierat, cum ille ſe commodum in Caſaſolanum contuliſſet.

Nil me jam patula juvat
  Sævo lethiferum lumine Sirium
Devitare ſub ilice,
  Exceptum torulo gramineo caput
Bullantem prope rivulum.
  Jam ſordet tremulo murmure palpitans,
Illabens aqua calculis.
  Longis Dauliados garrula queſtibus,
Jam ſordent aviaria.
  Nil blandum eſt oculis, nil placet auribus.
Odi rura, nemus, cavam
  Et vallem, & Zephyros, & gelidos ſpecus.
O qui mœnibus inferat
  Jam me, o qui medio ſiſtat in atrio
Urbani cupidum laris
  Curteſi! o placido qui locet in ſinu!
Cur mi non teneros datur
  Totis verſiculos imbibere auribus

Co-

Coram dulciter aſperos!
  Cur dextræ cupidam jungere dexteram!
Tu me dulcis amicule,
  Tu viſum propera: o ſæva neceſſitas.
O cur frangere compedes,
  Detrectare mihi cur juga non licet?
Sed quid fundere jam juvat
  Nequicquam ad ſuperos tot querimonias?
Sors cuique eſt ſua, cœlitus
  Dependens homini, quinetiam Jovem
Urget dura neceſſitas.
  Quod Parcæ annuerint, haud revocabile eſt.

In poſte cubiculi ſui.

Blanda quies habitet, duri procul eſte labores.

In cubiculo pro Julio Salviato.

Pectoris interpres, genii domus, hoſpita curis,
  Cellula ſum domini conſcia deliciis.
Hic faciet te Juno patrem, Cytherea maritum,
  Libertas regem, ſemideumque ſopor.

E Græco Theocriti.

Pulchra quidem nobis haud primis pulchra videntur.

Ex eodem verſum.

Et vanis in baſiolis jucunda voluptas.

Ex eodem verſum.

Ipſa dies nunc eſt genitrix, nunc ſæva noverca.

Ex Heſiodo verſum.

Conſilio perit ipſe ſuo conſultor iniquus.

In leges, extemporale.

Inventum Actæi dicuntur jura Draconis:
  Vera eſt fama nimis; nil niſi virus habent.

In

De Ovidii exilio, & morte.

Et jacet Euxinis vates Romanus in oris:
Romanum vatem barbara terra tegit.
Terra tegit vatem, teneros qui luſit amores,
Barbara, quam gelidis alluit Iſter aquis;
Nec te Roma pudet, quæ tanto immitis alumno
Pectora habes ipſis barbariora Getis?
Ecquis jo Muſæ Scythicis in finibus ægro
Tædia qui morbi demeret; ullus erat?
Ecquis frigidulos qui lecto imponeret artus,
Aut qui dulciloquo falleret ore diem?
Aut qui tentaret ſalientis tempora venæ,
Aut fomenta manu qui properata daret.
Conderet aut oculos media jam morte natantes
Aut legeret ſummam qui pius ore animam?
Nullus erat, nullus; veteres tu dura ſodales
Heu procul a Ponto Martia Roma tenes.
Nullus erat; procul ah conjux, parvique nepotes,
Nec fuerat profugum nata ſequuta Patrem.
Scilicet immanes Beſſi, flavique Coralli
Aut vos pelliti ſaxea corda Getæ
Scilicet horribili dederit ſolamina vultu
Sarmata ab epoto ſæpe vehendus equo,
Sarmata cui rigidam demiſſo in lumina frontem
Mota pruinoſo tempora crine ſonant.
Sed tamen & Beſſi extinctum, & flevere Coralli,
Sarmataque, & durus contudit ora Getes.
Extinctum & montes flebant ſilvæque, feræque
Et fleſſe in mediis dicitur Iſter aquis.
Quin etiam pigro concretum frigore Pontum
Nereidum lacrimis intepuiſſe ferunt.
Accurrêre leves Paphia cum matre volucres,
Arſuroque faces ſuppoſuere rogo.
Quem ſimul abſumpſit rapidæ violentia flammæ,
Relliquias tecto, compoſuere cado.

Im-

Impoſitumque brevi ſignarunt carmine ſaxum:
  Qui jacet hic teneri doctor amoris erat:
Ipſa locum latè ſancto Cytherea liquore
  Irrorat nivea terque quaterque manu.
Vos quoque Pierides vati libaſtis adempto
  Carmina, ſed noſtro non referenda ſono.

Thomæ Baldinotto.

Si quiſquam Hippotaden, Boreamq· Eurumq; frementem
  Flexit Hyantæi carminis eloquio;
Aut ſi floriferæ Cyclopa e montibus Hyblæ
  Sirenes ſolitæ ducere carminibus.
Nempe adamanteo fuerit ſi pectore: vel ſi
  Saxum habeat, vel ſi ferrea corda gerat:
Septa Meduſeis videat ſi colla colubris,
  Qualia Cephine, qualia vidit Atlas.
Audiat hic fors tua dulcia carmina; Thoma,
  Optet ab Ægeis currere verticibus.
Optet anhelanti cœlum tranſmittere penna,
  Optet ab extremis currere Gangaridis,
Multos fama trahit, multos tua carmina; quoſdam
  Natura æthereo mitis amore trahit.
Ah ego quantum auſim: liceat ſi forte ſonantis
  Aonio cantum ſpargere monte lyræ.
Non Zethes, Calaiſque leves, non callidus Argûs
  Vector, non Danaës filius aurigena.
Non Auræ, aut Volucres ſuperent: proh triſtia fata!
  Sic fors mortales imperioſa domat.
Tu tamen Argolicum dum carmine tollis Homerum,
  Quam merito vati munera digna refers!
Perge igitur: mox laurigero ſublimior œſtro
  Aggredere Aonia fortia bella tubâ.
Jamque vale, & noſtrum ſerva ſub pectore amorem,
  Ut Capitolino priſca Camœna Jovi.

In Theodorum Gazam.

Heu ſacrum caput occubuit Theodorus, & hora
Una obiere omnes relliquiæ generis.
Nec tamen hoc querimur; nimis eſt potuiſſe videri;
Non etenim hic noſtro tempore dignus honos.
Hoc dolet heu, quod neutra patri eſt nunc lingua ſuper-
Quæ mittat juſtas Manibus inferias. (ſtes,

In eumdem.

Cum terram hinc noſſet Theodorus, & aëra, & undas,
Jam reſtant, inquit, ſidera; terra vale.

In ſomnos:

O mihi quanta datis fallaces gaudia, Somni!
Invideo Endymion Latmia ſaxa tibi.
Jam ſi nil ſopor eſt, gelidæ niſi mortis imago:
Omnia mors ſuperat gaudia; vita vale.

Baſſo.

Baſſe, licet veterum monimenta revolvat avorum,
Vix quem fama tibi conferat inveniet.
Omnia nam tibi ſunt fuerant quæ ſingula priſcis,
Feciſſet triplex qualia vix Erilus.
Tu mittis Lydos æterna in ſæcula faſtos,
Tu conferre audes cum Cicerone manum.
Tu brevibus claudis laſciva epigrammata chartis,
Et tener exiguos ludis amans Elegos.
Idem & Pindaricos gaudes recludere fontes,
Ut Venuſina tibi barbitos adſtupeat.
Ecce Syracoſias tentas inflare cicutas,
Non jam hic in ſilvis Tityrus unus erit.
Jam chaos antiquum, primamque evolvere molem
Incipis, & grandi protinus ore tonas.
Jam Maro te torva reſpeſtat fronte, ſecundum
Jam pavet & ſceptris gloria priſca ſuis.

Ut-

Utque intret biferi ſi virgo roſaria Pæſti.
  Quam primo carpat vix ſciat illa roſam:
Sic tot fama tuæ cernens miracula laudis,
  Palmam cui primum deferat, in dubio eſt.

Eidem.

Carmina cum Baſſo deberem, carmina miſi;
  Rettulit ille meis carmina carminibus,
Qualia ſub denſis volucris nec Daulias umbris,
  Eridani in ripis nec canit albus olor.
Sic ſua cum Lycio donaſſet ahenea Glauco,
  Aurea Tydides rettulit arma domum.

In Argum.

Quid tibi vis gelidos ſervans vigil Arge liquores?
  Quid nitidum ad fontem ferre gradum prohibes?
Obſcœnos hinc pelle ſues, armenta, feraſque:
  Non peto membra iſtis fontibus abluere:
Non lymphas turbare paro: da tingere fauces:
  Exiguo liceat rore levare ſitim.
Hoſtibus hoc Langia dedit: potumque vetantes
  Ruricolæ, in nigro gurgite nunc ſaliunt:
Quid quod adeſt æſtas? quid quid ſitis ipſe, volenſque
  Supplicio infelix Tantaleo frueris?
Iſta quidem dives, ſed non eſt vena perennis:
  Jam cuſtoditas perbibet æſtus aquas.
Quod ſerves nil poſtmodo erit, quid inepte moraris?
  Unda perit: bibe tu, vel ſine quæſo bibam.

In Lalagen.

Lætior ut cervus protracto naribus angui
  Exuit annoſo cornua cum ſenio:
Aurea Callaicis ut nuper dempta caminis
  Lamna repercuſſo dulcius igne tremit.
Pulchrior Eois ut Phoſphorus emicat undis,
  Phoſphorus Idaliæ fax adamata Deæ:

Sic mea frigidulo nuper languore ſoluta
  Purpureo Lalage fulgurat ora magis.
Adſpice ſidereis ut blandum arridet ocellis,
  Utque ſub his geminam lampada quaſſat amor.
Aureoli ut ludunt per lactea colla capilli,
  Quantus in explicita fronte ſuperbit honos.
Quam non mortalem ſe fert? quæ hæc ora manuſque?
  O Superi? anne Jovis dignor ulla thoro?
Nunc lacrimæ, nunc ipſa juvant ſuſpiria: ſed tu
  Quam mage formoſa es, tam mage mitis ades.
Omnibus ante aliis, nunc te quoque pulchrior ipſa es,
  Deque avida volucer febre triumphat Amor,
Sed tu ne poſthac per tanta pericula formam
  Quæſieris metam contigit illa ſuam.
Pulchrior eſſe nequis vel ſi potes; æquius eſt te
  Jam Lalage, noſtris parcere luminibus.
Vix te, vix talem ferimus: quod ſi auxeris illam,
  Fiam ego, qui nunc ſum nil niſi flamma, cinis.

Ad Laurentium, pro Sacerdotio accepto in templo Divi Pauli, cum adhuc ſub judice lis eſſet.

Gratatur, Laurens, venienti nuper in urbem
  Quantum hominum tota vivit in urbe mihi,
Utque omnes taceam, ſtudium quos copulat, aut tu,
  Quoſque vetus nobis vinxit amicitia:
Caupo, auceps, lanius piſtor, cocus, inſtitor urgent,
  Hinc me ungit tactu fartor, at inde cocus.
Hic me veſte trahit, hinc baſior, inde ſalutor,
  Occurro his vultu, lumine, voce, manu.
Gratamur, Paulum quod habes, vox omnibus hæc eſt:
  Non habeo Paulum, dico: quid ergo? nihil.

In Floram.

Plectron habet citharæ mea Flora, & plectron Amoris:
  Hoc mentem plectro percutit, hoc citharam.

Ah miſerum, ſi cui dura eſt, ſi quem adſpicit illa,
Alter is Anchiſes, alter Adonis erit.

In invidam.

Carpit libellos invidus meos quidam,
Gibber, puſillus, criſpulus, macer, blæſus.
Meos libellos, meque (ſi libet) carpat,
Et calcet, & commingat: hæc feram cuncta:
Dum nec libellos invidus meos iſte
Gibber, puſillus, criſpulus, macer, blæſus,
Nec me auſit unquam baſiare: cur? fellat.

In equum Laurentii Medicis.

Et volucrem, & Zephyros curſu prævertitur ipſos.
Quem tibi miſit equum barbara, Laure, Nomas.
Ceſſerit huic pavidas ſubmittens Pegaſus alas,
Jamque Deo parens Cyllarus Oebalidæ.
Hunc aut carceribus, aut meta cernere in ipſa
Laure licet, medio non licet in ſtadio.

Domitii Calderini Veronenſis Epitaphion.

Hunc Domitî ſiccis tumulum qui tranſit ocellis,
Vel Phœbo ignarus, vel male gratus homo eſt.
Intulit hic vatum cæcis pia lumina chartis,
Obſtruſum ad Muſas hic patefecit iter,
Hunc Verona tulit, docti patria illa Catulli.
Huic lethum, atque urnam Roma dedit juveni.

Donati Acciajoli.

Donatus nomen; patria eſt Florentia; gens mi
Acciajola domus; clarus eram eloquio.
Francorum ad regem patriæ dum orator abirem,
In ducis Anguigeri mœnibus occubui.
Sic vitam impendi patriæ, quæ me inde relatum
Inter majorum nunc cineres ſepelit.

Campani.

Ille ego laurigeros cui cinxit & infula crines
Campanus, Romæ delicium, hic jaceo.
Mi joca dictarunt Charites, nigro ſale Momus,
Mercurius niveo, tinxit utroque Venus.
Mi joca mi riſus placuit; mihi uterque Cupido.
Si me fles, procul hinc quæſo, viator abi.

De Domitio & Marſilio.

Audit Marſilius miſſam: miſſam facis illam
Tu Domiti: magis eſt relligioſus uter?
Quis dubitet? tanto es tu relligioſior illo,
Quanto audire minus eſt bona, quam facere.

Ad Gentilem Epiſcopum.

Gentiles, animi maxima pars mei,
Communi nimium ſorte quid angeris?
Quid curis animum lugubribus teris,
Et me diſcrucias ſimul?
Paſſi digna quidem perpetuo ſumus
Luctu, qui mediis (heu miſeri) ſacris
Illum, illum juvenem vidimus, o nefas!
Stratum ſacrilega manu.
At ſunt, attonito quæ dare pectori
Solamen valeant plurima: nam ſuper
Eſt qui vel gremio creverit in tuo
Laurens Etruriæ caput:
Laurens quem patriæ Cælicolum pater
Tutum terrifica Gorgone præſtitit.
Quem Tuſcus pariter, quem Venetus Leo
Servant, & draco pervigil.
Illi bellipotens excubat Hercules,
Illi fatiferis militat arcubus.
Illi mittit equos Francia Martios,

Fe-

Felix Francia regibus.
Circunſtat populus murmure diſſono:
Circunſtant juvenem purpurei patres:
Cauſſa vincimus, & robore militum.
Hac ſtat Juppiter, hac favet.
Quare, o, cum miſera quid tibi nænia,
Si nil proficimus? quin potius gravis
Abſterſiſſe bono lætitiæ die
Audes nubila pectoris.
Nam cum jam gelidos umbra reliquerit
Artus, non dolor hanc perpetuus retro,
Mordaceſve trahent ſollicitudines,
Mentis curaque pervicax.

In Amicam.

Allicis, expellis; ſequeris, fugis; es pia, & es trux:
Me vis, me non vis; me crucias, & amas.
Promittis, promiſſa negas, ſpem mi eripis, & das:
Jamiam ego vel ſortem Tantale malo tuam.
Durum ferre ſitim circum ſalientibus undis;
Durius in medio nectare ferre ſitim.

In Domitium.

Adſta viator, pulverem vides ſacrum,
Quem vorticoſi turbat unda Benaci.
Hoc mutat ipſum ſæpe Muſa Libethron:
Fontemque Siſyphi, ac vireta Permeſſi.
Quippe hoc Domitius vagiit ſolo primum,
Ille ille doctus, ille quem probe noſti
Dictata dantem Romulæ juventuti,
Mira eruentem ſenſa de penu vatum.
Abi viator, ſat tuis oculis debes.

Ad Franciſcum Diſtichon.

Scripſit in Invidiam quidam Franciſce poëta,
Tam bene, tam docte, nullus ut invideat.

In Amorem Arantem, ex Græco Moſchi.

Peram humeris habilem, poſito nunc induit arcu,
  Et poſita baculum lampade ſumpſit Amor:
Subque jugum miſſos ſtimulo citat ecce juvencos
  Improbus, & cultæ ſemina mandat humo:
Suſpicienſque polos; imple, inquit, Juppiter arva,
  Ne cogam Europæ juga ferre bovem.

Innocentio VIII. Pont. Max.

Si quod arcanis Helicon ſub umbris
Carmen intactum fidibus priorum
Parturit, ſaxis iterum audiendum,
    Arboribuſque,
Quale nec triplex Achelois auſa eſt
Cautibus virgo reſidens marinis,
Nec puer Phœbi Ciconum remoto
    Dicere in antro.
Illud attritas repetita chordas
Barbitos docto moduletur arcu,
Dulcis interpres animi, piæque
    Conſcia mentis.
Namque te rerum caput Innocenti
Turpe vulgato ceciniſſe plectro eſt,
Cujus aurata triplices refulgent
    Fronte coronæ.
Roma cui paret, dominuſque Tibris,
Qui vicem ſummi geris hic Tonantis,
Qui potes magnum reſerare, & idem
    Claudere cœlum.
Blanda cui vultu gravitas ſereno
Ridet, inviſos abigitque faſtus,
Mitis & celſi radios poteſtas
    Temperat oris.
Sponte ſublatos verecunda faſces
Deprimit virtus, apicata triſti

Nu-

Nube majeſtas caret, & decoro eſt
 Splendida cultu.
Ergo formoſam redit in juventam,
Seque jam lætos parat ad triumphos
Roma, ſeptenos hilarata colles
 Præſide tanto.
Urbſque quæ Phryxi ſpeculatur undas,
Exuet ſævas propere catenas,
Ac ſuas nobis opulenta palmas
 Mittet Idume.
Quippe concordes animos, manuſque;
Devovent reges tibi, ſeque ad arma
Concitat, Turci ſitiens cruoris
 Veſper & Arctos.
Scilicet tales meditatus annos
Juppiter feſſo comes it parenti.
Quo tibi felix ſimul, atque fauſtum
 Proroget ævum.

In fontem Ungari Regis.

Uſque Fluentina vectum eſt hoc marmor ab urbe,
 Matthiæ ut regi largior unda fluat.

In eumdem.

Tuſca manus, Tuſcum marmor, Rex Ungarus auctor:
 Aureus hoc Iſter ſurgere fonte velit.

In Ciccham Senenſem.

Mnemoſyne audito Senenſis carmine Cicchæ
 Quando, inquit, decima eſt nata puella mihi?

In fontem Laurentii Medicis Ambram.

Ut furtiva ſuo furtim daret oſcula lauro,
 Ipſa ſibi occultas repperit Ambra vias.

In eumdem.

Traxit amatrices hæc uſque ad limina Nymphas.
 Dum jactat Laurum ſæpius Ambra ſuum.

Ad Laurentium Medicem juniorem epiſtola pæne extemporanea.

Quæ petis omnifera Laurenti dulcis ab Ambra
  Carmina, præpoſita mitto ſalute tibi.
Ille domi veſtræ tenero nutritus ab ungui:
  Sed tuus ante omnes Politianus amor.
Si quid agam quæris: valeo, ruriſque benigni
  Seceſſu gaudens otia lenta tero.
Et modo paſcentes ſpeculor de colle juvencas,
  Nunc repeto ductus proſilientis aquæ:
Jactaque magnificæ miror fundamina villæ,
  Sæpe fruor ſtudio, verſiculiſque meis:
Aut ego florentem moneo, ne ceſſet, alumnum;
  Ardua Pieridum per juga ferre gradus.
Aut varias cantu procul alliciente volucres
  Captamus, viridi tectus uterque caſa:
Te tamen abſentem mea mens, oculique requirunt,
  Et deſiderio torqueor uſque tui.
Nam puerum juvenis (potes hoc meminiſſe) colebam,
  Qui nunc te juvenem vir quoque factus amo.
Indolis iſtius jam tum præſagia vidi,
  Scilicet & vatem vera monebat avis.
Viderat hæc eadem, pueri cognomine gaudens,
  Publica res uno quo ſtabilita manet:
Cum ſibi te comitem lugubria patris habentem,
  Seu pede ducebat, ſive iter eſſet equo:
Exemploque ſui ſtudium probitatis alebat,
  Ne labes annos tangeret ulla rudes.
Ergo a ſe factis fruitur quoque moribus auctor,
  Judicioque ſibi jam placet ipſe ſuo.
Quare aut Pontificem magnis de rebus adire,
  Atque galeritos te jubet ille patres.
Aut ſua dat Gallo regi mandata referre,
  Imponitque humeris pondera tanta tuis.
Nam tibi, nec gravitas, nec amicæ gratia frontis,
  Nec deeſt proceri verticis altus honor:

In-

Ingeniumque capax, & par civilibus actis,
  Quæque animi largas lingua miniſtret opes.
Judice cum facias & Apolline carmina primus,
  Prima favore tamen noſtra Thalia tuo eſt!
Utque liguſtra novo ſuperas candore, nivemque
  Præfers carminibus carmina noſtra tuis.
Neve meæ pereant cura eſt tua maxima nugæ,
  Cogis & invito me patre ferre diem.
Neve nihil ſcribam, blande nova carmina poſcis,
  Officioque foves qualiacunque pio.
Et nunc quæ magnum longe teſtentur Amorem,
  Scripta repentino fuſa calore damus:
Non ut ab his noſtrum cenſeri debeat orſis
  Ingenium ſumma deficiente manu:
Sed tamen ut ſtudium vatis tibi conſtet amici,
  Lapſa putes animo nec tua dicta meo.

Ad Juventutem.

Jam cornu gravidus præcipitem parat
Afflatus ſubitis frigoribus fugam
  Autumnus pater, & deciduas ſinu
    Frondes excipit arborum.
Cantant emeritis, Bacche, laboribus
Te nunc agricolæ; ſed male ſobrios
  Ventoſæ querulo murmure tibiæ
    Saltatu ſubigunt frui.
Nos anni rediens orbita ſub jugum
Muſarum revocat dulce ferentibus,
  Porrectiſque monent ſidera noctibus
    Carpamus volucrem diem,
I mecum, docilis turba, biverticis
Parnaſſi rapidis per juga paſſibus;
  Expers quo ſenii nos vocat, & rogi
    Conſors gloria Cœlitum.
Nam me ſeu comitem, ſeu juvenes ducem
Malitis, venio: nec labor auferet
  Quærentem tetricæ difficili gradu
    Virtutis penetralia.

In Bartholomæum Scalam.

Hunc quem videtis ire faſtoſo gradu
  Servis tumentem publicis,
Vel hinniente per forum vehi capax
  Equo, quod omnes deſpuant:
Turbam ſuperbo præterit faſtidio
  Qui civium ſtomachantium,
Gravique cunctos ora torquentes retro
  Deſpectat inſolentia:
Intraque tutum mœnibus pomerium
  Agros patentes poſſidet;
Villamque dives publico peculio
  Inſanus urbanam ſtruit,
Ubi otietur inter obſcœnas lupas,
  Ne turpiora dixerim:
Ubi ampla pergræcetur inter pocula,
  Senex podagra rancidus.
Hunc vos putatis ſtirpe forſan inclita,
  Virtutis aut inſignibus
Ad hoc volaſſe protinus faſtigium?
  Falſum putatis, hoſpites.
Molas hic inter natus eſt aquaticas.
  Nigris ſodalem muribus
Fortuna ludens furfuris plenum tulit
  Ad uſque ſupremos gradus,
Monſtrare gaudens, arroget quantum ſibi
  Mortalis impudentia.
Ergo iſte, tantis arduus ſuffragiis,
  Nunc immemor natalium;
Ut quemque longo ſtemmate clarũ videt,
  Aut dote rara nobilem;
Triſti veneno ſpargit, & rodit ſtatim
  Rubiginoſis dentibus.
Non ipſe ſe, fortuna non ipſum capit
  Aura favoris ebrium:

Sic

Sic culmen altum lubrico premens pede,
Ventiſque turbidis patens,
Caſurus uſque nutat, & jamjam cadet:
Sed non *gradatim* ſcilicet.

In invidum, carmen.

Quiſquis es obſcuro vatem qui dente laceſſis
Majorem triſti degener invidia,
Uſque late, lucemque pave, blattarius auctor.
Lividior Græcis, barbariorque tuis
Quoſque fames opicis ad nos emiſit Athenis.
Hos audi: gens eſt auribus apta Midæ.

De ſeipſo ſemper amante.

Sex ego cum plena perago trieteride luſtra,
Nec placet in ſpeculo jam mea forma mihi:
Nec reſponſurum ſpes improba fingit amorem,
Blanditiſque levem ſuſpicor eſſe fidem:
Cum tamen hæc ita ſint, capior miſer illice vultu.
Et numquam a dura compede ſolvor amans.
Jamjam militia noſtræ contenta juventæ
Deſinat, aut ceſton commodet alma Venus.

De Alcone, & Serpente.

Vidit ut implicitum puero pater anxius anguem,
Intendit dubia cornua flexa manu:
Inque feræ fauces calamum ſic torſit, ut audax
Terruerit natum non minus angue ſenex.
Sed numquam pius errat amor: puer hoſte perempto
Salvus erat: ſtupuit morte dirempta ſalus.
Victor ab hac pharetram quercu ſuſpendit, & arcum,
Fortunæ, atque artis quæ monumenta ſuæ.

In puellam.

Nix ipſa es virgo, & nive ludis: lude, ſed ante
Quam pereat candor, fac rigor ut pereat.

Ad

Ad Fures.

Ite alio fures, nulla hic occaſio lucri:
  Nam fida eſt cuſtos addita pauperies.

Ad hirundinem nidificantem ſub Medeæ ſtatua.

Medeæ ſtatua eſt, miſella hirundo,
Sub qua nidificas: tuos nè credas
Huic natos, rogo, quæ ſuos necavit?

De lauro ſecuri cæſa.

Cum Mars Daphne ſe miſcuit,
Apollo tunc ubi fuit?

Diſtichon.

Spem ſimul, & Nemeſin poſita dicat Eunus in ara,
  Scilicet ut ſperes omnia, nil habeas.

In oleam vitibus implicatam e Græco.

Quid me implicatis palmites
  Plantam Minervæ non Bromi?
  Procul racemos tollite,
  Ne virgo dicar ebria.

Epitaphium.

Stirpe fui, forma, natoque, opibuſque, viroque
  Felix ingenio, moribus, atque animo:
Sed cum alter partus jam nuptæ ageretur, & annus,
  Heu nondum nata cum ſobole interii.
Triſtius ut caderem, tantum mihi Parca bonorum
  Oſtendit potius perfida, quam tribuit.

Joan.

Joannæ Albieræ uxori incomparabili Laurentius Tornabonus. poſ. B M in fonte Baptiſmatis Florentiæ.

Quidquid ab antiqua manavit origine morbi,
Purgabunt iſtæ (ſi modo credis) aquæ.

In Michaëlem Verinum.

Verinus Michaël florentibus occidit annis;
Moribus ambiguum major, an ingenio.
Diſticha compoſuit docto miranda parenti,
Quæ claudunt gyro grandia ſenſa brevi.
Sola venus poterat lento ſuccurrere morbo.
Ne ſe pollueret, maluit ille mori.
Sic jacet, heu patri dolor, & decus: unde juventus
Exemplum; vates materiam capiant.

In Daphnen.

Complexus virides frondoſæ virginis artus,
Sic quoque mutata, dixit Apollo, fruar.
Utque novas guſtu baccas tentavit: eamdem
Hei mihi ſervat, ait, nunc quoque amaritiem.

Angeli Politiani in Divam Virginem hymnus numeris lege ſolutis.

O Virgo prudentiſſima
Quam cœlo miſſus Gabriel
Supremi regis nuntius
Plenam teſtatur gratia:
Cujus devota humilitas
Gemmis ornata fulgidis
Fidentis conſcientiæ
Amore Deum rapuit.
Te ſponſam factor omnium

Te matrem Dei filius
Te vocat habitaculum
Suum beatus ſpiritus.
Per te de tetro carcere
Antiqui patres exeunt:
Per te nobis aſtriferæ
Panduntur aulæ limina.
Tu ſtellis comam cingeris,
Tu lunam premis pedibus,
Te ſole amictam candido
Chori ſtupent angelici.
Tu ſtella maris diceris,
Quæ nobis inter ſcopulos,
Inter obſcuros turbines
Portum ſalutis indicas.
Audi Virgo puerpera,
Et ſola mater integra;
Audi precantes quæſumus
Tuos Maria ſervulos.
Repelle mentis tenebras:
Dirumpe cordis glaciem,
Nos ſub tuum præſidium
Confugientes protege.
Da nobis in propoſito
Sancto perſeverantiam,
Ne noſter adverſarius
In te ſperantes ſuperet:
Sed & cunctis fidelibus,
Qui tuum templum viſitant,
Benigna mater dexteram
Da cœleſtis auxilii. Amen.

Alius Hymnus ejuſdem.

Ecce Ancilla Domini,
Quam pater ipſe omnipotens
Elegit ante ſæcula
Quietum tabernaculum.

Ec-

Ecce cui ſacras nuptias
  Fortis indixit Angelus:
  Ecce quam ſanctus Spiritus
  Alto replevit numine.
Ecce Virgo concipiens
  Intacta Dei genitrix,
  Ecce Jeſſæa virgula,
  De qua flos pulcher emicat.
Huc huc omnes accurrite
  Emanuelem viſere,
  Quem jacentem præſepio
  Bos adorant, & aſinus.
Cujus natali jubilant
  Celſi regis exercitus,
  Et magnum nocte gaudium
  Adnuntiant paſtoribus.
Videte ſtellam præviam
  Sanctis Eois regibus,
  Qui vagienti domino
  Aurum, myrrham, tus offerunt,
Heu jam tenellum ſanguinem
  Fundit ex lege veteri,
  Dum Symeonis gremio,
  Deſideratus incubat.
Videte matrem virginem
  Herodis metu pavidam,
  Latentem cum filiolo
  Ægypti regionibus.
Cernite mox ſollicitam,
  Cum puer templo diſputat;
  Cernite rurſus hilarem,
  Dum ſacras replet hydrias.
Spectate miſerabilem,
  De cruce nati pendulam,
  Commendatam diſcipulo,
  Cor ſævo fixam gladio.
Videte tandem radiis
  Magna vincentem ſidera,

Un-

Undantem plena gratia,
Splendentem clara gloria:
Regina cœli maxima,
Sanctiſſima, pulcherrima,
Suſtenta tuos ſervulos,
Defende tuum populum. Amen.

Herodianus Latinitate a Politiano donatus in laudem traductoris ſui canit hendecaſyllabum,

Qui me tranſpoſuit Politianus,
Verbis omnia reddidit Latinis,
Pulchro ſenſa reveſtiens nitore:
Mirum, tranſtulit Atticos lepores
Contextu, numeroque blandiori.
Romanus (juvat hoc) recens amictus
Concinna ſpeciem ferens ab arte,
Nobis conciliat patentiori
Gentes quæ Latium ſonant in orbe,
Ut poſthac mihi latius vagari,
In plures liceat manus venire.
Felix hiſtoriæ fides renatæ,
Felix exoriente luce tanta
Olim publica res latina ſurget.
Jam debes ſtudioſa turba plauſus:
Laudis munere gratiam referto.
Æger deſinat utiles malignis
Livor carpere dentibus labores.

Epitaphion Jocti Pictoris.

Ille ego ſum per quem pictura extincta revixit,
Cui quam recta manus, tam fuit & facilis.
Naturæ deerat, noſtræ quod defuit arti,
Plus licuit nulli pingere, nec melius.
Miraris turrem egregiam ſacro ære ſonantem,
Hæc quoque de modulo crevit ad aſtra meo.

De-

Denique ſum J. ctus: quid opus fuit illa referre?
Hoc nomen longi carminis inſtar erat.

Monodia in Laurentium Medicem, intonata per Arrighum Iſac.

Quis dabit capiti meo
Aquam? quis oculis meis
Fontem lacrimarum dabit?
Ut nocte fleam,
Ut luce fleam?
Sic turtur viduus ſolet,
Sic cycnus moriens ſolet,
Sic luſcinia conqueri.
Heu miſer, miſer.
O dolor, dolor.
Laurus impetu fulminis,
Illa illa jacet ſubito,
Laurus omnium celebris
Muſarum choris,
Nympharum choris.
Sub cujus patula coma
Et Phæbi lyra blandius,
Et vox dulcius inſonat.
Nunc muta omnia,
Nunc ſurda omnia.
Quis dabit capiti meo
Aquam? quis oculis meis
Fontem lacrimarum dabit?
Ut nocte fleam,
Ut luce fleam.
Sic turtur viduus ſolet.
Sic cycnus moriens ſolet,
Sic luſcinia conqueri.
Heu miſer, miſer,
O dolor, dolor.

Amor Fugitivus e Græco Moſchi.

Cum Venus intento natum clamore vocaret,
Si quiſquam in triviis errantem vidit Amorem:
Hic fugitivus, ait, meus · eſt pretium feret index
Baſiolum Veneris: quod ſi ad me duxeris illum;
Non ſimplex dabo baſiolum: plus hoſpes habebis.
Inſignis puer eſt: at totam agnoſce figuram:
Corpore non niveus, verum ignem imitatur; ocelli
Acres, flammeoli, mala mens, ſuaviſſima verba.
Quod loquitur non ſentit idem: vox mellea, ſed cum
Ira inflammatur, tum mens illi effera, fallax,
Fraudator, mendax, ludit crudele puellus.
Criſpulus eſt olli vertex, facieſque proterva;
Exiguæque manus procul autem ſpicula torquet,
Torquet in umbriferumq; Acheronta, & regna ſilentum.
Membra quidem nudus, mentem velatus, aviſque
More citans pennas, nunc hos, nunc advolat illos,
Sæpe viri preſſans præcordia, ſæpe puellæ.
Arcum habet exiguum, ſuper arcu impoſta ſagitta eſt.
Parva ſagitta quidem, ſed cœlum fertur aduſque:
Parva pharetra olli dependet & aurea tergo:
Sunt & amari intus calami, quibus ille protervus
Me quoque ſæpe ferit matrem: ſunt omnia ſæva,
Omnia, ſeque ipſum multo quoque ſævius angit.
Parvula fax olli, ſed & ipſum Hyperiona vincit.
Verbere, ſi prendes, age, ne miſerare puellum.
Si flentem adſpicies, ne mox fallare caveto:
Sin arridebit, magis attrahe, & oſcula, ſi fors
Ferre volet, fugito. ſunt noxia & oſcula, in ipſis
Suntque venena labris: ſi fors ita dixerit, heus tu
Accipe, nempe tibi cuncta hæc mea largior arma:
Ne quicquam attigeris, fallacia munera Amoris:
Omnia namque igni ſunt infecta illius arma.

In laudem Cardinalis Mantuani.

O meos longum modulata luſus,
Quos amor primam docuit juventam,
Flecte nunc mecum numeros, novumque
Dic lyra carmen.
Non quod hirſutos agat huc leones,
Sed quod & frontem domini ſerenet,
Et levet curas, penituſque doctas
Mulceat aures.
Vindicat noſtros ſibi jure cantus
Qui colit vates, citharamque Princeps,
Ille cui ſacro rutilus refulget
Crine galerus.
Ille cui flagrans triplici corona
Cinget auratam diadema frontem,
Fallor? an vati bonus hæc canenti
Dictat Apollo?
Phœbe quæ dictas, rata fac precamur,
Dignus eſt noſtræ dominus Thaliæ,
Cui celer verſa fluat Hermus uni
Aureus urna.
Cui tuas mittat Cytherea conchas
Conſcius ſicci Phaëthontis Indus,
Ipſa cui dives properet beatum
Copia cornu.
Quippe non gazam pavidus repoſtam
Servat Ææo ſimilis draconi,
Sed vigil famam ſecat, ac perenni
Imminet ævo.
Ipſa Phœbeæ vacat aula turbæ
Dulcior blandis Heliconis umbris,
Et vocans doctos, patet ampla toto
Janua poſte.
Sic refert magnæ titulis ſuperbum
Stemma Gonzagæ recidiva virtus,

Gaudet & faſtos ſuperare avitos
Æmulus heres.
Scilicet ſtirpem generoſa ſucco
Poma commendant, timidumque numquam
Vulturem fœto Jovis acer ales
Exudit ovo.
Curre jam toto vio'entus amne
O ſacris Minci celebrate Muſis.
Ecce Mæcenas tibi nunc, Maroque
Contigit uni.
Jamque vicinas tibi ſubdat undas
Vel Padus multo reſonans olore,
Quamlibet flentes animoſus alnos
Aſtraque jactet:
Candidas ergo volucres notarat
Mantuam condens Tiberinus Ocnus?
Nempe quem Parcæ docuit benignæ
Conſcia mater.

JO: POLLII POLLASTRINI

ARETINI.

Ad Jo: Cardinalem de Medicis Bon. ac Romandiolæ Legatum, de Fluentia Nympha Arni filia converſa in Laurum Prohœmium.

Nodoſam primus voluit qui findere quercum,
  Tam teneras auſus ſollicitare manus;
Fluminis Æſarei terror, roburque Crotonis
  Italus, Argolici gloria prima joci:
Captivus duræ dum tractat robora quercus,
  Stultitiam edocuit velle negata peti.

SAcratam Phœbo laurum, & venerabile donum
Conceſſum ſuperis Etruſci collibus Arni
Mens aperire jubet: noſtro date vela furori
Pierides Latiæ: nam veſtrum pandimus æquor,
Munera veſtra damus; cedant Peneja noſtris
Murmura murmuribus; Latium eſt quod ludimus; ite
Theſſala turba foras: veſtro ſine Numine poſſunt
Et noſtri fontes, reſonantiaque undique ſylvas
Flumina, ſaxoſi montes, valleſque repoſtæ;
Innumeroſque Deos, & apertum ad munera Cœlum
Gens Etruſca tenet, poſſunt quoque Numina noſtra,
Nec deſunt Panes, nec nomina mille Lyæi,
Nympharumque chorus: ſat græcum luſimus; at nunc
Noſtra fluentinum reſonent præcordia cœlum.
Arne veni viridi redimitus tempora lauro;
Felicis natæ referas ab origine cauſam

Virginis in laurum converſæ, atque ordine pande;
Namque prius princeps illam ſpectantibus undis
Mutaſti; tantæ caſus miſeratus alumnæ.
Annuit ecce Deus, tantoſque aperire receſſus
Inſtigat cithara; citharam jam pectine eburno
Percuſſit, ſanctumque immiſit in oſſa furorem
Plena Deo; noſtriſque hæret ſub mentibus Arnus
Undique concedens ſpatioſa ſedilia ripæ.
Creverat egregias inter pulcherrima Nymphas
Nympha Deûm cultrix, ſacrati fluminis Arni
Filia, cui mater tribuit Florentia Nomen
Amne fluentino, nulli donanda marito,
Virginitate fruens; quæ Virginis arma Minervæ
Caſta gerens patriis annos ſacraverat undis.
Inter formoſas poterat formoſa videri,
Pulchrior ac ſolito eſt; in te male lucida cernit
Sidera, & ardentes per noctem Cynthia flammas.
Quidque animi egregias referam de virgine dotes?
Hæc poterat Lyden textura vincere, acuque:
(Ni Dea) quin poterat doctam ſuperaſſe Minervam.
Sylvarum in medio reſerant ubi vellera Seres,
Luxuriæ fomenta hominum, atque inimica malorum
Obſequia, & vanæ mentis maleſana cupido.
Hæc cantu, hæc cythara Phœbum ſuperaſſet, amorum
Caſtra dabat: caſtris meruit nova Muſa ſub illis.
Caſta reponebat miſerorum incendia amantum,
Pervigiles noctes, ſuſpiria miſſa per auras
Ante fores Dominæ: quid Templa, Theatra, receſſus,
Quidque dies feſti tribuant, quid dona, preceſque
Carmina quid faciant, quam ſint in amore valentes
Ante Deam lacrimæ, quantum indignatio poſſit?
Mentibus ingenuis, chartis reſerabat avitis,
Callimacho melius melius dabat orſa Phileta.
Si genus, & proavos, & nomina mille Deorum
Quæſiſſes, quidque ante chaos, quis miſit in Orbem
Pandoram, quæ dona tulit ſæviſſima terris;
Unde hominum mortale genus per mille meatus
Scinditur in dubium, & verum ſua jura reliquit;
Hæc

Hæc dabat: Elyſios campos, & amœna piorum
Prata virum, atque atras animas, Erebique tyrannum
Cernere poſſe dedit, Stygiamque innare paludem
Edocuit, ſacraſque vias patefecit ad Orcum,
Libera per proprias undas, per littora ſancti
Fluminis, herbarum vires, lapidumque repoſtam
Naturam exquirens Sophiæ currebat ad artes.
Nunc terram repetens animo, modo docta rependens
Abſtruſas rerum quærebat noſcere cauſas.
Cur nigrum eſt illud, cur flavum monſtret & illud.
Molle quid a tenero diſtet, cur fervida adurunt,
Frigida cur algent; ſed ſi majoribus uti
Mens erat, hæc mentem, atque animum ponebat Olym-
Si ad medicas artes mentem inſpiraſſet Apollo, [po.
Doctior occultas maculato in corpore peſtes
Callebat, triſteſque animas revocabat ab orco.
Si leges, ſi jura dabat, fora, templa, theatra,
Concilia in melius reparabat, callida rixas,
Jurgia, vota hominum. & lites dirimebat opertas.
Pictura gaudens varios per mille colores
Formabat modo caſtra virum, modo bella gigantum,
Nunc Cereris curſus, nunc raptæ Virginis aulam,
Pana Deum Arcadiæ montes ſimulabat ad altos,
Nunc mare turbatum ventis, nunc vela ſecundis
Ire Euris, doctaque manu maris ora premebat
Marmore de Pario ſimulans operoſa Coloſſos,
Effigieſque eboris, fuſi quoque dona metalli,
Nunc ſanctas fabricare domos, nunc templa Deorum
Tollere gaudebat, ſuperans miracula Mempheos.
Quid verbis opus eſt? omni pretioſior auro
Hæc erat, immo aurum ſancta ſub lege tenebat
Dives; ab Eoo veniebant munera Cœlo,
Littora qua Ganges interſecat, & riget ingens
Caucaſus, extremi mittebant dona Britanni.
Carolus hanc vidit ſpatiantem rure paterno,
Vidit, & exarſit, poſuitque in Virgine vultus,
Nympha precor, dixit, maneas, eris unica noſtri
Sponſa thori, noſtris modo præſtes auſibus aures.

Ah! qui ſim neſcis ideo fugis improba, dixit.
Rex ego ſum, regumque prior; mihi Gallia ſervit,
Littora qua Ligeris placidis interſecat undis.
Belgica qua ducit ſtructas ad bella phalanges.
Qua Celtæ inſurgunt populi, mihi Rhenus, & Alpes
Parent, & Ligures noſtris ceſſere triumphis.
Italiam domui, & Siculi ſenſere tyranni,
Quantum noſtra manus valeat; ne deſpice regem.
Finierat dictis, illa adverſata parumper
Obſtupuit, ſanctuſque pudor per membra cucurrit.
Forte reluctantis tenuiſſet Gallus habenas,
Sed pede dum properat Dominæ fugientis ad undas
Currere in amplexus, felix ſi fata dediſſent,
Serpentis morſu periit, jacet ille, fit illa
Libera, & ad ſedes gaudens remeavit aquoſas.
Interea magni celebratur pompa ſepulchri.
Thura parant templis, redolent altaria donis,
Inferni manes ritu celebrantur avito.
Fit gemitus, reparant cineres, conduntque ſepulchro,
At novus, & regni, & tanti ſucceſſor amoris,
Impatienſque moræ cupiens amplexibus uti
Tam pulchris Gallus gelidas conſcendit ad Alpes:
Itur in Italiam, cui Dux opponitur ille,
Qui primus Gallis aditus reſeravit amicis,
Prima mali labes dictus cognomine Morus,
Qui ſceptrum, & regale decus paulo ante relictum
Inſubribus, teperens, falſos videt ille Suevos:
Sic capitur regnum Italiæ, vitamque reliquit.
Gallorum interea Rex tanto Principe lætus
Præparat Auſoniæ rerum ditione potiri,
Quæ ſupereſt cedunt Ligures: capta urbe rebelles
Arce tenet, fundat muros, nova mœnia condit,
Dumque acies, & caſtra movet novitate ſuperbus
Parthenopen credens Gallorum in fœdera poſſe
Vertere ab Hiſpanis, rapidus concurſus ad amnem
Milite fit; reſonant ubi concava littora Lirin.
Funduntur Galli, & paſſim ſine fine triumphi,
Millia totque hominum rapidis volvuntur ab undis.
Le-

Lenior ob tantam ſtragem reparare phalanges
Rex jubet, & gentem innumeram revocavit ab Arcto.
At Regina maris caſus miſerata nefandos
Italiæ, movet armatas in prœlia turmas
Auſa ducem petere, & tanto ſe opponere Regi,
Clara ſerenatos ubi nunc rigat Addua campos.
Fit clamor, reſonantque tubæ, tinnitibus aër
Rumpitur, & denſæ cœlum abſcondere tenebræ.
Fit tonitrus, cecidere imbres, & grandine multa
Terra riget, fulſere ignes, fulſere Cometæ,
Auditæ voces multorum ululaſſe luporum.
Fortuna omnipotens noſtræ invidioſa ſaluti,
Sanguine de noſtro ripas maculavit utraſque,
Implevitque undas, & circum littora, campos,
Sternuntur generoſa choors, generoſa juventus,
Atque virum flores manes petiere profundos.
Fama, malum, Hiſpanas poſtquam pervenit ad aures,
Vindictæ, decoris, memores, patria arma ſequentes,
Æmiliam petiere citi, petiere vetuſtam
Urbem, quam dicunt olim poſuiſſe Sabinos.
At Galli ardentes audito Nomine Ibero
In turmas, in bella ruunt, furit ardor ab omni
Parte virum; bella, arma omnes, arma arma vocabant.
Dux duce conſertus, pede pes, cataphractus onuſto;
Conſeruere manus, fugit hic, fugit ille, cadentem
Percutit enſe alter, ferientem percutit alter.
Hic pede trajectus moritur, perit ille, cerebro.
Pectora pectoribus ſtimulat furor, artubus artus.
Clamor it ad Cœlum, & tonitru quaſi rumpitur aër;
Nec mora jam campos ſparſæ petiere phalanges;
Utraque pars duræ ſpectaſtis funera cladis;
Nec riſit Gallus, ſi miles flevit Iberus.
Tunc tuba terribilem ſonitum dedit aggere ab alto
Francigenum viciſſe ducem, victoria quamvis
Libera non fuerit, ſed multo ſanguine parta.
At Rex interea gelidæ regionis, amore
Virginis impatiens, Etruſci Virginis Arni,
Hanc cupit, hanc optat, vult hanc, recolitq; nec unquã

Corde cadit, ſed corde tenet, ſed mente retractat;
Vult prece, vultque minis, vult vi, lacrimiſque potiri.
Maximus Heſperiæ titulis, & ſtemmate dignus
Princeps, militiæ, & fidei pugnator opertæ,
Viderat hanc, placuitque oculis, Regemque inimicum
Odit, & hanc optat, vult hanc, precibuſque fatigat,
Atque minis, verſatque animo quo fine repellat
Rivalem, quibus auſpiciis, quo milite poſſit
Pellere ab Auſonia Gallum; modo Cæſaris arma,
Gallorum modo tela timet; nam Cæſar amatam
Odit, & hanc ſperat captivam poſſe triumpho
Ducere, & invitas trahere ad Capitolia laurus.
Hinc flavi inſurgunt meditantes bella Suevi,
Gens armis, numeroque potens; furit ardor habendi.
Undique conſtringunt Arni generoſa fluenta.
Hinc Galli, hinc Cæſar, manus hinc armata Suevi,
Hinc Iber, ardentes animo cinxere puellam;
Non ſecus ac cervam inſequitur ſi forte canum vis,
Illa latet, tunc turba hominum modo retia tendit,
Nunc nectunt ad lora canes, nunc aggere cingunt;
Nunc ſepes ſtimulant, longis & fuſtibus, altas,
Donec ab immiſſis nimium ſtimulata Moloſſis
Carpit iter, quæritque fuga, pedibuſque ſalutem.
Nympha fugit, ſtimulatq; pedes, modo mergitur undis,
Nunc redit ad ſuperos, nunc littora ſancta relinquit,
Infelix repetens ſaxoſi culmina montis,
Donec laſſa Virûm curſu, ſanctamque ſalutem
Deſperans, primum lacrimis affatur obortis:
Alme pater, ſi noſtra animum ſuſpiria tangunt,
Si ſortes miſeræ, ſi lamentabile fatum
Te movet, & noſtræ tangunt præcordia curæ,
Affer opem natæ, ſi natam diligis, Arne.
Si te dilexi, ſi te & tua littora ſemper
Incolui, & multis ſatiavi littora donis;
Suſcipe dilectam, & pia Virginis ora reſolve.
Sola, pater, dicor; ſolitæ fugêre ſorores,
Et famulæ, inter quas Arretia chara ſalutem
Quæſivit pedibus, ſocialiaque arma reliquit.

Al-

Altera ab Alpheo veniens mihi charior amne
Crudelis noſtros fugiens contempſit amores.
Annorum, & vitæ tædet, miſerere laborum;
Si mea Virginitas multos ſervata per annos
Grata fuit, ſanctam ſerves; nam libera jura
Virginitatis amo, neque enim niſi libera vivam.
Dixit, & ardentes natæ potuere querelæ.
Namque Pater liquidis illam ſpectantibus undis
Rore levi ſpargens, in truncos brachia vertit,
In frondes flavoſque dedit mutare capillos;
Quod fuit ante pedum, eſt radix populoſa ſub agris;
In ramos abjere manus; pulcherrima Nympha
Verſa eſt in laurum; cujus capitolia frondes
Utque prior, ſanctis ornabunt ſancta coronis.
Libera per patrios montes, per amœna fluentis
Prata viret, cogitque vagos ſua molliter umbra.
Felices rami, felicia bracchia lauri,
Auratæ frondes, & concertantia poma
Fructibus heſperidum! quot enim tua dona poëtæ
Cantabunt numeris! quot plectra, quot ora, manuſque
Cernimus ad Citharas! quantos dabis aucta furores,
Cum ſacri ſacra cingent nova tempora fronde!
Felix ſub tanta poterit ſi Pollius umbra
Siſtere, & ad cantum ramos laudare minores.
Vivite felices rami, quibus undique cœli
Grata ſerenati pateant opobalſama roris.

Atticus Ægides potuit fortiſſimus heros
  Jam Ditis vacuas ſollicitare domos.
Judicis annoſi rigidas perrumpere leges,
  Et rigidus rigidi flectere colla canis;
Liber ad æthereos iterum conſcendere colles;
  Nec mirum, Virtus omnia namque domat.

Ad

Ad Jo: Card. de Medicis, de reditu Medicæ Familiæ in Patriam.

Jamdiu flevi: modulos amicos
Incipe audaci numero Thalia.
Jam tenet ripas fluitantis Arni
Noſter Apollo.
Qui prius triſti violenter unda
Ibat, offendens rapidus colonos.
Arnus irarum modo factus expers
Paſcua lambit.
Juppiter lætum pariturus annum
Præparat feſtas Charitum choreas,
Ora Saturni rigidi ligando
Compede prima.
Sol novus ſancto veniens Olympo
Reppulit noſtri nebulam timoris;
Lumine abſtruſæ tenebras fugavit
Cynthia noctis.
Solvite, o Cives, pia dona templis,
Currite ardentes juvenes ad aras,
Et domum veſtram Medicam reverſam
Tollite ad aſtra.
Jam redit Virtus: redit alma Virgo;
Quas timor pallens dederat fugaces,
Collibus doctæ venient ſorores
Scandere verſus.
Pars novum tollent cythara dicatum
Cardini ſacro, foribuſque templi,
Pars ſuum fratrem patrio regentem
Jure Senatum.
Sentient laudes gelidi Britanni
Hujus, atque hujus, cava concha Nili,
Sentient Gangis fluvii paludes,
Atque Meotis.
Littus algentis prius ibit Arni
Unda convertens ſolitos meatus,

Quam

Quam domus tanti Medicis redempta
Cedat ab amne.
Floridam præſtet Jovis Uxor auram
Laurubus ſanctis, placidum liquorem
Naides donent; tonat ecce Cœlum:
Creſcite Lauri.
Floribus, baccis ſuperate ramos
Delphicos; donis onerate plenis
Orbis extremi loca, templa, poſtes,
More triumphi.
Pollium veſtrum cytbarâ ſonantem
Pauperem rebus, fidei valentem,
Debitum vobis, Medicum poëtam
Cingite lauri.

ALEXANDRI POLLINI

FLORENTINI.

Alexandro VII. Pont. Max. renunciato, ad Ferdinandum Furſtenbergium ſanctitatis ſuæ Cubicularium intimum.

AUreus illuxit noſtris, Fernande, vocatus
Ominibus votiſque dies. Jam lumine claro
Contigimus, cæcas cupida quod mente per umbras
Vidimus, arcanos auſi prævertere fines
Fatorum, dum quæ præclara & certa relinquit
Signa olim ætheria veniens ab origine virtus,
Inſequimur, legimuſque animæ veſtigia magnæ.
Nunc licet in ſummo regnantem culmine rerum
Suſpicere: & triplici nunc majeſtate verendum
Demiſſo colimus vultu, genibuſque minores
Oſcula adoratis properamus figere plantis.

Regnat Alexander. Subito viden' imbribus actis
Purpureo ut ridet pacatum lumine cœlum!
Ut nitidi redeunt poſt triſtia tempora ſoles,
Et mites Zephyrorum animæ! circum aſpice, tellus
Ut properè varios ſummiſit læta colores!
Quam dulci aëriæ volucres clangore per auras
Venturo indicunt hilares nova gaudia ſæclo!
Adſpice, compoſitis immotum ut fluctibus æquor
Poſt fœdas nunc primum hiemes, ventoſque reſedit!
Cerne Urbem effuſam, plauſuque inſueta frementem,
Lætitiæque ſimul jactas ad ſidera voces
Accipe, non falſos populi exultantis honores.
Nam memorant, cœlo tandem ut miſeratus ab alto,
Antiqua humanos Genitor pietate labores,
Regnandum huic dederit magnis virtutibus orbem;
Auxilium feſſis præſenti numine rebus
Qui ferat, & duro Europam ſub faſce gementem,
Bellorumque diu tot tempeſtatibus actam
Qui levet, ac profugæ revocet bonus otia Pacis,
Nec tamen ultrices generoſi pectoris iras
Non coquere, & juſtos animo verſare dolores,
Armaque ſacrilegos meditari & fulmina in hoſtes.
Hujus in adventu jam nunc pallere ſuperbum
Regnatorem Aſiæ, trepidum, atque extrema timentem,
Seque peti terra, & pelago, ferroque, viriſque
Immenſas Orientis opes, Solymamque repoſci.
Parte alia, populos longe trans ardua clauſtra
Italiæ, gelidum ſpectantia regna Booten,
Et Rheni egregias, fluviique binominis urbes
Lætitiæ miros imo ſub pectore ſenſus
Concipere, & veterem ſubito conſurgere flammam.
Hunc illum, auſpiciis nuper cœleſtibus oras
Quem videre ſuas venientem, auriſque ſecundis,
Omniaque æternis obeuntem laudibus: illum,
Quem Pietate & Juſtitia, quem ſanguine clarum,
Flexanimo linguæ eloquio, doctiſque beatum
Artibus, & caſta facilem, dulcique Camœna,
Attonitis inhians oculis, ceu præſcia tanti
Su-

Suſpexit mirata boni Germania: triſte
Diſſidium, triſteſque iras, animoſque rebelles
Exarſiſſe ſatis: gentem jam tendere amicam
(Chaoniæ ad nidum veluti per inane columbæ)
Ad Tiberim, & magnæ properare ad mœnia Romæ:
Jam ſacros orare pedes. veniamque precari,
Et pacem, certamque adeo exorare ſalutem.
At fremitu majore ferunt, quæ munera terram
Heſperiam, Latiumque, altam Mavortis & urbem
Quæ maneant; propius quanta indulgentia cœli
Aſpiciat ſacros orienti ſidere colles.
Hac finxiſſe tenus vates Saturnia quondam
Regna per Auſoniam, & de fulvo ſæcla metallo:
Aurea nunc vere tali ſub numine condi
Tempora, jam reduci cum Virgine læta venire
Omnia, deterſa priſci rubigine ferri.
Jam decus antiquum, & ſolitos conſtare triumphos
Principe Alexandro Romanis arcibus: & jam
Relligione Patrum, ſanctæ & formidine dextræ
Victorem late gentes ab utroque receptas
Littore, adoratæ imperio ſubjungere ſedis.
Hoc duce præclaras floreſcere protinus artes,
Et Latiâ tellure novas jam ſurgere Athenas:
Permeſſi mutare undas jam Tybride Muſas,
Deſertoque Helicone, jugum celebrare Quirini.
Hæc bona non dubio monitu mortalibus, addunt,
Ex illo ſperanda, Heros quo tempore primum
Attigit exoriens venientis lumina vitæ:
Cum ſummo ætherii reſidens in vertice Olympi
Regius ardenti fulgeret Juppiter auro,
Et vaga compoſito circum famulantia motu
Inter ſe aſpicerent radiis felicibus aſtra:
Lydia materno cœleſtia pignora tellus
Cum gremio exciperet, qua ſeſe urbs erigit alto
Clara jugo, fœcunda virum, decorumque creatrix.
Regales fulva pueros ſub matre, ſuperbum
Inſigne attollens, nec ſanguinis immemor alti
Cognatam oſtentans nota ſub imagine Romam:

Cum domus egregios intra generoſa penates,
(Nomen avis, ataviſque ingens) longo ordine vivos
Monſtraret puero vultus, & facta ſuorum
Mirari, inque ſacris veſtigia figere ſignis,
Et patrio in teneris laudum conſueſcere amori.
Nec majora ſilent regni argumenta futuri,
Haud obſcura, virum veniens ubi reddidit ætas,
Quæ dedit ille: Dei pura ſuper omnia plenum
Relligione, metuque animum, niveoſque pudici
Pectoris, invictoſque, ullo ſine vulnere, mores:
Tum large nitidis hauſtas de fontibus undas
Cœleſtis Sophiæ, Themidiſque, & Palladis artes,
Queis populos regere imperio, quibus aſpera doctus
Flectere corda hominum, poſitis olim effera bellis
Sæcula felici miteſcere pace juberet.
Quid referam, ut lætos Auguſtæ frontis honores
Ingeminant, celſoſque animos, mentemque benignam,
Regificaſque manus, facilemque ad præmia dextram?
Quid ſtudium, totque exhauſtos terraque, marique
Pro re Romana, pro relligione labores?
Tot benefacta viri? quæ tu, Fernande, beatus
Spectaſti primis mirari aſſuetus ab annis:
Et patrias etiam Rheni meditatus ad undas
Tentaſti Arctoas plectro leviore per auras.
Nunc quæ mira vides, propiore beatior almæ
Frontis ab aſpectu, prona quæque accipis aure,
Quæque feret volvenda dies facta inclyta ſummi
Principis, & nomen late immortale, decuſque,
Majori celebrare ſono, grandique memento
Carmine, Mæoniiſque modis attollere ad aſtra.
Divino ingenio, & præſenti numine vates
Quæ dabis, æternum referens mirabitur orbis,
Et ſeri aſſiduc diſcent memorare nepotes.

Ad Alexandrum VII Pont. Opt. Maxim.
Eucbariſticon.

Me quoque ſublimi e ſolio, Pater, aſpicis, unde
Terrarum ſpatia, & terras obeuntia late

Æquo-

Æquora deſpectas, cœlumque ac ſidera tangis
Arduus, & vigili mundum ratione gubernas.
Nec tua majeſtas, quod me quoque provida curat,
Deteritur: Phœbi nec lux ſeſe inficit alma,
Senta quod ex alto luſtrat loca, & infima tendit
Telluris, maneſque adeo penetrare ſub imos.
Sed ſimul emicuit cœlo, triſtem undique pellit
Squalorem, turpemque ſitum, nebulaſque reſolvit.
Atque ubi deſcendit magis, interiuſque repoſtas
Rimatur latebras, fœtus & munera fundit
Cara magis, pretioſa auri, argentique metalla,
Gignit & ardenti rutilos fulgore lapillos.
Haud aliter tu Magne Parens, quocumque ſalubres
Advertis radios, mentes, animoſque ſerenas,
Speque bona, & donis large præſentibus auges.
Vel mihi quæ longe in tenebris ſemota jacebat,
Frontis ut aſpectu primo recreata beatæ,
Regalique erecta manu, & decorata benigno
Munere, vita redit! veterumque oblita malorum,
Læta tuos inter dum ſe circumſpicit, uſque
Fortunam ſecura novam, nova gaudia verſat!
Atque utinam illapſu divini luminis, auri
Vena fluat, noſtroque erumpant pectore gemmæ:
Pulchrior haud inter lauros, ederaſque virentes
Cinxerit ambroſios tibi crines ulla corona.
Nam neque præpetibus ſuperantes aëra pennis
Me vincat aquilæ, nec dulci carmine olores,
Nomen Alexandri, laudeſque, atque inclyta facta
Tollere Pierio certantem ad ſidera cantu.
Te vero interea tacitus venerabor, & alte
Divini ingenii quæ tu veſtigia ſignas,
Aſſidue relegens, memori ſub mente recondam;
Diſcam aptis ſi forte olim tibi ſolvere grates
Vocibus, & tua conari, Pater, aurea dicta,
Aurea, perpetua ſemper digniſſima vita:
Deque tuis tibi dona feram te digna, ſupremi
Ut facimus ſacras humiles ad Numinis aras.

Ad Flavium Chiſium Cardinalem.

Tu quoque ſupremo Patrui de ſidere ſidus
  (Cynthia fraternis clara velut radiis)
Me tenui grates dicentem carmine, lætis
  Aſpectas, Princeps inclyte, luminibus:
Cujus in exortu toto lux aurea cœlo
  Emicat, in campos lapſa per aërios
Diditur, & pulsâ caligine protinus imas
  Undique jam terras conſerit, & maria.
Sed tua purpureo veſtitur lumine Roma
  Largius, eximio & munere perfruitur:
Teque ſuum decus, & lenimen dulce laborum
  Suſcipit, & duro in tempore præſidium;
Cum ſcelerata lues miſeram, & mendacia meſſis,
  Ah miſeram! crebris mortibus horrificant:
Nec ceſſare ſinit trepidam diſcordia Regum
  Vicina armorum terribili ſonitu.
Ut patrio exiliens armata e vertice Pallas
  Infenſos cœlo terrigenas domuit,
Pectore de ſacro magni haud ſecus ipſe Parentis
  Divino exiſti vividus ingenio.
Continuoque feras acies, atque horrida fundis
  Faucibus eructata agmina Tænariis:
Perque Urbem, Latium Diras ſine more furentes
  Ad nigra præcipites Tartara victor agis.
Quaque triumphantem volucris fert gloria, vinctum
  Auro, & multiplici tempora fronde ſimul,
Ignis ut in Cœlo cum ſe novus exerit, in te
  Mentes quiſque, avidos coniicit, atque oculos.
Surgere Ledæum veſtris de montibus aſtrum
  Jam videt in mediis fluctibus Italia;
Tranſque Alpes procul aërias, tranſque æquora, læto
  Jactatæ, heu! gentes omine ſuſpiciunt.
Jam fœdas ſperant hiemes, cœlique tumultus
  Deſæviſſe, animas, & poſuiſſe truces.

Tem-

Tempora jam compleſſe canunt infeſta Sorores,
  Staminaque auratis ducere velleribus:
Egregium everſo tandem ſuccurrere ſæclo
  Demiſſum niveis alitibus juvenem.
Hunc, patrios fulgere lares dum ſtemmate longo
  Præclaris atavûm cernit imaginibus,
Diſcere virtutem in teneris, verumquæ laborem
  Cœpiſſe, & magnos reddere Chiſiadas:
Et cum vix molli primum pubeſceret ævo,
  Intrepido fortes corde gerentem animos,
Unigenam caræ amplexus genitricis, & uda
  Fugiſſe immotum lumina lacrimulis,
Miſſo ut Hyperboreas magnis de rebus in oras
  Adderet ingenti ſe comitem Patruo;
Perque nives celerem, perque horrida ſaxa ſecutus
  Curreret, ad ſuperos qua via pandit iter.
Et nunc, quod virtus olim ſua feſſaque votis
  Poſcebant rebus tempora flebilibus,
Ille ſedet regnans ſolio ſublimis in aureo,
  Juraque ſervatis mitia dat populis:
Tuque hoc jampridem ſapere, & regnare magiſtro
  Doctus, in imperii parte locatus ades:
Quicum partiri grave pondus, cui velit altum
  Pectus Alexander credere, & ingenium.
Ille adeo te, ſacra feras qui juſſa per orbem,
  Pollentem eloquio mittet Atlantiaden,
Quo revocante, diu pax ſuſpirata reviſat
  Europam, indigno reddita ab exilio:
Cum placidi jungent, poſito certamine, Reges
  In melius verſis, fœdera, conſiliis.
At tibi jam video magni famulantia mundi
  Sidera felici lumine, qua properas:
Et tumidos molli clivo ſubſidere montes,
  Fluminaque obſequio currere prona tuo.
Jam video ventos impellere vela furentes,
  Et ſervire ſacris puppibus Hippotaden:
Neptunumque Patrem, & Nereidas exultantes
  Accipere, & toto provehere uſque mari;

Litoreque exceptum primo deducere gentes,
  Lætitiæ reſonis vocibus, innumeras.
Parte alia increpitat reditum deſerta morantem,
  Teque diu externis invidet Auſonia:
Et reducem hinc ſummis ſuſpirat ab Alpibus, atque hinc
  Expectat Tuſcis obvia litoribus.
En venit, & terris emenſis ſoſpes, & undis,
  In Latium curſu præpete fertur ovans:
Jamque viam ad ſacras relegens ſecat impiger arces,
  Mœnia jam victor Flavius ecce ſubit.
Urbs effuſa repente ruit, populuſque, Patreſque
  Optato properant paſcere amore oculos.
Arduus ille ſedet, nitidoſque, aurum inter, & oſtrum,
  Palladiis crines frondibus implicitus
Alta triumphali invehitur Capitolia pompa;
  Mox humilis ſanctis oſcula dat pedibus.
Interea fremituque hilari, plauſuque reſultant,
  Ignibus & feſtis, atque fora, atque viæ.
Nec nivei, flavo quos flumine paſcit olores
  Agmine nunc Tybris profluus aurifero,
Nomen Alexandri, & Flavi, & facta inclyta ceſſant
  In cœlum æternis tollere carminibus:
Sæcla nec æternas volventia dicere laudes
  Ceſſabunt, veſtris aurea muneribus.

Ad Aurelium Marrochium, Scipionis Card. S. Suſannæ Medicum.

Hoc tibi me, Aureli, veſtrum quoque numen Apollo
  Sollicitum juſſit mittere epiſtolium:
Artis ut auxilio, quam tu meditaris, & unam
  Eximie, præſtanti excolis ingenio,
Naſcenti occurras morbo, longumque minanti,
  Ni reprimas, toto corpore ſupplicium.
Ex quo etenim Domini vos mollia juſſa ſecuti
  Urbe procul dulci vivitis exilio,
Et miſera ambitione procul, dulciſſima, forſan
  Immemores noſtri, gaudia percipitis;

Hic

Hic mihi neſcio quæ trepido ſubmittitur imis
  Viſceribus triſtis, fœdaque pernicies.
Nam vapor effuſus ferventibus undique venis
  Incipit indignis urere membra modis.
Jamque vari paſſim exiſtunt, papulæque rubentes,
  Inficit & medias puſtula rupta manus:
Prurituſque vagi, & ſcabræ rubiginis optat
  Aſſiduo impatiens ſtringier ungue cutis.
Præſertim dulces ubi ſuadent carpere ſomnos
  Aurea jam curſu ſidera præcipiti,
Sanguis inardeſcens ſtimulis pertentat acutis:
  Nec requies molli mi datur ulla thoro.
Vixque renaſcentis Phœbi ſub lumina prima
  Excipit irriguo ſparſa ſopore quies.
Unde autem infelix vitium inceſſiſſe repente,
  Et miſeros artus corripuiſſe putem?
Non ego cum flammas Procyon, radioſque malignos
  Spargeret, aut miti luce ſub Erigones,
Pocula ſiccavi generoſi ardentia Bacchi
  Largius, appoſitæ nec nocuere dapes.
Dira neque immodico bilis ſuccenſa labore,
  Nec cura, aut ſtudio eſt mens agitata gravi.
Sed molles aluere epulæ, cyathiſque minutis
  Infuſa eſt gelido plurima lympha mero:
Et matutini captato frigore roris,
  Mox vacui longos ſedimus uſque dies.
Nec dubitavi etiam merſare ſalubribus undis,
  Interdum ac tepido ſpargere membra lacu.
Quid liquidum, medioque agitatum Aquilonibus æſtu
  Quod cœlum in tectis ducimus aëriis!
Ipſe tamen quæ cauſa malum hoc induxerit, altè
  Veſtiga, & celerem, dum licet, affer opem.
Affer opem, & propera labem compeſcere, ſi te
  Ulla movent dulcis jura ſodalitii.
Seu ſit abundanti ſalientem ſanguine venam
  Tundere opus, ſuccoſque elicuiſſe putres;
Seu jecore ardenti ingeſto medicamine flammam
  Opprimere, atque alvum ducere conſilium eſt;

Huc ades autumni labentis dum ſinit hora
  Lenis adhuc, dum ſic ſera moratur hiems.
Quam cupimus debere tibi molire ſalutem,
  Conceptumque ægro pectore pelle metum.
Eveniet: tibi perpetuo ſic vota ſecundent,
  Et faveant cœptis numina læta tuis:
Principis & magni viridi dent robore vitam
  Proferre ad Pylii tempora longa ſenis.

Ad Ferdinandum Furſtenbergium, de reditu in Germaniam cogitantem anno 1654.

Cui fauſta læto ſidera lumine
Riſere, molli quem placidæ ſinu
  Fovere naſcentem Camœnæ, &
    Ambroſiis aluere ſuccis:
Cui ductus alte ſanguis, & inclytæ
Longo ſequentes ordine imagines,
  Chartæque ſignantes parentum
    Facta, domus monumenta magnæ,
Monſtrant avito nobile iter gradu
Virtutis, arces qua datur igneas
  Inire, doctrinæque ſuadent
    Aërium ſuperare culmen:
Laborioſa nil opus alea
Mutare dulces exilio lares,
  Et quærere incertum remotis
    Regna procul peregrina terris.
Sed te beati vividus ingeni
Adegit ardor limina linquere
  Paterna, præclaros ut exul
    Egregius fugeres penates
Prima in juventa Nec ſine numine,
Fernande, Divum, principe in urbium
  Reſiſtis, ingentemque luſtras
    Latè oculis, animoque Romam.
Jacere moles nubibus aſpicis
Olim propinquas, & decora imperi

Miratus, immani ruina, &
Marte doles cecidiſſe veſtro.
Mox de ſuperbo pulvere nomina
Majora cernis, regnaque ſurgere
Æterna, quæ victrix per orbem
Relligio, pietaſque ſummis
Æquavit aſtris. Impiger ultimo
De fonte rivos hic ſapientiæ
Hauris, & ad plenum benignâ
Longa ſitis ſatiatur undâ.
Purum vetuſti temporis aureas
Hic pectus artes combibit, & ſacra
De fronde jam nectis coronam
Crinibus, Auſonioque vates
Incedis inter carmine nobilis,
Cui plaudit amnis regius aſſonans,
Colleſque ſepteni reſultant,
Quo Latiæ recreantur aures.
Natale fratres imperiis ſolum
Belliſque fœtum pectore Martio
Colant tuentes, & ſub Arcto
Auſpicis volitent ſecundis.
Ad pulchra pacis munia te vocat,
Poſcitque cœlum mitius: huc tua
Te ſiſtit, & celſos honores
Inſequitur generoſa virtus.
Ut orba dulci conjuge, & unico
Fœcunda nato, mœſta tenet parens
Amplexa cedentem, nec udo
Fixa ſinit properare vultu:
Sic Roma cari dum capitis fugam
Rumore triſti nunc timet anxia,
Supplex moratur, ſic amici
Te precibus retinent Quirites.

Ad Auguſtinum Favoritum.

Qui pectus ardor verſat, & intimas
Urit medullas, purus, ab ignibus
Demiſſus æternis, & uſque
Ætheria recreatus aurâ!
Vernante qui te ſanguine vividum
Tellurem inertem linquere, & arduas,
Auguſte, ſublimem volucri
Ingenio ſuperare nubes
Cogit, relictas mox humilem ſuper
Volare terras, litora duplicis
Diverſa latè quâ refusâ
Oceani feriuntur undâ:
Interminatas quo ſapientiæ
Quæras avaro divitias ſinu,
Opeſque doctrinæ beato
Egregias animo reportes,
Non ille fracto lenior impetu
Reſidet uſquam: non alio minus
Sub ſole ferveſcet: nec iſtam
Lympha ſitim, gelidumve flumen
Reſtinguet ullum, tu niſi jam vagus
Ales reſiſtas, Græcia nobiles,
Magnumque ſpirantes ruinas
Servat ubi, propriumque buſtum.
Fluentis auri pulvere ſub ſacro
Metalla, gazas impiger obrutas,
Gemmaſque defoſſas, Eois
Invenies pretioſiores.
Seu plana luſtres, ſeu juga montium
Ferare circum, ſeu loca legeris
Pulſata Neptuno, ſecundum
Seu placidos ſpatieris amnes:
Arcana docti pectoris audies
Miro eloquentes digna ſilentio

Umbras, & immortale duces
Aure avidus ſitiente nectar.
Sub dulci Hymetti culmine, vitreas
Iliſſi ad undas ipſa canit ſedens
Regina, divinoſque flores
Cecropio Sophia ore fundit:
Quos tu ſequaci corripiens manu,
Noviſque pennis altius evolans,
Inſignem, & æternam, relictâ
Rurſus humo, referes coronam.

In Philomathis Muſas Juveniles.

Quid iſte fert libellus? aut quid ſuſpicer
Veniſſe in auras luminis fetum ingeni
Sublimis, altam nec fateri originem?
Vultuque ficti ſub parentis, per manus,
Perque ora circum jam volare nobilem?
Sirenas anne condidiſſe carmina
Divina, mundi temperantes aſtricos
Choros, & imis, munere inſueto Deûm,
Audita terris? anne Pindi in vertice
Juventæ honore Phœbus æterno nitens,
Inter Camœnas ore meditatus ſacro
Hæc ipſa fudit? ſive in Elyſia pii
Convalle, gentis aureæ priſcum genus,
Dedere vates dicta præclara, aurea, &
Deſueta primùm, jamque turpi inertia
Deleta, noſtro reddidere tempori?
Mirare, Lector, quicquid eſt, ac ſuſpice;
Mentiſque magnæ dum legis veſtigia,
Latens adora numen (haud vana auguro,
Humana ſi ſecundus aſpicit Deus)
Aperto adoraturus olim in lumine.

Ad Hieronymum Aleandrum de morte Aldinæ catellæ feſtiviſſimæ.

Ergo illa dulcis, illa multum amabilis,
Illa albula, illa delicata, illa innocens
Catella vixit? & tulere numina,
Tua Aleander interire gaudia?
Nec ulla caſtis invocata verſibus
Lucina præſens (heu nefas!) laboribus
Periclitantis affuit puerperæ?
Nec ipſa, dudum cujus ignem acceperat
Subblandientis acta vi Cupidinis,
Injurioſa fata Cypris reppulit?
Sed nos querelis quid fatigamus Deos?
Summum Deorum facta crimen conqueri.
Olim (& quis hoc non credat?) alma cœlitum
Venus voluptas, alma pulchritudinis
Dea, ut puellis uſquequaque blandula
Catella ſuevit aſſidere bellulis,
Habere & ipſa concupivit candidam,
Quicum jocoſa luſitet, caniculam.
Nulla at peractis procreata ſæculis
Amore digno cœlitum canicula eſt.
Modo iſta amori deſtinata Cypridis
Aldina venit bella in auras luminis.
Viſam ſibi hanc repente Diva ſurripit,
Qua nulla poſthac pulchrior videbitur.
Ergo, Aleander, jam dolere deſine.
Ne tu occidiſſe crede quam deſideras,
Fallacis umbram dum vides imaginis.
Sed gaude, & ultro gratus offer muneri
Divæ, lepores quæ tibi dedit ſuos:
Quæ nunc magis magiſque amica permanet
Tibi, venuſtatemque, & omnem cœlitum
Pro munere iſto comparavit gratiam.

Ad eumdem de lacrimis Deorum ediſſerentem.

Flerent dolentes fata ſi quando aſpera,
Guttis per ora lucidis manantibus
Serena Divûm lacrimaſſe lumina
Priſci Poëtæ tradidere temporis.
Verum nefanda ex quo peroſi crimina,
Imbuta queis iniqua ferri ſæcula,
Contaminato ſubtrahunt ſe aſpectui,
Videre nulli fas fuit mortalium
Mirabiles quæ cœlitum ſint lacrimæ:
Nunc tu, Aleander, perſpicaci acumine
Obducta viſum tendis ultra nubila,
Cœlumque luſtras penitus: en, quod videris
Non uſitato more flere numina,
Non uſitata ediſſeris facundiâ.
Euge ô beate! Tu tenebras diſcutis,
Lumenque portas, quo nitentes lumine
Verè Deorum lucidæ ſunt lacrimæ.

In Bibliothecam Franciſci Barberini Card.

Præceps furentis orbe dum ruit toto
Procella Martis, jamque terror inceſſit,
Calidaque cædes undique imbuit campos;
Ab imminente vaſtitate quo ſervet
Trepidas Camœnas, literaſque palantes,
Sacri Senatus columen, & decus magnum
Franciſcus, arcem providâ pius curâ
Munivit, ornavitque, vimque congeſſit
Studio, labore, dexteraque regali
Huc aureorum maximam libellorum.
Vos hinc procul faceſſite in malas oras
Blattæ nocentes, quo mali vocant libri.
Satis ſuperque munera inter & curas
Regni. diurnâ ſolus, atque nocturnâ
Franciſcus haſce conteret manu chartas.

Ad

Ad Joannem Barclajum, flores ſtudioſè educantem.

Quæ tibi culta novos latè parit area flores,
  Quæque nitet vario picta colore ſeges,
Quam cito, Barclai, defecerit improbus Auſter
  Deiicit, aut denſa decutit imber aquâ:
Solibus aut æſtus veniens ardentibus urit,
  Aut legit, & rapido demetit ungue manus.
Haud ita quos lepidis cultu meliore libellis
  Divini flores inſeris ingenii.
Nam Charites, Muſæque fovent, ſparſique beato
  Nectare perpetui veris honore vigent.
Nec deerunt umquam inſcripti tua nomina flores,
  Longa licet ſtudio perpete ſæcla legant.

Cæſaris Commentaria corroſa à muribus.

Quod mille libros inter, hunc immanius
  Laniaſſe mures aſpicis,
Quo bella Cæſar inclyta, & victorias
  Hac qua peregit fortiter
Dextra, exaravit docte, id imprudentiâ,
  Caſuve factum ne puta.
Nam dum coronâ cingit, ac ſedet diu
  Caſtella circùm, aut mœnia,
Edendi amore adegit, ac penuriâ,
  Dolo undecunque & machinis
Periclitantes aggredi, & conſumere
  Excepta murium agmina.
Ex illo inuſtum dedecus, & injuriam
  Tranſmiſſam aduſque poſteros,
Auctoris haud oblita, fortis natio
  Reponit, atque ulciſcitur.

Ad juvenem pictorem.

Dum vivo diſcis tabulas animare colore,
Et varios natura effert quos dædala flores,

Gra-

Graminaque, & dulces anni per tempora fructus
Dum ſimulas, laudum juvenili captus amore,
Diſce ſimul pulchris animum virtutibus alte
Imprimere, atque Dei ſacram mediâ ipſe locatam
Effigiem quam mente geris, fuligine turpi
Ah cave commacules, & celſo e culmine jam jam
Præcipitem, tetro vitiorum in gurgite volvas.
Ah cave, dum violaſque, roſaſque, & candida pingit
Lilia docta manus, triſtes ſub pectore dumos,
Atque venenatis radicibus inſerat herbas
Actus amor furiis, nimiumque effræna cupido,
Pullulet unde tibi ſcelerum denſiſſima ſilva,
Pœnarumque gravis nullo non tempore meſſis.

De Chriſtinæ Svecorum, Gothorum, Vandalorum Reginæ adventu in Urbem.

Acceſſu, Regina, tuo nova frigora in Urbem
  Cur tulit, & gelidos ventus ab axe dies?
Inſolitum frangi regali virgine non eſt,
  Et rigidum Boreæ pectus amore capi.
Nunc Dominam ille ſuam ſequitur terraque, marique,
  Et fugit in patriis ſceptra aliena plagis.
Quodque videt tenero doctas ſub pectore Athenas,
  Extuderunt Grajûm quidquid & ingenia,
Hoc capitur magis, & veteres reminiſcitur ignes,
  Te quoque Cecropium dum putat eſſe genus.

De Alexandri VII. Pont Opt. Max. ſeceſſu in Albanum.

Ecce ubi Alexander longam ſeceſſit in Albam,
  Et Romam veteri reſtituit patriæ,
Juppiter ipſe gravi invectus per inania curru
  Deſcendit prono plurimus obſequio.
Mox colere & Phœbus, radiis ornatus, & auro,
  Luce ſuâ lumen clarius approperat:
Nympharumque chori lacubus, ſylviſque relictis,
  In numerum adventu Principis exiliunt:

Et

Et circumpoſitæ effundunt ſeſe undique gentes,
Ut ſacris humiles oſcula dent pedibus.
Urbs dolet interea ingeminans deſerta querelas,
Suſpiratque ſui mœſta Patris reditum.
Parce tamen, pia Roma, queri ne gaudia Matri
Antiquæ exigui temporis invideas.

Ad P. Sfortiam Pallavicinum S. J. De hiſtoria Concilii Tridentini ab eo ſcripta.

Clara ducum ſoboles, bellatorumque propago,
Qui veteres forti nomine reddis avos,
Tu licet abnueris Martem, & meliora ſecutus
Palladiis jam cœlum artibus attigeris;
Arma tamen fato generis te, duraque bella,
Atque triumphato laurus ab hoſte manent.
Indomiti vel nunc infracta ſuperbia monſtri,
Totque dabat populis qui modo damna furor,
Quem novus Alcides, & ferro aggreſſus & igni,
Divini extinxti viribus ingenii,
Quam peperit palmam! quæ venit adorea? quantus
Inde tulit plauſus nomen ad aſtra tuum!
Ille quidem edomuit poſtquam portenta, domari
Poſtremam victor comperit invidiam.
Tu major, ſimul indomitum certamine primo
Et ſuperas hoſtem, Sfortia, & invidiam.

In Orationem Funebrem Joannis Jacobi Buccardi, habitam Romæ in morte Nicolai Claudii Fabricii Pereſcii.

Æternæ in Urbis luce, conſeſſu Patrum
Favente, Romano ore, cultuque exequi
Potuiſſe laudes plurimas, & maximas
Extincti acerbo funere, heu Pereſcii,
Buccarde, res eſt magna, factuque ardua:
Sed, qua executus ipſe, præclaram, auream

Ora-

Orationem efferre qui poſſit ſatis
Rem magnam & is præſtiterit, ac perarduam,

In Pangloſſiam, de laudibus ejusdem ab eodem Buccardo collectam.

Quod nomen, laudeſque tui celebrare Pereſci
Inſtiterunt variæ linguis longo ordine gentes,
Nobilitas, virtuſque viri, & benefacta repoſcunt
Æterna, Oceanum ad geminum diſperſa per orbem.
At pariter bene quod celebrant, laudantque diſerte,
Laus, Buccarde, tua eſt: tua enim facundia primum
Emicuit; vitamque, & grandia facta ſecutus
Defleſti, egregii caſum miſeratus amici.
Quæ circum accipiens longè exaudita, reſultans
Aſſonat, ingeniumque tuum ſibi vendicat Orbis.

Ad Felicem Zachiam, Natalis Rondinini defuncti matrem.

Vidit ut ereptum properato funere natum,
  Flentibus immoto pectore mater ait;
Mortalis genui mortalem, animoque ſupremum,
  Cum peperi, occurrit tempus & atra dies.
Vana tamen ratio, & rerum te fallit imago,
  Pace tuâ liceat dicere, docta parens.
Perlege Natalem celebrantûm carmina, in ævum
  Carmina divinis edita ab ingeniis:
Teque immortalem nati de nomine, & illum
  Laudibus æternum vivere noſce ſuis.

Solarium abſque Gnomone Bernardini Spadæ Cardinal.

Horarum interpres quod nullâ tangitur umbrâ,
  Tempora ſed toto linea ſole notat,
Multa animo volvis, dum cauſam quæris, & eſſe,
  Quidquid id eſt, miræ colligis artis opus.

Falleris: hic puro ſplendent ubi cuncta nitore,
  Et Domini fulget lumine clara domus,
Haud locus eſt umbræ: non hîc famulantibus horis
  Dum properat, raptim tempora lapſa docet:
Uſque ſed eximie dilecti Phœbus ab alto
  Nobile in obſequium Principis ipſe venit.

Ad Ferdinadum Furſtenbergium de Thynni capite dono, miſſo.

Miſiſti mihi, Ferdinande, munus
Magnum, Juppiter! atque ſumtuoſum:
Sed magnum quod amiculo immerenti
Næ malum dedit, ac repente vivum, &
Videntem, propè ad incitas redegit.
Nam dum relligio mihi, quod abs te,
Tuiſque e manibus venit, minuta
Ferro in fruſtra ſecare, nec puto fas
Tam cari capitis perire formam,
Et ſimul meditor frui beato
Lætus munere, & unctiore cœna;
Ære mi fuerunt paranda grandi
Arma, vaſaque grandiora, molem
Tantam quæ caperent, focoque & igni
Admotam coquerent, tripus. ahenum,
Lanceſque, & patinæ, paropſideſque.
Tum quæ ſilva lari advoluta! quantus
Incendit modicos rogus penates!
Quanta, heu, diluvies profuſi olivi
Ferclum immane ſuper! lucerna tantum
Noſtra vix biberit decem per annos.
Proin tu, cum tibi monſtra belluoſus
Mittet Oceanus, vagique fluctus
Hæc ad litora verterint tremendum
Balænæ ſpatium, memento turpe
Deſtinare alio caput, docendus
Fortunam, & loculos breves amici
Metiri pede veriore: non hæc
Decent munera pauperem culinam.

Ad eundem Die ejus natali.

Octobres ſalvete Idus, lux ſacra: Maronem
  Quæ fudiſti auras prima ſub ætherias.
Tuque adeo mihi lux ſalve, quæ proxima ſurgis,
  Lux mihi natali ſanctior uſque meo.
Unde ſibi reduces apponit, & ordinat annos,
  Et ſignat niveis tempora læta notis,
Æmula divino condit qui carmina Vati
  Fernandus, Muſa proximus, ut geneſi.

Villa Oſtienſis Sacchettæ Familiæ.

Urbis in antiquæ, nitidi non indiga cultus,
  Villa ſolo, ad primum continuata mare,
Hinc Romam, adverſæ cineres Carthaginis illinc
  Proſpecto, & Tyrii diruta regna ducis.
Nec facies animos aufert mihi proxima tantum,
  Litore ab oppoſito gloria quanta venit.
Faſtidit ſi Roma, procul miratur, & optat
  Invida delicias Punica terra meas.

Somnium, Ruri ſub conopeo arundinibus ſuſpenſo.

Eſſe quid hoc dicam, tanta inter gaudia detur
  Ducere cum ſolidos hîc ſine nube dies,
Quod, ſimul incipio molli requieſcere lecto,
  Terrificant animum ſomnia nigra meum?
Nam ſubito triſti percellor imagine, & ingens
  Inceſſit miſeris terror ab hiſtoriis.
Vel mihi prætetita quum nocte miſerrimus ultro
  Cannarum occurrit caſus, ut obrigui!
Ergo perpetuo vigilantem vivere tanti eſt,
  Et fugere horribilis dira pericla thori.

Villa Farneſia in Janiculo.

Villa ſolo, & cœlo felix, & clara vetuſto
Nomine, nil ſumum, nil moror Urbis opes.
His pater optavit regnum ſibi Janus in oris,
Et poſuit noſtro mœnia prima jugo:
Quæque olim eduxit regalia tecta ſub auras,
Credibile eſt ſpatio clauſa fuiſſe meo.
Nunc titulo melioris heri, cultuque recenti
Nobilis, egregio munere læta fruor.

Ad Jacobum Wallium e Societate Jeſu, cum Michaëlem Angelum Bonarrotum, ſculptorem, & pictorem ſummum, Aretinum appellaſſet, cum debuiſſet dicere Florentinum.

Vatum maxime, quot fuere, Walli,
Quot ſunt, quotque aliis erunt in annis;
Quid Florentia pulchra, nobiliſque
Urbs de te meruit miſella tantum,
Ipſi ut Praxitelem ſuum, atque Apellem
Unus tu eriperes inique, & iſtud
Inter cetera lumen invideres?
Si neſcis, graviter tulere cives.
Quod ni præpropere, parumque caute
Dictum continuo palam recantas,
Edico tibi, non inultum abibit.
Nam multabere patria viciſſim:
Nec te illi Grudium ferent poëtam,
Brugæ nomine nec tuo ferentur:
Sed jactaberis uſque Mantuanus
Vates. & Venuſinus uſque, & Umber.
Res eſt non minimum timenda Walli.

Ferdinando Furſtenbergio.

Nobilibus longæ deprenſo in collibus Albæ
Crura ſacer mihi cum lentè percurreret ignis,

Et

Et miſeros artus ſtimulis arthritis acutis
Ureret, ac toto tentarer corpore, demum
Decubui feſſus monitu, imperioque medentûm.
Accipe nunc, Fernande, thori quæ commoda noſtri,
Deliciæque, quibus ceſſantem frangere morbum
Sperabam, victorque feros ſuperare dolores,
Moxque frui lætus jucundi gaudia ruris.
Principio apparet lecti modus haud ita magnus:
Tres in fronte pedes, paulo plus tentus in agrum,
Dimidiamque pavimento vix altior ulnam;
Unde ſolum digitis pulſare micantibus imum,
Perque leves auras jactatis ludere talis,
Mite laboranti ſolamen Culcita duris
Durior impoſita aſſeribus, non illa minutis
Aut plumis infarta, aut vellere pinguis Ibero.
Cyniphiis tondent ſed quale in vallibus hirci,
Horrenteſve apri, Numidæve in montibus urſi,
Tomento oppletur Cilicum de ſtamine ſaccus.
Involvit ſuper hunc animoſis ſoſpes ab Euris,
Et decimo fluctu, fœdiſque agitata procellis
Carbaſus, aſſutis obtendens vulnera pannis.
Nauticus horreſcit ſupremo tegmine cento,
Blattarum, ac tinearum epulis ſubductus, & unde
Diripuere dapes magno certamine mures.
Cætera (quod multo mireris non ſine riſu)
Regifico ſurgunt luxu, textuque renident
Attalico, & Babylonis acu, Phrygioque labore.
Quattuor ingentes Ephyræo ex ære columnæ,
Aurati fulgent quarum alto culmine coni,
Vela ferunt pretioſa, & nobile conopeum.
Sed neque ferventi citius de ſanguine febris,
Nec dolor abſcedit membris, nec pectore curæ,
Textilibus ſi in picturis aurum inter & oſtrum
Jacteris, quam ſi plebeja in veſte cubaris
Quod te per nomen jucundum, & fœdera dulcis
Teſtor amicitiæ, per ſanctæ pignora dextræ,
Per mores, geniumque tuum, miſereſce jacentis.
Dumque datur placidos in lucem carpere ſomnos,

Et tibi lauricomo veniunt inſomnia Pindo,
Inſpirantque quieſcenti nova carmina Muſæ;
Dulce aliquid mihi Caſtalio tranſmitte liquore
Perfuſum. Forſan vatum Deus, artis & idem
Inventor medicæ, ſic me ſervarit Apollo.

Soteria pro Alexandro VII. P. M.

Virgo parens (nam te miſerantem incommoda gentis
Humanæ, gemituſque pios, nunc vota, preceſque
Sollicitas, manifeſta fides audiſſe, Tuoque
Auſpicio Genitorem una, Natumque, benigno
Numine adoratam placide indulſiſſe ſalutem.)
Dum Tibi letitiâ inſolitâ, plauſuque frementes
Servati circum populi gratantur, & Urbes,
Atque Immortali ſolvunt pro munere vota
Omnibus in templis humiles, atque omnibus aris:
Me proprio, grandique obſtrictum nomine, Virgo.
Secretum, timide, ac demiſſo lumine, pauca
Murmure quæ tacito poſſum, tenuique ſuſurro,
Haud præter ſolitum facilis, ſine reddere, & ultro
Gaudia noſtra ſimul, ſimul & tua dona fateri.
Nam modo tranquillæ medio de fonte quietis
Quæ ſubitò curæ exortæ, gelidique timores
Involvêre atro ſecuras turbine mentes!
Quum procul Heſperia cœli de parte nigrantem
Exiguo primum tractu concreſcere nubem,
Mox latè medium ſeſe proferre ſub axem
Vidimus, & mundi vultum violare ſerenum.
Illius objectu, triſti pater obſitus umbrâ
Phœbus, & obtuſo radiorum expalluit auro:
Afflatuque gravi propiùs, tactuque nocenti
Subſtitit, indigno feſſus languore, diuque
Delituit, ſiluitque diu, trepidique micanti
Mortales meruere nigras ſine lumine luces.
Pallida quæ rerum interea, miſerandaque viſu,
Attonitæque Urbis facies, atque Orbis imago!
Quæ lacrimæ effuſæ dirum tremuere periclum!

Jam fugere unanimes tanto in terrore paratæ,
Aëraque obſcurum, viduaſque relinquere terras
Juſtitia, & Pietas, & Pax, ſanctæque Camœnæ:
Præſidio ſi fortè (nefas) patrioque carerent
Numine Alexandri, namque is certiſſimus unus
Solque, Paterque, fovet radiis felicibus orbem.
Extemplo ſed enim Eöum diſcedere cœlum,
Protinus & clarâ tempeſtate omnia circum
Effulſiſſe, novoquæ aperiri lumine ſidus
Cernimus, ac timido incerti veneramur honore.
Illius exortu primo rapidiſſima longè
Nubila diffugere, atque atram concedere noctem:
Continuoque caput nitidum ſol aureus altè
Attollens, cœlumque levat, terraſque ſerenat.
Quippe fuit, Virgo, tua lux, & Virginis aſtrum
Illud erat Tua nunc pietas miſerata labores
Indignos, genteſque humiles, gemituſque precantum,
Optatam niveamque diem, lumenque reducit
Purpureum, & ſævo miſeris horrore ſolutis,
Soſpite Alexandro reddit ſua gaudia terris.
Sed neque tu lacrimas, nec dedignata vocatus
Diva meos, & ducta imo ſuſpiria corde
Victor ego, ante aram voti reus ad tua ſupplex
Numina, quæ donas propria hæc ut munera faxis
Perpetuâ pietate novâ prece pronus adoro.

Ad Alexandram VII. P. M.

Munere quod magno cumulas nil tale merentem,
Quas habeo grates dicere, Muſa negat.
Nam neque Majeſtas recipit tua, maxime Princeps,
Exiguum parvi carminis officium;
Nec noſter tentare audet tua nomina culpâ
Deterere ingenii, nec tua dona pudor.
Illa alte fundata animus ſub pectore adorat
Semper, & aſſiduè mens operata colit:
Quæque intus reſonant laudes, & vota, loquuntur
Lumina, & in media fronte notata leges.

Ad eumdem.

Inſolitis urget nivibus dum Juppiter Urbem,
Et Scythico mordens horrida bruma gelu;
Exul ab aſpectu infelix, Pater alme, beato,
Atque ſacris adytis cogor abeſſe diu:
Pelliculam, gelidoſque annis fugientibus artus
Lectulus, aut tepido dum fovet igne focus.
Cæcus Anaxagoras ſit ne, ſtoliduſve videbo,
Anne furens, nigram quum putat eſſe nivem;
Certè nigra cadit mihi nix hoc tempore, & atros
Improba de niveis reddidit illa dies.

Ad Urbem Romam, Clemente IX Pont. Max. Renuntiato.

Quæ conjuratas acies evertere ferro
Et facibus patriam, civeſque extrema minantes
Roma tibi Tyrrhena pio certamine tellus
Ulta nefas immane ſuis delevit in agris:
[Qualia Phlegræos ſtraverant funera campos]
Hæc eadem auguſto augurio volventibus annis
Præclarum generoſa alto de ſanguine Julum
Extulit, inſolitâ cui cœlum, & ſidera luce
Naſcenti fulſere, novo quum gaudia motu
Terræque, & maria, atque urbes, ac dædala rerum
Senſit, & arcano plauſit natura favore.
Et nunc ille datum egregiis virtutibus olim
Imperium, fato meritum comitante ſequaci
Accepit; ſupraque tuas ſedet arduus arces
Aurato in ſolio, videt unde ab litore utroque
Omnia ſub pedibus, vertique, regique beatis:
Ingenti unde animo immenſum dum amplectitur orbem,
Et ſacris manibus rerum dum flectit habenas,
Inſuetum molitur iter, qua rara priorum
Fixa notat claris quondam veſtigia ſignis,
Qua verum invitat non falſo gloria vultu.

Gran-

Grandibus ille potens factis, operumque labore
Magnorum, famam & decus immortale cubili
Solis ab Heſperio Eöas meditatur ad undas
Tendere, & Oceani extremos evadere fines.
Tum ſi qua eſt, quæ reſtat adhuc ſummota, latetque,
Et penitus vaſti refugit pars ultima mundi
Accipiet, laudeſque ferens celebrabit in ævum.
Tuque adeò in partem æterno comes addita honori,
Dum veteres memor ad faſtos, annoſque redibis,
Atque virum monimenta, & nomina magna revolves,
Lumine nunc vero ſidus fulgere videbis
Julium, ut aſtra inter Phœbus micat ipſe minora;
Tale inſtar nullum invenies; nec talibus umquam
Auſpiciis latè imperium, nomenque tuliſti,
Qualibus antiquos longè ſuperare triumphos
Apparat, & ferre in cœlum tua nomina Clemens.

Ad Joannem Rho Soc. Jeſu, Eloquentiſſimum divini verbi pro concione interpretem.

Antiqua longis obruta ſæculis
Jam nunc reſurgit fabula, nobile
  Præſtantis inventum magiſtri,
    Itala quem Samiis arenis
Tellus relictis vidit Achaico
Ore edocentem. Scilicet aureas,
  Dulceſque demirata Roma
    Eloquii rapientis undas.
Quin ſpiret almo reddita lumini
Mens viva Tulli pectore de tuo,
  Et verba devolvat recenti
    Rhoë ſono, dubitare neſcit.
Sed illa blando protinus avia
Errore, cæcas ducitur in plagas,
  Nec ſentit imprudens, revinci,
    Mille ſimul rediiſſe vitas.
Nam quid vetuſtæ tu ſapientiæ,
Quem nunc ab omni tempore non refers

Virtutis, & doctrinæ, & alti
Laudibus ingenii per ora
Latè volantem? dum relegis manu
Signata quondam Numinis, & pio
Perfundis interpres nitore,
Romulidis retegens Olympum,
Sublimis unde & mentis originem
Deducis ipſam, cordis & igneum,
Regnantis & linguæ vigorem,
Nec niveos aliunde mores.
Commiſſa læto planta velut ſolo
Novella, rivus qua trepidat (mora
Haud longa) per cœlum beatos
Explicuit generoſa ramos:
Et iſta ſacro non ſecus in lare
Firmata, ſacræ Matris ab ubere
Educta deſumit benignè
A teneris alimenta virtus:
Nec uſque, flammæ clarior in dies
Ritu quieſcet vivida ſurgere,
Tellure dum victrix relictâ
Ad ſuperos revolarit ignes.

Ad Ferdinandum Epiſc. & Princip. Paderbornenſem, de morte Alexandri VII. P. M.

Qualem, ſi Phœbus numquam rediturus Eöo
Lumine in Oceani tinxerit amne facem,
Terrorem attonito, tenebraſque relinquit in orbe,
Et flere extinctum tempus in omne diem;
Conſimili terris facie, luctuque relicto,
Lumen Alexander condidit ecce ſuum.
Ne mirare tamen quod non ſanabile vulnus
Ipſe ego non miſeror voce, manuque meum:
Nam fugit, infelix, minui, miſerique levari
Vocibus, & lacrimis abnuit uſque dolor.
Nec ſummum potis eſt quiſquam proferre dolorem;
Promere qui potuit non ſatis ille dolet.

Ad

Ad Amicum Herbicaſionium.

Quod ſatis eſt betæ Recipe ; atque huic adde puſillum
Serpylli, & mentæ, ſpicam bene olentis & alli,
Et ſemen marathri : accedit quem Parma coëgit
Caſeus ovorum croceis, butyrum atque vitellis,
Et piper, & dulci veniens ab arundine pulvis.
Quæ parco ſale cuncta ſimul continge, ſimulque
Contunde, & varios agitans confunde ſapores.
Præterea recipe incretum ſine furfure pollen,
Et laticem, ſubigenſque ſolum Cereale rotunda,
Et ſuper expande intritum ; circumque, ſupraque
Acta Ceres tegat, & ferclum regale coronet.
Mox lento prunæ coquat igne artopta ſalubrem,
Prædulcemque cibum, quantum, & quandoque libebit
Sume, dapem memor egregiam monſtrantis amici.

JO: JOVIANI PONTANI

NEAPOLITANI.

Varianæ Carbo ſolvit inferias.

HOs habet infelix tumulos Variana, nec ulli
  Juncta thoro, nulli juncta puella viro.
Ut poſita eſt loculis, miſeri poſt funus amantes,
  Munera cum lacrimis multa dedere ſuis.
Primus at e cunctis Carbo mœſtiſſimus illi
  Conſtituitque aras, & ſtata ſacra facit.
Condidit & loculis manes, lavitque ſepulchrum
  De lacrimis: lacrimæ triſtia buſta rigant.
Nona dies aderat: florent ad marmora thymbræ;
  Thymbra tegit tumulos, marmora thymbra tegit.
Conveniunt & apes, & mella liquentia carpunt.
  Dictaque Thymbrea eſt quæ Variana fuit.
Hæc tibi Carbo tuus Thymbrea: hinc mella ſepulchro
  Lecta legunt & apes, hinc tibi & illa fluunt.

De qualitate amantum.

Miſer, qui amat, videtque quod cupit numquam:
Magis miſer, qui amat, videtque nec tangit:
Miſerrimus qui amat, videtque, tangitque;
Nec tangit ut vult, nec ſibi gerit morem.
Expertus hanc ſententiam miſer dico.
At cui tot inſunt commoda ac facultates,
Divis is eſt profectò amans ad æquandus.

Quæ

Queritur ante limen puellæ.

Hîc me marmoreum faceret Deus, hic ego ſaxum,
  Quod premeret pedibus Fannia dura ſuis;
Nam quoties ſacri peteret pia limina templi,
  Per mea membra ſimul ſaxea ferret iter.
Et quoties feſtis redeunt ſua ſacra diebus,
  Limine prodiret conſpicienda ſuo.
Tunc ego marmoreus quamvis, nec ſenſile ſaxum,
  Gauderem nitidis ipſe premi pedibus.
Nam nihil eſt cœli ſubter regione creatum,
  Quod non delicias norit habere ſuas.
Quod ſi quid Venerem, Veneris ſeu ſpicula neſcit,
  Durities artus induat illa meos.
Et ſi te biduum cogar caruiſſe, neceſſe eſt
  In ſpeciemque abeat noſtra figura rudem.
Una dies tantum eſt, quâ te non Fannia vidi;
  Et ſine jam videor ſenſibus eſſe meis.
Altera quàm vereor ne ſit lux invida nobis,
  Et ſim de noſtro nomine pondus iners.
Quidquid ero, merear cûm de te Fannia majus,
  O ſaltem ſtrophium poſſit id eſſe tuum.

Ad Bacchum.

Nunc hederis, ſertiſque novos innecte corymbos,
  Nunc tua circumdent tempora, Bacche, roſæ.
Nunc viridis flavas ſuſpendat pampinus uvas;
  Ingeminetque novas ebria menſa dapes.
Nam mea, Parnaſſi rediens è collibus, audet
  Ludere Romanis Calliopea modis:
Inque choro juvenum molli ſaltante puellâ,
  Sopitos longo tempore ferre ſales:
Aoniumque movet circum tua pocula plectrum,
  Evoe Bacche, canens; ad tua feſta veni.
Tu quoque nobilibus pretium jam, Laure, poëtis,
  Laure, tuum nobis porrige fronde decus.

Et

Et mea Phœbeis ornentur tempora ſertis,
  Ut merear nomen vatis habere novi.
Stultus ego, fieri credam qui fronde poëtam!
  Non Laurus vatem, ſed ſua Muſa facit.

Tumulus Ariadnę Saxonæ. Viator, Genius, & Hyacinthus colloquuntur.

Viat. Unde roſæ ad tumulos, unde hæc violaria? numquid
  Hi tumuli, & violas, & peperere roſas?
Gen. Ver tribuit ſua jura, ſimul tribuere Napææ,
  Huic cineri hinc violas, hinc peperere roſas:
Ipſæ & Acidalio Charites de fonte liquorem,
  Ipſa & Acidalio rorat ab amne Venus.
Hinc violæ florent, hinc roſcida lilia canent.
  Hinc tener ipſe tuo flore Hyacinthe nites.
Et nitet, & queritur mœrenti flore Hyacinthus,
  Suſpiratque novo jure dolore puer.
En audis? miſeranda volant ſuſpiria, & udis
  E foliis ſeſe flebilis aura ciet.
Hyac. Formoſæ quondam dominæ mihi cura vacabat:
  Hinc mihi tuta æſtas, hinc mihi mitis hiems.
Me dominæ faciles digiti, ſtudiumque colebant:
  Ver mihi ſic ſemper, roſque perennis erat.
Extinctam flerunt Nymphæ; Venus aurea queſta eſt;
  Terque comam vellit, ter ſcidit ipſa genas.
Inde mihi & nitidus cecidit flos, & mihi triſtis
  Venit hiems, periit qui fuit ante nitor.
Viat. Felices tumuli, cinis at felicior, en tu
  Dic puer, unde novus qui tibi venit honos?
Hyac. Arebam dominæ interitu: ſed conjuge adempta,
  Vir mihi de lacrimis ſubvenit uſque ſuis.
Hic tumulo ex oculis rorem diffundit amicum,
  Hic cinerem ex oculis imbre fluente rigat
Hinc redeo in florem: flos hinc ad buſta reſurgit,
  Scribitur & foliis nota querela meis.
Viat. Felices tumuli, cinis at felicior: heu quæ
  Sors dominam eripuit, mœſte Hyacinthe, tibi?

Hyac. Invidia eripuit dominam, Lucrinide in undâ,
  Dum lavat, & calidis nuda fovetur aquis.
Obſtupuit formâ Nymphæ Miſenia, & atro
  Invidia infeſtas felle venenat aquas
Hinc rapta eſt: flevere Deæ, lacrimiſque dolorem
  Teſtatæ: ad tumulos inde perennis honos.
E lacrimis violæ, lacrimiſque roſaria vernant,
  Et mihi de lacrimis hic quoque crevit honor.
Viat. Uſque fluant lacrimæque tibi, violiſque roſiſque,
  Umbraque flebilibus uſque rigetur aquis.
Dic age de lacrimis ſate flos, dic o puer alte
  De lacrimis, titulum dulceque nomen heræ.
Hyac. Illa thori bene fida comes, cuſtoſque pudici,
  Cuique & acus placuit, cui placuere coli,
Quæque focum, caſtoſque lares curavit, & aræ
  Et thura, & lacrimas, & pia ſerta dedit:
In prolem ſtudioſa parens, & amabilis, uni
  Quæ ſtuduit caro caſta placere viro,
Hic poſita eſt Ariadna, roſæ, violæque niteſcant
  Quâ poſita, & lacrimis hic mihi ſurgat honos.
Viat Urna crocum dominæ fundat, diſtillet amomum,
  Ad tumulum, & cineri ſpica Ciliſſa fluat.

Tumulus Lucii Franciſci filii.

Has aras pater ipſe Deo, templumque parabam,
  In quo nate meos contegeres cineres.
Heu fati vis læva, & lex variabilis evi!
  Nam pater ipſe tuos nate ſtruo tumulos.
Inferias puero ſenior, natoque ſepulchrum
  Pono parens? heu quid ſidera dura parant?
Sed quodcumque parant, breve ſit: namque optima vita
  Pars exacta mihi eſt, cetera funus erit.
Hoc tibi pro tabulis ſtatuo pater, ipſe dolorum
  Hæres: tu tumulos pro patrimonio habe.

Tumulus Franc. Hauriæ Stabiani.

Manibus hoc ſacrum eſt: manes ne læde viator,
  Sed terram cineri quæſo precare levem.

Hau-

Hauria Franciſcus jacet hic: jacet ipſa voluptas,
Deliciaſque orbis invida claudit humus.
Heu fatis inviſe puer, fallaxque parentis
Spes, & germanæ cura, dolorque tuæ.
Tunè puer miſeræ ſubito tam erepte parenti?
Heu nimium miſero mors properata tibi eſt.
Quod ſi certa ſuas referunt poſt ſemina meſſes;
Nimirum hæc Caſiam, thuraque terra dabit.

Tumulus aviculæ liguridos.

Pro caveâ è vitro tumulum cape, teque ſepulchro
Hoc tege, perſpicuâ conſpicienda domo.
Hoc, ales mea, te tege: ſic mihi mortua vives,
O Liguri: hic tumulus ſit tibi pro caveâ.
Pendeat è lauro tumulus, quem proxima myrtus
Veſtiat intactis ſemper opaca comis.
Dum vitro ſpectanda nites, & viva putaris,
Certatim volucres ad tua buſta volant.
Et tibi nunc plaudunt pennis, nunc voce liquenti
Cantabunt blando carmina blanda ſono.
Hoc tibi funus erit: cineri ſua dona volucres
Iſta ferent: Liguris ſemper amata, vale.

Lyra Orphei, auxilium implorat à Nymphâ.

Nympha tene; ò age Nympha tene; me me rapit unda:
Nympha tene, o me me candida Nympha juva.
Quid quereris? quid & ipſa times? timeoque, querorque
Biſtonidas matres, Biſtonidaſque, nurus.
Orphea diripuere: lyram jecere per undas,
Meque vehunt amnes, me maris unda vehit.
Illa ego proceras ſummis è montibus ornos
Quæ traxi, & rigidas poſt mea plectra feras,
Quæ potui Stygium cantu mollire tyrannum,
Triſtificum flectens in mea vota canem,
Illa ego Threicias fugio miſeranda cohortes.
Me Dea, me tacito, me me age conde ſinu.

En

En properant, dumque ipſa loquor, me fila relinquunt,
Plectra cadunt; ò me me pectore conde tuo.
Illa querebatur; Threſſæ properare cohortes.
Nec mora quæ fuerat jam lyra, factus olor:
Excita nam lacrimis nati properabat ad Hebrum,
Flebat & attonito Calliopea gradu.
Utque lyram, & chordas vidit ſine honore fluentes,
Me miſeram, hæc nati ſunt monumenta mei.
Juppiter, exclamat, miſero ſuccurre nepoti.
Me me Animallonidum, me petit ecce manus.
Hæccine avus pateris? vix hæc: de flumine cycnus,
Evolat, & niveus per vada cantat olor.
Forma petit cœlum: cœlo micat aurea: plectrum
Manſit humi, mater quod ſtudioſa legit.
Condit & in templo: tituli ſimul addit honorem:
Treiciæ hic ſita ſunt plectra ſuperba lyræ.
Parnaſus tenet hæc, caſto Parnaſus in antro
Servat, & incolumi ſtant veneranda fide.

Ad Nic. Mariam Buxetum. Deteſtatio militiæ bujus ævi.

Caſtra ſequi, laudemque injuſtis quærere ab armis,
Hoc eſt æterno bella movere Jovi.
Militiæ quondam partes, ac jura fuerunt,
Tutari patriæ dulcia tecta ſuæ:
A ſociis arcere minas, pepuliſſe tyrannos,
Hoſtis & incurſus continuiſſe vagos.
Hinc Decii, forteſque Fabi, clarique Metelli,
Ac lethum Paulli, Scipiadumque decus:
Cannarum hinc tumuli, cæſoque dracone ſuperbus
Regulus, ac duri Cimbrica palma Mari
Hinc pontem fregiſſe ferox ſua nomina Cocles
Jactat, & exuvias Coſſus ab hoſte refert.
Atque alius victo redit in capitolia Gallo,
Et ſpolia antiquo reddit opima Jovi.
Ille triumphatis præſcribit jura Britannis,
Et Rheni tumidas ponte refringit aquas.

Ille etiam rubri penetravit ad æquoris undas,
Et victor primus Parthica ſigna fugat
Hic Dacas, Cilicemque ferum, Pœnumque rebellem
Ducit victrices candidus ante rotas:
At nunc quid bello petitur, niſi præda? nec hoſtem,
Sed ſocium vitâ eſt expoliaſſe decus,
Hinc Mauri nos claſſe premunt, hinc Turca fugaci
Vectus equo, & Scythici caſtra cruènta ducis,
Nos tamen in ſocias ferrum convertimus urbes,
Et de cognato ſanguine præda juvat.
Quid miles precio? quid mercenarius enſis,
Dignum Romanâ laude, fideque dabit?
Exceſſiſſe acie pulchrum eſt, ubi dextera ferrum
Abiicit, atque auro tela repulſa cadunt.
Non jaculis, aut enſe ferox victoria, verum
Infami quæſtu bellica palma venit.
Aurum per medios deducit ſigna maniplos.
Amiſit partes Mars ferus ille ſuas:
Ipſi ductores pretio ſua prœlia vendunt,
Et cèdunt pretio caſtra, fideſque ducum,
Hinc mihi Pierides ſtudium, ſacroſque colendi
Vates, deliciis nomina grata meis.
Hic nobis, Buxete, decus, laudemque paramus;
Pro caſtris Helicon, pro duce Muſa mihi eſt.
Nec tu non primæ juvenis cum flore juventæ
Arma capis, patriâ pulſus ab ipſe tua.
Deſeris Italiam, pronoque per æquora curſu
Heſperios portus, littora Ibera petis.
Illic cum geminos ageret diſcordia reges,
Foviſti partes ſtrenuus enſe tuas.
Mox contra flavos direxti tela Britannos,
Quum premerent forti Gallica regna manu.
Ocia nunc, Muſæque juvant, dulceſque receſſus,
Et ſcripta antiquis carmina docta viris.
Hoc ſapere eſt Buxete; frui melioribus annis,
Cumque libris fieri, carminibuſque ſenem.
Caſtra alios ac bella juvent: nos læta colamus
Ocia, & Aoniæ fila canora lyræ.

Vita bonum commune quidem eſt: bene vivere ſolus
Novit, qui ingenii dona beata colit.

Ad uxorem, de liberis educandis.

Quid tibi communes natas, tria pignora conjux
Commendem, quarum maxima cura tibi eſt?
Nam tua nec virtus, nec amor monitore marito
Indiget, & matris munera docta ſubis.
Sed tamen ut parteſque meas, & jura tuerer;
Neve abſens videar non memor eſſa domûs,
Hæc obeunda tibi conſtanti pectore mando,
Officii quæ ſint munera certa tui.
Primus honos, pietaſque Deo, templiſque dicatis:
Hoc primum diſcant pignora noſtra vide.
Templa adeant caſte, caſtiſque piiſſima votis
Dona ferant: gaudet ſimplicitate Deus.
Tum colere antiquas artes, maternaque juſſa,
Atque agili diſcant carpere penſa manu.
In digitis acus, ante pedes intexta quaſilli
Viminaque & fuſo ſtamina torta levi.
Hoc Tanaquil opus, hos mores Lucretia monſtrat,
Phylacidæ hos conjux, Telemachique parens.
Multa pater, materque valent infundere natis.
Tranſit & in feri jura nepotis avus
Inſita ſed ſtudio vis confirmanda fideli eſt,
Natura ut mores induat uſa bonos.
Arte opus eſt: artem ſolers quoque perficit uſus.
Perficit ars quicquid repperit ingenium.
Sponte ſuâ quamvis tellus fœcunda, novari
Poſcit, & optata gaudet arantis ope:
Sponte ſuâ vitis profert Baccheja racemos,
Sed tamen aſſiduâ falce colentis eget.
Quid quod quæ ſterilis naturâ creverat arbos
Inſita pomiferas portat onuſta comas?
Arte igitur natura juvatur, & arte magiſtrâ
Sumunt diverſos pectora noſtra habitus.

Format aratorem domita cervice juvencum
  Agricola, ut currus axe ſonante ferat.
Format equum domitor, ſic, ut petat obvius hoſtem,
  Senſit ubi audaces ſigna dediſſe tubas
Dum tenera eſt ætas, dum mens, patienſque magiſtri,
  Tum proprias artes quiſque docendus erit.
Ergo dum molles animi, nunc imprime mater
  Quæ pietas, quæ lex, faſque pudorque jubent.
Plura licet noſtras commendent dona puellas,
  Matronæ decus eſt una pudicitia.
Forma brevis; vigor eſt animi ſplendorque virilis:
  Munificam regis addecet eſſe nurum.
Nos pudor ac probitas; nos vitæ ruga ſeveræ;
  Nos labor inſomnis, menſaque parca decet.
Otia nequitiam ſuadent, dat luxus amori
  Fomenta: in Venerem ſæve Lyæe rapis.
Dicitur & fontes, fontanaque Numina amaſſe
  Quæ Dea tutelam virginitatis habet;
Lenæos latices odiſſe & pocula Bacchi,
  Pocula Virginibus pernicioſa ſuis.
Calliſto Arcadicis cur urſa erraverit agris,
  Fama tenet ſacrum deſtituiſſe chorum.
Naiadum & latebras mediis petiiſſe diebus,
  Sermone & longas continuaſſe moras.
Illic Oenones miſeros cognovit amores,
  Cognovit verſos ad ſua furta Deos.
Illic Eveni natam pugnacibus armis
  Abreptam, atque Idæ præpoſuiſſe thorum.
Cognovit ſpretum dilecta ab Virgine Phœbum
  Evenum rapidis ſponte ſubiſſe vadis.
Qualia dum memorant faciles ad furta Napææ
  Arcas amat verſos ad ſua vota Deos.
Corrumpunt mala dicta animum, moreſque verendos:
  In veros ſenſus ſæpe abiere joci.
Laſcivos igitur cœtus, laſcivaque verba,
  Pignoribus noſtris rite cavenda vide.
Penelope numquam, numquam Lucretia vidit,
  Hiſtrio dum molli ſcenica voce canit.

Tem-

Templa pudicitiam maculant; ni rite peractis
  Rebus abis, templi noxia ſæpe mora eſt.
Ruſtica nec mihi ſit, nec ſit mihi blanda puella:
  Quamquam ruſticitas labe vacare poteſt:
Blanda procax facile eſt, & amata ad ludicra velox.
  Sit procul, o procul, o blanda, procaxque mihi.
Non quales ageret didicit numeroſa choreas,
  Sed quas exigeret Laodamia colos.
Dum trahit ante rotas devictas Scipio gentes,
  Et peragit magnos libera Roma jocos,
Matronæ, juveneſque ſimul per compita ſaltant,
  Concinit & varios tibia Lyda ſonos.
Romanos inquit numeros inflare memento
  Æmilia & noſtros advena tange modos.
Non omnes igitur numeros, non quaſque choreas
  Quæ proba, nec quævis carmina noſſe cupit.
Auſam vix memorant tectis Argian avitis
  Prodiſſe, & raras urbis adiiſſe domos.
Quæ caſta eſt, thalamo gaudet, laribuſque paternis:
  Turba nocet; turbæ crimina ubique placent.
Eſt oris quoque lex, eſt & ſua cura capillo;
  Quam tenuiſſe decet, præteriiſſe nefas:
Evadne hoc placuit, placuitque hoc Martia cultu,
  Ornatus tamen eſt neutra ſecuta novos.
Ante Helenam nullæ crines emêre puellæ.
  Troja docet quantum noñ ſua forma nocet.
Nec faciem, nec colla prius, nec pectora norant
  Pingere, nec fuco conſuluiſſe genis.
Primæ Sirenes cultus docuere negatos:
  Eſt nova ſed crimen pœna ſecuta novum.
Quid tibi præcipiam molles vitare feneſtras?
  Ad culpas aditum laxa feneſtra facit.
Libera mens, captiva tamen ſint lumina, quando
  Hanc animo invenit ſæva libido viam.
Cogite fallaces, animus ne peccet, ocellos:
  Cogite, libertas ne peritura cadat.
Pellite materiam, primaſque extinguite flammas.
  Vincite; vincentes palma, decuſque manent.

Hæc tibi nunc conjux, non ut moneamve, rogemve,
  Sed ſtudium abſenti noris ut eſſe domus.
Perge, & conſortem natis nunc exige curam,
  Eſt labor; at merces magna parata tibi.

Exultatio de nato filio.

Ite procul curæ inſomnes; ſint omnia læta;
  Cretenſi lux hæc more notanda mihi eſt:
Ite iterum curæ inſomnes, procul ite dolores,
  Fulſerit hæc nitido ſidere fauſta dies.
Quâ mihi vitales genitus puer exit in auras.
  Spargite nunc variis atria tota roſis.
Spiret odoratis domus ignibus, æmula lauro
  Myrtus adornatos pendeat ante lares.
Ipſe Deos ſupplex tacitâ venerabor acerrâ,
  Et reddam ſacris debita thura focis.
Sancte Geni, tibi ſolemnes proſtratus ad aras
  Fundo merum, & multo laurus in igne crepat.
Vota manent: ſua ſigna Deum teſtantur, & omen
  Clara dedit celeri flamma voluta gradu.
Ipſe & pacato movit ſua vertice ſerta,
  Et fragilis cecidit crine decente roſa:
Ipſe manu rata ſigna dedit, tu ſidere dextro
  Edite, felices exige, nate, dies.
Produc fataleſque colos; & longa ſororum
  Stamina; dent faciles in tua fila manus.
Speſque patris, matriſque auge, ſupereſque parentum
  Vota, fluant Hermus, Lydiaque unda tibi.
Auguror, & patrias olim meditaberis artes,
  Et ſtudia antiquæ non inhonora domus.
Sive tibi carmen placeat; tibi carmina Muſæ
  Dictabunt. virides cinget Apollo comas:
Sive vias cœli, rerumque exquirere formas,
  Naturæ & cauſas explicuiſſe juvet:
Seu leges, atque arma fori; te proxima poſſunt
  Exempla, & patres extimulare tui.

Sed neque te vel dirus amor, vel gloria belli
  Vicerit, ut matri ſis timor uſque tuæ.
Illa graves tulerit decimo jam menſe labores,
  Languida de partu mortua pæne mihi.
At tu jam tanto mater defuncta periclo
  In nova præteritos gaudia verte metus.
Jam mater; quid matris opus, quid munera differs?
  Cur non materno jam cubat ille ſinu?
En patri ſimiles oculos, en mater in ore eſt,
  En vultus, in queis ſpirat uterque parens.
En ſenii ſolamen adeſt: vos ſpargite multo
  Flore domum, & thalamis lenior afflet odor.

Accuſatur nimius puellarum cultus.

Ecquæ Pieridum mecum canit, euge puellæ,
  Ecquæ Caſtalio fonte miniſtrat aquam?
Quænam eſt quæ ſuffuſa genas, demiſſaque ocellos
  Incipit? o ſacrâ carmina digna Deâ.
Anne ea Melpomene eſt, dulci Dea cognita cantu?
  Felicem, cui fas ora videre Deûm.
Atqui olim latis errabant Numina campis,
  Nec puduit tenues accubuiſſe caſas.
Sæpe etenim Pietas, Divûm quæ maxima natu eſt,
  Adſtitit ante aras dum cadit agna Jovi.
Sæpe Pudicitiam gelido videre ſub antro,
  Aut in gramineo membra levare thoro.
O quotiens feſſo ſomnos carpente colono
  Aſtræam triſtes extimuere lupi?
Illa diu terris, placidâ cum Pace vagata
  Et ſtatuit leges, & ſua jura dedit.
Illa greges docuit ſylvas paſtore vocante
  Pergere, & a ſylvis nocte redire domum.
Illa etiam fortes docili cervice juvencos
  Ferre jugum, & gravibus flectere colla rotis.
Tunc & equus primis compeſcuit ora capiſtris;
  Neſcius intortas ante timere minas.

Omnia tunc, dicente Deâ pecudeſque, feræque
  Diſcebant munus ordine quæque ſuum:
In primis ſervare fidem, dominumque vereri
  Docta canis, cuſtos ditis amica domus.
Quales deliciæ vatum Capuana, dolorque
  Aſterion, caſtæ grata rapina Deæ.
Quid vatem Diana queri, quid dicere cogis
  In teque, inque alias impia verba Deas?
Muſarum hic canis eſt: quid enim tibi juris in illo?
  Redde ſuum Muſis, & mihi redde meum.
Non ille aſſuetus ſylvis, ſed grata puellis
  Limina, ſed domini pone jacere pedes:
Sed thalamos ſervare, & menſæ aſſiſtere herili,
  Inque puellari ludere ſæpe ſinu.
Quem raptum infelix mater quum ferre nequiret,
  Paulatim miſero victa dolore cadit.
Non ſomnos, non illa cibos miſeranda requirit,
  Finiat ut luctus morte jubente ſuos.
Felices catuli, quos dilexere Poëtæ,
  Et quorum ad triſtes concinuere rogos.
Non illos (ſi quid poſſunt mea carmina) tempus
  Abſtulerit: vivent ſæcula longa ſenes.
Elyſii quos arva tenent felicia campi,
  Optataſque ferunt paſcua læta dapes.
E foliiſque cadunt paſſim variique ſapores,
  Securique errant & ſine lite greges.
Mirantur manes æquis ut curſibus auras,
  Ut tranent celeri roſcida prata fuga.
Forſitan & vates aliquis dum cantat, adeſſe
  Gaudet, & an, dicit hi quoque carmen amant?
Sed ſatis hæc, dum Muſa novas cum pectine chordas,
  Deſuetæque aptat fila remiſſa lyræ.
Nunc agite o faciles aures adhibete puellæ.
  Dum canit, & liquidum dum Dea pulſat ebur,
Diva canit. quodque illa canit cognoſcere ſanctum eſt,
  Vos modo quod ſanctum eſt noſcite; diva canit:
Parcite veloci nimium confidere formæ;
  Præterit: en fragili quam mora nulla bono eſt!

Hæc

Hæc flos eſt, & flore caducior: hanc dolor, hanc ſors,
  Et morbi vitiant; inſtabiliſque dies.
Atque ea quæcumque eſt, nullo aut violanda paratu,
  Aut medico, cultus lex quoque certa datur.
Quid pretioſa juvant? tortiſque affixa capillis
  Gemma quid in collo nexile pondus agit?
Quæritur his conjux? mores non gemma parabunt.
  Crimen ineſt, ſi quod laudat amator, agas.
Nec ſi forma bonum eſt, externo quærit honores;
  Ingenuumque bonum quid facis arte malum?
Si mentem abiicias, turpe eſt ſine pectore cultus.
  Exerceto animum culta puella, ſat es.
Sed tamen ut mores animum, ſic corpus honeſtant
  Munditiæ; labem vitat uterque ſuam.
Ut virtus contenta modo eſt, menſuraque morum eſt;
  Sic & munditiis formula certa data eſt
Si modo vos moveant Sirenum infamia monſtra,
  Selectos cultus quæque puella fuget.
Hæ facie, cantuque, & Palladis arte placebant,
  Sedula ſed nimii cura decoris obeſt.
Sæpe illis nutrix, o quid bona tanta per artem
  Perditis? & cauſſam criminis ora gerunt?
Sæpe inter choreas aliæ riſere puellæ,
  Et damnant cultus luxuriantis opes.
Forte renudatis ibant ad templa papillis,
  Qua brevis Ænario eſt inſula cincta mari:
Ora madent, liquidoque madent & tempora fuco,
  Inficit & roſeus non ſua labra rubor.
Colla nives infecta gerunt, ac nulla papillas
  Vitta tegit, nimia guttur ab arte nitet.
Pictæ oculos, multumque alieno crine ſuperbæ,
  Luxuriem facie reſtificante ſuam.
Quas Dea proſpiciens gradibus ſublimis ab altis,
  Avertitque oculos, oppoſuitque manum.
Nec ſi inquit, Dea ſum, ſi quid mea numina poſſunt,
  Si qua pudicitiæ juraque viſque valent.
Hæc impune ferent, nec nos læſiſſe juvabit,
  Et meus in pœnas inducet arma dolor.

Vix templo exierant, vix littora ſumma tenebant,
  Arida vix primos ceperat alga pedes;
Senſerunt teneris ſquamas horreſcere plantis,
  Oſſa quoque in ſpinas ire coacta novas.
Qui fuerant ungues, alium traxere rigorem;
  Pro digitis pinnas, pro cute tergus habent.
Mens quoque mutata eſt, nec ſe velut ante puellas,
  Sed vaſti credunt æquoris eſſe feras.
Atque ita ſe in fluctus, inque æquora proxima mittunt;
  Pube tenus piſces, cetera ut ante manent.
Scilicet ut veteris ſit nota infamia culpæ,
  Exemplum & timeat quæque puella ſibi.
Tela pudicitiæ moneo vitate puellæ,
  Contentæ propriis, ſimplicibuſque bonis.
Luxuries infenſa Deæ eſt, infenſa decoris
  Cura novi: nil eſt ſimplicitate prius.
Hæc placet: haud ulla eſt quæſitæ gratia formæ.
  Quæ ſtudio peccas, ſimplicitate places.
Nulla eſt ornandi; nulla eſt mihi crede, parandi
  Gloria: naturæ eſt forma, nec artis opus.
Ars odio digna eſt, ubi nullo fine tenetur.
  Naturæ eſt ſimilis, hic ubi finis adeſt.
Nil fuit in toto quicquam formoſius orbe
  Conjuge, qua felix Proteſilaus erat.
Nullius hæc gemmis, nullo eſt adjuta colore,
  Et rara numquam cultior arte fuit.
Ornabat faciem, ſolo contenta pudore,
  Felix ſi numquam rapta Lacæna foret.
Illa Myceneis avecta penatibus, Iden
  Dum petit, & Danaos cogit in arma duces,
Phylacides primuſque venit, primuſque dolorum
  Ultor adeſt, primus & cadit ante rates.
Conjugis at miſeræ thalamos, non immemor umbra,
  Mœſta ſubit, Stygiis nocte remiſſa vadis,
Æmoniæ dum membra fovet dilecta maritæ,
  Vulnera nudato ſunt patefacta ſinu.
Illa gemit, funditque imo de pectore queſtus,
  Frigidus & miſeræ concutit oſſa tremor.

Am-

Amplexuſque inter, lacrimoſaque verba receſſit
Et ſopor, & ſomnis nigrior umbra ſuis.
Mane Deos miſeranda parum felicibus extis
Nequicquam & multâ ſupplicat uſa prece.
Pluraque ſacratis promittit munera templis,
Votaque pro reditu vix numeranda facit.
At poſtquam infelix extincti fama mariti
Certa fuit, cineres & brevis urna refert.
Tranſigat infeſtum ſua per præcordia ferrum,
Comprimat amantes nî pia turba manus.
Unum hoc non licuit: miſero conceſſa dolori
Cetera, & in caſto regnat amore furor.
Quod potuit comitata virum eſt; nec, vera fatenti,
Vita magis, quam mors, illa vocanda fuit.
Servavit cinerique fidem, lectoque jugali.
O rarum in longa poſteritate decus!
Delitet in tenebris, lucemque peroſa, viroſque;
Proque viro infelix urnaque, & umbra fuit.
Urna quidem cinereſque die, ſed noctibus umbra:
Hæc comes, hæc conjux, hæc & amator erat.
Talia Melpomene: mihi tum ſpecus Aonis antrum
Pandit, & e venâ Theſpide manat aqua.

Exultatio ob factam pacem.

A bellis ad rura, & ad ocia grata Camœnis,
Ad rura a bellis uxor amata vocor.
Pax Cererem redditque agris, redditque Lyæum,
Et ſua cantantem Mænala Pana ſonant.
Pace ſuâ lætatur humus, lætantur agreſtes,
Et reſides ſomnos oppida feſſa trahunt.
Jam facilis, jam læta choros per prata Voluptas
Ducit, & optatus rura reviſit Amor.
Rura Venus, ruriſque colit nunc urbe relictâ
Læta domos, lætus Numina ſentit ager,
Ergo alacres ſequimurque Deos, & rura petamus:
Huc propera, mecum huc uxor amata veni.

Huc

Huc veris te poſcit honos, ruriſque beati:
  Et rure, & verno tempore natus amor.
Urbis opes valeant: nil rure beatius ipſo:
  Rura placent Muſis, rura Diana colit:
Rura fides habitat, habitat probitaſque pudorque,
  Et fas, & pleno copia larga ſinu.
O valeant urbes: quid enim felicius agro?
  Hic tecum, hic conjux vita fruenda mihi eſt.
Ocia ſi capiant animum, quid mollius umbrâ,
  Fundit quam multâ populus alba comâ?
Quam platanus, platanoque decens interſita laurus,
  Et quæ tam raro Citrus honore viret?
Sin labor; ut teneras hortis diſponere plantas,
  Ut juvat humentes carpere mane roſas!
Aut tenuem e foliis Laribus pinxiſſe coronam,
  Et ſua triticeæ ſerta parare Deæ!
Nunc legere arbuteos fœtu, montanaque fraga,
  Aureaque in calathis mala referre novis!
Nunc agere incautas in retia cæca volucres!
  Mille modos placidi rura laboris habent.
Sed conjux tua vota moror: laqueata valete
  Et tecta, & thalami: te duce rura peto.
Dux conjunx, cui cana fides, cui caſtus eunti
  Hæret amor; ſequimur teque, tuoſque Deos.
O mihi poſt longos tandem conceſſa labores,
  O mihi non juveni, ſed data forte ſeni:
O mentis tranquilla quies: ſalvete beati
  Ruris opes: ſalve terra habitata Diis.
Terra bonis fœcunda, & nulli obnoxia culpæ.
  Hic tecum, hic conjux vita fruenda mihi eſt.
Iſta ſenes nos fata manent: mors uſque vagatur
  Improba: vis mortem fallere? vive tibi.

Lætatur in villâ ſuâ.

Hos ego, ruticolamque bovem, ſimamque capellam.
  Quam lætor nitidâ luxuriare cute.

Di-

Divitiæque laris tenuis non ſegnis aſellus
  Ut ſpondet multo plurima ligna foco!
Hac Malo vix eſt fœcundior ulla per hortos,
  Atque gravata ſuum quam bene portat onus!
Seu Campanus ager, ſive hanc dedit Africa pomum,
  Artifices hominum ſive tulere manus;
Non grato ſine honore feret, ſine divite fructu,
  Non ſine cæruleis Azariola comis.
His olim, conjux, opibus felicior ætas,
  Aurea de facto nunc quoque nomen habet.
Quum ſua cuique ſatis, nec plus aliena placebant,
  Et pecus, & cultus cuncta parabat ager.
Auro nullus honor; nullæ, & ſine nomine, gemmæ,
  Non illo quiſquam tempore adulter erat.
Si quando in pratis perrara ad feſta puellæ
  Jungebant dociles ruſtica ab arte manus;
His pudor hærebat fidus comes: ille monebat
  Quâ ſe, quaque oculos arte movere decet.
Namque ferunt captos hominum pietate, relicto
  Tellurem Divos incoluiſſe polo:
At vitia, infernoque lacu, Stygiaque palude,
  Horrendiſque Erebi delituiſſe cavis.
Tunc felix hominum cœtus, tunc nectaris amnes,
  Et fontes lactis, robora mellis erant.
Cœlitibus ſimul immiſti juveneſque, ſeneſque
  Prandebant: vini non tamen uſus erat.
Una Amor, atque Pudor, una accumbebat Honeſtas,
  Et Venus, & Probitas, Formaque juncta ſimul.
Hæc hominum ſors dulcis erat, ſors læta Deorum:
  Hæc bona præſtabat tunc habitatus ager.
Prima Erebo egreſſa eſt falſo cuſtode Cupido:
  Illa fuit noſtri prima ruina mali.
Illa rudes animos curis infecit habendi,
  In ſcelus & pronas juſſit habere manus.
Hinc levis Ambitio Phlegethonte emerſit ab imo.
  Livorque exanguis, pervigileſque Doli.
Tum terras, cœtuſque hominum, moreſque nefandos
  Numina, & infamem deſeruere locum.

Sola Venus teneri paſtoris imagine captâ
Et cœlo terras prætulit, & puerum.
Nec ruri contenta novas migravit in urbes:
Illa dies miſeris urbibus atra fuit.
Nos ah nos urbes conjux procul eſſe jubemus.
Rura placent: luxus deſidioſe vale.
Simplicitas nos priſca juvet, nos parca ſupellex,
Et facilis victus, & ſine ſorde toga.

Ad uxorem.

Natalem domini ſine me, Janique calendas,
Et ſine me regum tempora triſtis agis.
Triſtis & in templis ad publica munera perſtas,
Triſtis & a templo quum petis ipſa domum.
Illic te abſentis torquent monumenta mariti,
Ante tuos oculos quæ tibi multa jacent.
Illic deſertuſque thorus ſuccurrit amanti,
Quæque vacat viduo ſponda relicta loco.
Ingeminat tum corde dolor, crudeſcit & acre
Vulnus, & ipſa ſuper lapſa dolore cadis.
Non ſoror, & geminæ longo molimine natæ;
Vix revocat lacrimis qui tibi natus adeſt.
Jam conjux, jam parce novis, Ariadna, querelis:
Non te nunc primum contigit iſte dolor.
A teneris eadem mira virtute tuliſti,
Matronæ & laudes ipſa puella refers.
Difficile eſt tolerare; tamen laus omnis in hoc eſt;
Et labor aſſuetis mollior eſſe ſolet.
O non ſic aliis tua nota exempla puellis,
Servandique thori facta magiſtra fores.
Digna quidem amplexuque frui, thalamoque mariti,
Gaudiaque aſſueto continuare thoro.
Virtutem ſed dura probant: hinc fama pudicis,
Hinc meruit nomen Penelopea ſuum.
In pretio ſunt rara: nihil virtute ſed ipsâ
Rarius: hæc ſuperis nos facit eſſe pares.

Jam

Jam conjux lætare: nihil nam mente pudicâ
  Rarius, hæc ſuperos in ſua vota trahit.
Sed tibi nec monitore opus, officiumque maritæ
  Erigis, & per te munera matris obis.
Quum Domini natalis adeſt, lætare tibique
  Si non vis, natis optima parce tuis.
Mane ſimul geminis comitata operare puellis,
  Et tibi placatos juſta precare Deos.
Sint nato, ſint vota viro rata: ponat iniquum
  Mars odium, & redeat pacis alumna quies.
Dii faciles: tu juſta petis: jamque auguror ipſum
  Annuere, & capitis ſigna dediſſe Jovem.
Omine quo regreſſa Larem, fac ſplendeat aula
  Munditiis: feſtos duc ſine nube dies
Omnia ſint tibi læta domi: felicibus annus
  Auſpiciis peragat quod bene cœpit iter.
Cura ſit & menſæ, quæ non aliena puellis,
  Larga quidem, ſed non luxurioſa tamen.
Menſa ſuos habeat luſus, & ſæpe parentis,
  Sæpe viri nomen anxia verba ſonent.
Sit cura & patrii ritus, moriſque vetuſti,
  Qui ſtatuit poſito regna beata mero.
Quod felix fauſtumque, fabæ ſors regia cuja eſt?
  Nate tua: ardenti ſubdite lingua foco
Stet myrto, ſtet rore maris, lauroque comatus
  Ipſe focus: calices, & nova vina date.
Funde puer, bonus annus eat: pax læta ſequatur.
  Eveniet: micuit ſparſus in igne liquor
Funde iterum: ter flamma comâ crepitante reluxit.
  Ter ſaliit vivo laurus aduſta foco.
Pax aderit: jam ſigna domum redeuntia cerno.
  I puer, & veteri vincula deme cado.
Quiſquis ades, dic læta: dies hic nubila pellat.
  Inſtauret poſitum ſedula turba merum.
Abſenti mihi Chia dato: date Creſſa regi.
  Inde bibat dubio tota corona pede.
Tu vero hunc mihi chara viro præſtabis honorem,
  Tingat ut auratus mollia labra calix.

Et memor ipſa mei dicas: hæc oſcula conjux
  Illa tua, hæc conjux te properare jubent.
His addas etiam ſuſpiria, teque ſubinde
  Admoneant reditus tempora certa mei.

Pontanus Marullo Poëtæ.

Hoc vacuum tibi Pierides ſtatuere ſepulchrum
  Et Grajâ, & Latiâ clare Merulle lyrâ.
Ipſe etenim Aoniâ in ſylvâ, atque Heliconis in antris
  Lætus agens, illic ocia grata teris.
Illic formoſæ ludunt ad plectra puellæ,
  Et tecum ad choreas carmina lecta canunt.
Et tibi reſponſant ſylvæ, Penejaque antra,
  Plaudit & Ogygio roſcida ripa lacu.
Nil præter nomen tumulo: per opaca vagaris
  Culta, per Elyſium docte Marulle nemus.
Hinc tibi ſe ad cantum adjungit formoſa Corinna,
  Cantat & ad calamos Delia culta tuos:
Illinc compoſitos exercet Cynthia ſaltus,
  Exercet raros Lesbia blanda choros.
Nec Parca eripuit, Muſæ rapuere Marullum,
  Arnidi ne fieret grata rapina Deæ.
Sis felix igitur Muſis comes, & tua Muſæ
  Ambroſio foveant membra adamata ſinu.

Tumulus Antonii Panormitæ poëtæ nobiliſſimi.
Genius loquitur.

Siſte hoſpes, fas eſt cantus audire Dearum.
  Grata mora eſt: Muſæ nam loca ſacra tenent.
Antonî monumenta vides: hinc templa frequentant:
  Ille fuit ſacri maxima cura chori.
Illum ſæpe ſuis medium ſtatuere choreis.
  Duxit compoſitos arte decente choros.
Sæpe lyram ceſſit Clio, ceſſere ſorores;
  Concinuit teneros voce, manuque ſonos.

Extinctum flevitque Aon, flevitque Aganippe.
Sebethus miſeros egit in amne modos.
Sirenes quoque de ſcopulis miſerabile carmen
Ingeminant: planctu littora pulſa ſonant.
Pierides triſtem ad tumulum fudere querelas,
Pierides paſſis poſt ſua terga comis.
Hinc crevit deſiderium, nec cura receſſit
Vatis, at extincto vate remanſit amor.
Conveniunt nunc ad tumulum celebrantque choreas,
Et memorant luſus, magne Poëta; tuos.
En audis ſonet ut lenis concentibus aura?
Ut ſonet appulſu concita terra pedum?
Hæc vati memores Muſæ poſt fata rependunt:
Carminis hoc meritum eſt, num ſatis? hoſpes abi.

Parentes ac ſoror ad tumulum Auræ.

Tecum unà, mea nata, mori materque paterque
Debuimus, tribus hæc ut domus una foret.
Nata patri, nata & matri, ſoror una ſorori,
Dic ah dic miſeris, nata, ſororque, ubinam es?
Has pater infelix lacrimas, miſerandaque mater,
Exoluit crines hos ſoror atra tibi.
Nata audi, pater hic genuit, dedit ubera mater:
Et tenera infelix preſſit ad ora ſoror.
Non audis: nil dona movent ingrata, nec uſquam es:
Nec pietas, aut eſt ullus in orbe Deus?
Terra tibi has lacrimas, miſerorum dona parentum.
Mobilis at voces Aura ſororis habe:
Aura, tenes quod adhuc nomen miſerabilis auræ,
Terra, quod heu cineres viſcera noſtra tegis.

Laurinæ è tumulo loquenti reſpondet viator.

Hæc laurus mihi dat titulos, famamque ſepultæ.
Quæ quondam vive nomina clara dedit.
Sub lauru Laurina tegor; mea veſtit & oſſa
Laurus, & ipſa meo veſcitur e cinere.

Per

Per me igitur vivit laurus, Laurinaque vivo
  In lauru, & vitæ mùtua cura ſumus.
Ipſa eadem lauro materque & filia: laurus
  Ipſa mihi eſt titulus, ipſa quoque eſt tumulus.
Vivite frondenti pariter ſub cortice juncte,
  Ipſaque ſis lauro filia ſiſque parens.

Fuſcæ laus a caſtitate.

Centum Fuſca procos habuit, nec caſta cubili
  Polluit, aut ſancti jura verenda thori.
Centum Fuſca procos riſit, coluitque maritum,
  O raram in longâ poſteritate fidem:
Hoc virtutis opus, dura inter & aſpera ſeſe
  Erigere; & fortes exeruiſſe manus.
Vivit Fuſca igitur celebris poſt fata, fidemque
  Teſtantur nullo marmora victa ſitu.

Tumulus Fortunati.

Non amplæ mihi divitiæ, non regna fuere,
  Sed modicus cenſus, ſed ſine labe toga.
Nec mihi regales epulæ, ſed victus honeſtus,
  Menſaque communis, reſque modeſta domi.
Cultus ager ſine lite domus, ſine ſorde ſupellex;
  Parca quidem conjux, ſed ſine prole fuit.
Hinc Fortunato nomen fecere, quod eſſem
  Contentus modicis. ſimplicibuſque bonis.
Sorte ſua lætus quiſquis fuit, ille beati
  Fert nomen: felix, nomen inane puto.

Epitaphium Angeli Genticori.

Nec Muſis non charus eras: tibi carmina Muſæ
  Aoniæ & dederant fila movere lyræ,
Et dederant linguæ cultum, & præcepta loquendi,
  Genticore, atque artes poſſe docere bonas:

Nec

Nec tibi non aderant Charites, non fautor Apollo;
  Angele, eras docti pars vel honeſta chori.
Sed tibi nil Muſæ comites, nil fautor Apollo
  Profuit, ac Charitum quæ tibi juncta cohors.
Omnia mors ſuperat: fatum ſecum omnia claudit.
  Non tamen hoc noſtras finit amicitias.

Junio Juniano Majo.

Et myrtus tumulo ſatis eſt ſola, & ſatis ipſa
  Laurus: at hunc tumulum veſtit utrumque nemus.
Quem Charites perſæpe, novem perſæpe ſorores
  Inviſunt; tumulus nec ſine honore ſuo eſt.
Hæ choreas agitant, Junique ad marmora Muſæ
  Dulce canunt: numeris frondea ſilva favet.
Lætantur lauri, myrtus lætatur & omnis;
  Ac Maii felix nomine ridet humus.
Hic vates requiem ducit: feliciter umbra
  Dormiat, & cineri ſit ſopor uſque pio.

Tumulus Phiellæ, matronæ paupercula, ſed pudiciſſimæ.

Auratis digna es oculis, formoſa Phiella:
  Heu te condit humus, vilis & herba tegit.
Heu heu, nec mater, nec te tua pignora deflent.
  Nulla tibi eſt mater, pignora nulla tibi.
Non frater, non cognato de ſanguine quiſquam,
  Non pater ipſe, aut quæ lac tibi mamma dedit.
Vos fuſi deflete, coli deflete Phiellam,
  Flete & eam lanæ, flete & eam calathi.
Flete & acus, & fila fleant, & lina Phiellam,
  Telaque: vix tumulo caſta puella jaces.
Caſta puella lates tumulo vix: vix tibi ceſpes
  Dat tumulum, vix te terra inarata tegit.
Quæ tamen herba tegit, nullos hæc ſentiat æſtus,
  Frigora nulla: tuo floreat uſque ſolo.

Roſa puella, immaturè mortua.

Non nomen tibi, quin omen fecere parentes,
Dixerunt quum te bella puella Roſam.
Utque roſâ brevius nil eſt, æquève caducum,
Sic citò, ſic breviter & tua forma perit.
Impleſti denos vix nam formoſa Decembres.
Vere Roſa heu nata es, menſe Decembre cadis.
Non æſtus, ſed te rapuerunt frigora brumæ:
Non æſtas, ſed te frigida ſolvit hiems.
Ergo non hieme flores, non rapta per imbrem,
Frondeſcis; tumulo ſed male roſa, Roſa es.

Roſcia puella e tumulo loquitur.

Ros mihi dat titulum, nomenque eſt Roſcia noſtrum.
Ros brevis eſt, brevis heu ſic mihi vita fuit.
Rore madet tumulus, ſtillant & marmora rorem.
Roſcia ſum; me ros, roſcida & unda rigat.
Sed nec apes tumulo, verum inſedere cicadæ,
Stridulaque ad cineres hei mihi turba crepat.
Bruma mihi requies, æſtas eſt pœna ſepultæ:
Bruma quies; æſtas eſt mihi ſupplicium.

Tumulus Stellæ Ferrarienſis. Pontanus loquitur.

Sit vati fas, Pierides, quæ lucida fulget
Stella polo hanc proprio condere ſub tumulo.
Stella tibi tumulus cœlum eſt: hæc te tegit urna.
Teque per & tumulus, te per & urna nitet,
Stella nites urnâ, radios tibi & urna miniſtrat,
Præbet & hos tumulus, & tumulo ipſa nites.
At nec Stella jacet tumulo ſed ſplendet in urnâ,
Splendet & in tumulo, nam polus eſt tumulus.

Candida puella loquitur.

Nec me marmor habet, nec me tegit urna ſepultam.
  In niveas abii Candida verſa roſas.
Forte interque roſas, interque liguſtra quieram
  Aura fovet flatu, mater at ipſa ſinu.
Pallida quum cœlo nubes delapſa repente
  Me rapit inque auras diſſipor ipſa leves.
Dum natam mater gremio dum quærit in ulnis.
  Pro natâ niveas repperit ecce roſas.
Ne mihi, ne lacrimas quiſquam ne munera donet
  Ad tumulos: horti ſunt mihi nam tumuli.
O felix cui vere roſæ, atque æſtate ſepulchrum
  Sunt auræ: hinc flores fundis, & hinc Zephyros.

Pruinæ puellæ tumulus.

Nec mihi triſtis hiems nocuit, nec ſævior æſtas,
  Non terræ, aut tumidi vis inimica maris.
Tabida vis rapuit, rapuit violentia febris:
  Delicui, ut rapido ſole pruina liquet.
Heu nomen, fatale perinde ut ſole pruina,
  Sic ego pallenti tabe liquens perii.

Tumulus Sulpitianæ. Viator, & Umbra colloquuntur.

Dicite cuſtodes umbræ, quæ tanta ſepulchri
  Cura eſt ſollicitas curve ſmaragdus habet?
Parce hoſpes vocitare umbras. Amathuſides ipſæ
  Dicimur, & Veneri turba dicata ſumus.
Hic Nymphis defleta diu, plorata Camœnis,
  Clamata & Veneri Sulpitiana jacet.
Deflerunt Nymphæ formam, geſtuſque Camœnæ
  Plorarunt teneros, compoſitumque decus.
Clamavit Cytherea oculos, oculiſque pudorem
  Suffuſum, & veneres per labra, perque genas.

In frondem Nymphæ formam, in floremque Camœnæ
  Rarum verterunt, & ſine labe decus,
Incluſit Cytherea oculos, ſepſitque ſmaragdo,
  Cumque his & veneres, deliciaſque ſuas.
Mox ſtatuit nos cuſtodes: hinc cura ſepulchri
  Tanta eſt: ſollicitas inde ſmaragdus habet.
Ferte piæ dona hæc Amathuſides, hæcque ſmaragdo
  Serta date, æternos ſpiret & urna crocos,

Tumulus Jeſelmina in florem verſa.
Genius loquitur.

Parce hoſpes violis; manes nec læde ſepultos,
  Si neſcis, flores hi quoque numen habent.
Qui violæ nunc ſunt, fuit olim culta puella,
  Vota parum felix ſolvere quæ nequiit.
Voverat amplexus primos, atque oſcula prima,
  Et primos flores hæc Hymenæe tibi,
Non paſſa eſt Lacheſis: miſeri poſuere parentes
  In tumulo, & mœſtis thura dedere focis.
Certarant quæque ora roſis, quæque oſcula gemmis,
  Atque oculi, per quos bella parabat Amor.
Tabuerant [immane nefas] tenueſque papillæ:
  Scilicet optaſſet quas Cytherea ſibi.
Tum memor ipſe, ſibi notos Hymenæus amores
  Tranſtulit in florem corpora verſa novum.
Pro cute ſubriguit cortex, proque oſſibus hæſit
  Stipes, & è fibris fibra renata ſua eſt.
Plurima quæ fuerat Nymphæ coma, plurima manſit,
  Et denſum foliis præbet opaca nemus.
Sparſus & in toto fuerat qui corpore candor,
  Nunc multo nivei floris honore nitet,
Manſit odor, manſitque alio ſub corpore nomen.
  Hoc voti precium dia puella tulit.
Jeſelmina fuit nomen: flos dictus ab illo eſt:
  Quiſquis amas, tumulo parce, nemuſque cole.

Ariadna mater, ad tumulum Luciæ filiæ.

Nata cape hos calathos, depexæ & munera lanæ:
Cum lana, & calathis, accipe & has lacrimas.
Nata & acus, & fila cape, cape linea texta;
Cumque his, atque illis, accipe & has lacrimas.
Nata colum, fuſumque cape, & ſimul indita lina,
Cumque colo, & fuſis accipe & has lacrimas.
Nata cape has & bracteolas, hæc aurea dona;
Cumque his, atque illis, accipe & has lacrimas.
Accipe & hos crines, atque hæc tibi munera grata,
Flabellum, & tenues accipe forficulas.
Accipe & hos crines, cumque his & ſcrinia, & aureos
Accipe verticulos, accipe gemmeolos.
Accipe & hos crines, cumque his bombicina texta,
Et zonam, & pictum hoc accipe reticulum
Accipe nata meos crines, lacrimaſque, meoſque
Expecta & cineres Lucia, & inferias.

Tumulus Corvinæ, moroſæ feminæ.

Hic poſita eſt Corvina, ſuo attumulata marito;
In tumulo, & thalamo litigioſa cohors.
Anne cohors, ubi vir jaceat cum conjuge ſolus?
Ille ſuæ conſors conjugis, illa ſui?
Dum clamat, dumque inclamat, dum ſtridet uterque,
Hic boat, illa ululat, fit tibi plena cohors.
Jam ſtrepitant: irata cohors jam currit ad arma.
Clamor ad aſtra volat: telaque trunca ſonant.
Non litem, ſed bella putés: jam fragmina tundunt
Marmora, jam tumulo ſaxa rotata crepant
Heu clamat Corvina, gemit percuſſus Homaſter,
Pæona de Stygiis ite ciete vadis.
Sed nec Pæone opus: docti ſua vulnera curent,
Vos fomenta piis fundite pro lacrimis.

Tumulus Angelinæ Senenſis. Pontanus queritur.

Ne cœlo Idalium ſydus, ne quærite amantes.
  Occidit: ipſa latet victa dolore Venus.
Lugent te Angelina, Deæ: flet Gratia, Amorque
  Deſeruit triſtes triſtis & ipſe Senas;
Extinxitque faces puer, excuſſitque pharetram,
  Et decor informes traxit in ore notas.
Munditiæ cultuſque nigra ſub veſte feretro
  Intulerant: ducit vulnera acerba pudor.
Ut poſita eſt tumulo, Cajæ planxere puellæ;
  Abrupit flavas Blandia Nympha comas.
Has inter, Genevra gravi ſuperata dolore,
  Mœſta ſilet: lacrimæ pulchra per ora fluunt.
Ipſa lavat corpus lacrimis, ungitque liquore,
  Quem niger e lento palmite fundit Arabs.
Ipſa vale extremum peragit, dum voce retentâ
  Concidit, & viſa eſt tunc quoque velle mori.
Dî factum aſpexere; brevi nam tempore ſurgit
  Junipera e lacrimis, juniper, orta tuis.
Manſit Arabs odor in ligno: de cortice amaras
  Quæ referat lacrimas, nunc quoque gutta cadit.
Quæ ſparſit crines tumulo jacuere ſepultæ,
  Nunc veſtit ramos horrida fronde coma.
Dîs pietas, Genevra, tua eſt accepta ſorori,
  Contingit per te namque perennis honos.

Tumulus Jo: Joviani Pontani.

Dic age quid tumulus ſervas Dea? noſtra tuemur
  Jura. Deos cinerum num quoque cura tenet?
Hæc mihi prima quidem cura eſt: quid concutis alas
  Uſque? tenebroſi quo vigeant tumuli.
Quid ſibi quæ collo pendet tuba? nomen amico
  Dat cineri: ad tumulos hæc ego geſta cano.

Dic

Dic agedum manes cujus hi? Vatis: at urnam
  Officio poſuit docta Minerva ſuo.
Hos tumulos Jovianus habet: quæ ſerta vireſcunt
  Lecta ſuis manibus diſpoſuere Deæ.
Sed manes ne quære die: per amœna vagantur
  Prata, ſonat riguæ ſicubi murmur aquæ.
Nymphæ adſunt, & adeſt dulcis Charis: aurea cantu
  Fila movent: leni concinit aura ſono
Nocte illum complexa fovet nitidiſſima conjux;
  Fervet, & a nulla parte refrixit amor.
Hæc illi comes in tenebris; quas vincit amoris
  Lucida fax: geminâ luce coruſcat amor.

De Mundi Creatione, ad Antonium Panormitanum.

Hoc cœlum, quæque obliquo diſtincta meatu,
  Sed certâ ferri ſidera lege vides.
Telluremque ſuo libratam pondere circum
  Quam cingit rapidis Ennoſigæus aquis,
Spiranteſque avium tractus, fuſumque ſupernè
  Qui cuncta ætherio temperat orbe Jovem,
Antoni, Deus è nihilo, Deus omnia fecit,
  Et formam rebus juſſit adeſſe ſuam.
Ipſe ſuâ voluit cœlum ſplendeſcere luce.
  Et terras cæcæ noctis habere vicem.
Accendique diem claro de lumine Solis,
  Solis & auratum mane redire jubar:
Alterniſque atræ lucem concedere nocti,
  Temporaque hinc ſpatiis ire coacta ſuis.
Biſſeniſque vagum complevit menſibus annum,
  Ut tamen in partes quattuor omnis eat.
Namque ubi Sol noſtro languens ſeſe eripit orbi,
  Frigidaque hibernis terra madeſcit aquis;
Sævit hiems incana gelu, riget horrida bruma,
  Tum tellus fœtu concipit aucta ſuo
Aſt ubi vicinos Sol ipſe recurrit ad ortus,
  Excurſu & parili noxque dieſque ruunt,

Terra ſuas oſtentat opes, & divite gemmâ
  Veſtit pampineas vitis opaca comas.
Ludit & in pratis varium ver, ludit & æſtas
  Torrida, & ipſa ſuas ſedula curat opes.
Hæc frumenta manu legit, hæc & in horrea condit,
  Quæ mox verſa rotis parca colona terat.
Hinc cedente die, longè & creſcentibus umbris,
  Autumnus pleno fert ſua poma ſinu,
Ac Bacchum plenis docet expumare lacunis,
  Sordida dum celeri ſub pede muſta fluunt,
Sic ſtatuit pater ipſe hominum, rerumque creator
  Annua perpetuas munera obire vices.
Quin etiam, ſpirare ſuis de partibus orbis
  Ventos, & patriis nomen habere locis.
Namque ab Hyperboreis Aquilo volat impiger antris,
  Excitat oppoſitas humidus Auſter aquas.
Eoos ciet Eurus equos: at mitis ab orbe
  Heſperio Zephyrus lenia flabra movet.
Idem etiam occultos alta ad convexa vapores
  Suſtulit, ac terræ vertit in auxilium.
Unde cadunt imbres, & matutina pruina,
  Et grato ſitiens rore madeſcit humus.
An non & ſummo decurrunt vertice rivi,
  Et cava muſcoſis fontibus antra ſonant?
Unde ſitim peditesque, feræque, armentaque ſedent,
  Temperet & riguum cærula lympha ſolum.
Quando aër quoque nimboſis incluſus in antris
  Cogitur in laticem frigore, & inde fluit,
Ne qua igitur mundi regio vacet, implet & undas
  Piſcibus: hi campo liberiore natant,
Ac gregibus variis ingentia regna frequentant,
  Nullaque ſquamigera gente lacuna caret.
Alitibusque auras celebrat, quibus indit & alas,
  Et corpus penna verſicolore tegit.
Induit & virides frondenti gramine colles.
  Et nemora arboreis velat opaca comis.
Communem & ſtatuit victum è felicibus agris,
  Pomaque frugiferis ducit ab arboribus.

Quo

Quo varios uſus homini, pecorique, avibuſque
  Præſtent, ac vitæ munera certa ferant.
Et jam quadrupedes fœtus, obnoxia morti
  Corpora plumoſos ediderat que greges:
Tum Deus humanos effingere molliter artus,
  Membraque de tenui ducere cœpit humo.
Cunctaque formarat ſtudio perfecta magiſtro,
  Quæque artem referant, artificemque ſuum.
Mox auram æthereo de fomite fundit in illum:
  Vive, ait, & proprio membra labore fove.
Arcanæ mox partem animæ de mente profundâ
  Libat, & erecti ſpirat in ora viri.
Dux ait, hæc hominum generi ſit, & ipſa magiſtra,
  Et ſua conſtituant hac duce, ſeque regant.
Hac validas ponant urbes, hac jura notarint,
  Hac cœtus pariter, juſtitiamque colant.
Conjugium, ac thalamos diſcant ratione magiſtra
  Servare, & caſta relligione focos;
Atque artes tractare bonas, & munera cœlo
  Digna, & quæ factis nomen ad aſtra ferant.
At poſtquam immemores recti cœleſtia dona
  Vertere in facinus, perniciemque ſuam;
Immemoreſque boni, ſpreta pietate, fideque,
  Admorunt proprias in ſua fata manus:
Graſſati & patrium in jugulum cædeſque ſuorum,
  Miſcuerunt Stygio pocula tincta lacu:
Inque virum ſævit conjux, in pignora mater.
  Proh ſcelus, ac miſcet faſque nefaſque furor.
Hæc pater ut celſa miſerans proſpexit ab arce,
  Siſteret ut ſceleri, criminibuſque modum,
Progeniem in terras ſummo demiſit Olympo,
  Quæque hominis gereret munia, quæque Dei.
Hæc cœli ſecreta, & inenarrabile patris
  Conſilium explicuit; quæ bona, quæve mala;
Quæ vitanda homini, que vitæ forma ſequenda;
  Quæque bonos maneant præmia, quæque malos.
Denique mortem obiit, vitæ dum conſulit ipſi,
  Atque ſuo in cœlum ſanguine fecit iter.

Quo magis admiranda Dei clementia ſumma eſt,
  Cui fumet quicquid terra Sabæa ferat,
Quidquid Arabs: date thura focis, coſtumque cremate,
  Et date cum multa thurea dona prece.
Pierioſque adhibere modos, & carmina, dignum eſt,
  Antoni, quæ te gloria prima manet.
Hyblæo cui rore madent & labra, cui amnis
  Caſtalius pleno gurgite fundit aquas,
Nyſæique hærent inſigni fronte corymbi,
  Et coma Pieria fronde revincta viret,
Felicemque animum paſcis pietate, fideque,
  Nilque tibi vera eſt relligione prius.
Quodque decet, bona cuncta Deo, juſtumque, piumq;
  Adſcribis, noſtræ ſed mala nequitiæ.

Hymnus ad Chriſtum Redemptorem.

Annua jam redeunt patriis ſolemnia ſacris,
  Et ſanctum referunt tempora certa diem.
Luce bona ſimul & pueri, innuptæque puellæ,
  Et ſimul aſſidua femina, virque prece,
Solemnes celebrate aras, atque ore favete,
  Omnia & æterno ſint operata Deo.
Prodeat in Tyria ſpectandus veſte ſacerdos.
  Et chorus ornatas prodeat ante fores,
Velatique comas, albenti & tempora lino
  Decantent laudes, maxime Chriſte, tuas,
Te ſors dura hominum generis, te cura laborum,
  Immitem ſubiit mortis obire vicem.
Dum trunco affixus, cuneo & trajectus aheno,
  Senſiſti geminum vulnus utraque manu.
Senſiſti fixas ferrato ſtipite plantas,
  Horruit & capiti ſpina cruenta tuo;
Et cava mortiferum ſenſerunt ilia ferrum,
  Vulnere manavit lympha, merumque tuo.
Quumque ſitim cuperes noſtra ſedare ſalute,
  Torpuit arenti fellis in ore ſapor;

At-

Atque inter geminos crudeli ſorte latrones
  Judææ pateris jurgia ſævitiæ.
Donec defeſſo decedens ſpiritus ore
  Clamavit, quid me deſeris alme Pater?
Hinc manes, Stygioſque lacus, loca tetra ſilentum,
  Infernique ſubis limina dura fori.
Inde pias animas, & cœlo digna ſecutas
  Eximis, & ſuperum munera ad alta vocas.
Tertia lux aderat, roſeo quum lætus Eoo
  Surgis, mox victor ſidera clara petis.
Conſortemque capis patrio cum numine curam.
  Dextra tenens dextro conſpicuuſque loco.
Hunc igitur præcibuſque piis, ſtudioque fideli
  Placemus, noſtro det veniam ſceleri:
Det pacem: mala cuncta procul, morboſque famemque
  Pellat, & hoſtiles det ſuperare manus.

Hymnus de Chriſto, ad Paridem Ferrarienſem.

Quod varios pelagi caſus, cœlique procellas
  Exuperas, nanti quod data terra tibi eſt,
Oceanique minas, & ſæva pericula vincis,
  Ac ſoſpes patrio redderis Eridano:
Hæc Pari non ars ipſa hominum, aut ſollertia præſtat,
  Non labor; at ſummi cura paterna Dei.
Quantula enim noſtra eſt induſtria? cede periclis,
  Cede mari, Chriſti ni pia dextra juvet;
Ille regit noſtros curſus, auramque miniſtrat,
  Sollicitæque offert littora tuta rati.
Quare age thure pio, flammiſque liquentibus aras
  Ipſe adole, & plena fumet acerra manu.
Adſtet conſpicuus Tyrrhena in veſte ſacerdos,
  Et peragat patriis myſtica ſacra modis.
Pax homini, tibi Chriſte decus, tibi gloria ſoli,
  Vera Dei proles, verus & ipſe Deus.
Te colimus, tibi divinos largimur honores,
  Et nomen felix ducimus eſſe tuum.

Tu caſus, tu damna levas, tibi munera terræ;
  Et tibi ſe fontes, ſe tibi debet aqua.
His igitur placare Deum, ſuperoſque memento,
  Et ſua cum pura ſolvere vota prece.
Nil auro divis opus eſt, ſed mente, fideque;
  Hæc nos una homini copulat, illa Deo.

Hymnus ad D. Auguſtinum.

Det monſtra infelix tellus Maſſyla, det angues,
  Et Libycas pariat Punica terra leas;
Areſcant ſitiente ſolo Naſamonica teſqua,
  Funditet & nullas gleba Libyſtis aquas.
Dum tamen, Auguſtine, tuos non deneget ortus,
  Læta ſit & partu Cinyphis ora tuo.
Unde illi invideant & felix Lydia, & arva
  Quæ rigat auriferis lucidus Hermus aquis.
Invideat latis audax Germania terris;
  Dives aquis, populis dives & ipſa ſuis,
Nil etenim, Auguſtine, tulit te te Africa majus,
  Cujus ab ingenio creverit alma fides.
Per te relligio Chriſti ſtetit integra, per te
  Divinæ legis myſtica operta patent.
Tu ſecreta Dei pandis, tu tradita patrum;
  Et verum, & pietas manat ab ore tuo.
Et pater, & patriæ princeps, & maxime rector,
  Accipias voces dive benigne meas.

De Federico Rege, ad balneas accedente.

Quid, quod plus ſolito ſerenus aër?
Et gramen viret, & niteſcit arbor?
Quid quod plus ſolito canunt volucres?
Cantant gutture leniore cycni?
Procne & lugubrioribus querelis?
En ſpirant Zephyri ſalubriores,
Et rident pelago ſilente arenæ.
Nullo & murmure littus obſtrepeſcit.

En

En ducunt choreas per arva Nymphæ,
Et Muſæ numeris ſuis ſequuntur;
Ipſa & balnea perſtrepunt cachinnis,
An non adveniente Federico
Ipſa & balnea molliter cachinnent?
Ipſa & littora ſuaviter ſuſurrent?
Agnoſcunt Dominum ſuum lacunæ;
Regem balneolæ ſuum ſalutant;
Adſurgunt & hero ſuo liquores.
Adventat decus elegantiarum,
Et flos advenit omnium leporum.
Illum deliciæ ſequuntur omnes,
Illum munditiæque, Gratiæque,
Et ſceptro ſpecies potente digna.
Ne ne balneolæ timete, ne ne
Mavortem ſocium, truceſque vultus,
Mavortem ſocium nihil timete.
Juſſa nam timet ipſe Federici,
Paretque imperio, & veretur illum.
Felices Domino lavante thermæ,
Felices & hero jocante Bajæ.
O felix ſpatiante Rege littus?
Myrti dicite, jo, euge Federice:
Euge, jo, canite, euge Federice,

De Orpheo navigante; & poſt, ad inferos, pro uxore deſcendente.

Jam maris vaſti penetrabat undas
Pelion linquens Pagaſæa pinus;
Jamque canebant agitata longis
Æquora tonſis;
Cum pius Phœbi citharam ſacerdos
Movit, inſigni cecinitque plectro,
Et parem nervis, parilemque voci
Commodat ictum.
Ilicet Nymphæ vitreis ab antris
Efferunt udum caput, ac per undas

Im-

Implicant, certo choreas ſecutæ
Cum pede cantum.
Ilicet Triton reſonante ab ore
Buccinam intendit, ſcopuloque ab alto
Adſonat vati: pecus omne ſummâ
Ludit in unda.
Ipſe ſtans celsâ modulanſque puppi,
Purpurâ inſigni & venerandus oſtro
Ad decus famæ ciet, atque honorum &
Præmia laudum.
Fortibus ſummi meritum triumphi,
Fortibus primæ meritum coronæ,
Fortibus plauſum populi, patrumque
Publica vota.
His & æternum decus adparari
Morte prælustri, his titulos ſepulchri
Signaque & Divis ſolitos honores.
Templaque, & aras.
Hic & Heroas juvenumque primos
Cerneres pontum validis lacertis
Vertere, atque æſtus pelagi, & minaces
Vincere fluctus.
Tum ſacer vates graviore plectro
Suſcitans, hoc hoc agite o juventus,
Hoc Deûm proles agite & volenti in
Cumbite dextræ.
Vos labor primos hominum, Diis vos
Reddet æquales labor, & Deorum
Cœtui adjungens, ſola ſalſa ponti
Subdet, & auras.
Hoc virûm virtus, ſtudiumque pulchri
Poſcit, hoc illud decus, hoc & illi
Qui Jovi vos conciliant honores.
Famaque poſcunt.
Talibus vates, ibi cœpit ingens
Ardor heroas: novus urit ignis,
Pectora accendit nova flamma aventes,
Et nova virtus.

Thra-

Thraciæ hæc olim citharæ ad labores
Ac decus, vis enituit canendo,
Quæ quoque & vati fuerit querenti
Ditis ad antrum.
Hoc refer mecum, o Erato, per umbras
Sola namque illum comitata, ſola
Illius luctum & lacrimas levabas
Pectine mulcens,
Mitis o mundi Dea nigricantis,
Supplices ad te lacrimas profundens
Adſum, o & vocem & lacrimas precantis
Accipe vatis:
Cui & inferni patuere poſtes
Sponte recluſis foribus canenti,
Ceſſit intranti canis & remiſſos
Cluſit hiatus
Conjugis manes repeto, relictâ
Luce ſub terram in tenebras profectus:
Conjuge & pro te, tenebris relictis,
Æthera conjux;
Et Diem & cœli jubar, & vagantes
Siderum ac Solis radios petivit,
Teque & incepti pretium, & laboris,
Præmia portat.
Fas tibi, & vatis pietatis ergo
Reddere adſueti pretium laboris;
Fas mihi optatum pretium referre, &
Præmia cantus,
Te Deam cœli canimus, te & imi
Sceptra geſtantem ſolii, te & udi,
Fluctuum campos moderantem, & almæ
Ubera terræ.
Ipſe ego & Divûm atque hominum ſacerdos
Hoc peto, & juſtum peto: pro receptâ
Conjuge, & ſilvas moveam, & profundi
Marmora ponti.
Sacraque & ritus ſtatuens dicabo
Templa, & æternum metuentur aræ

Sup-

Supplicum votis venerandæ, & aurea
Thuris acerra.
Interim manes ſtupuere cantu:
Diſtulit pœnam rota; conſtiterunt
Saxa: non angues cruciant, nec hydræ,
Vulturiive.
Hîc & umbrarum chorus, & ſilentum
Vulgus, oranti adfremuere, & unà
Plaudit heroum genus, & canoro
Conſonat ore.
Diva tum triplex modulante cycno,
Plebis & plauſu, memor & rapinæ,
Et thori, & lucis memor, in favorem
Ora reſolvit.
Duc age, ô vates, ſociam, & laborum
Quem petis finem cape: fas ſit illam
Regredi tecum, modò ne in ſequentem
Lumina flectas.
Rurſus umbrarum adfremuere turbæ;
Rurſus & vates citharam reſumit;
Ipſe præcedens: ſequitur canentem
Aurea conjux.
Vulgus atque una attonitus ſilentum,
Monſtraque & manes trepidi gigantum,
Quos triceps cuſtos procul allatratu
Arcet ab amne.
Heu, quod obſtantes pelagi fragores,
Quodve diſcordes Erebi tumultus,
Quod poteſt dirarum animos ſororum
Flectere carmen:
Non poteſt triſtes oculos puellæ,
Pectus aut trux virginis, aut ſuperbæ
Feminæ immites animos, feramque
Vertere mentem.

Tumulus Fulci Ferrarienſis Muſici.

Biſtonis anne ſenis ſonat hic Lyra? Biſtonis anne
Quæ traxit ſilvas, horridaque antra, chelys?
At neque Biſtonii ſenis eſt Lyra, ſed Lyra Fulci,
Quæ mulſit juvenum pectora, quæque ſenum:
Adſonuit cui, Peneo perſæpe relicto,
Delius, & carmen flebile junxit amans.
Adſonuit cui Cylleni teſtudo, & amantum
Deflevit curas, flevit & ipſe ſuas.
Nec nunc muta ſilet Fulci Lyra; Fulcus & ipſe
Non ſilet: at Stygias carmine mulcet aquas,
Dum ſonat, Elyſiæ ludunt ad plectra puellæ,
Dum canit, ad numeros quæque puella canit.
Nec ſentit Tityus roſtrum, nec vulturis ungues,
Nec ferus ad portas Cerberus ipſe latrat.
Dum vixit, Fulco regum plauſere theatra:
Nunc plaudit Stygii flebilis aula Dei.
Vive igitur plauſus, inter choreaſque ſilentum,
Æternum & valeas perpetuumque cane.

Ad Cinnamam.

Cùm me cogit amor quidquam male dicere de te;
Diſpeream, ſi non, Cinnama, diſcrucior.
Diſcrucior: verùm tanto ſuccendor amore,
Ut peream, ſi non quæ velit ira, loquor.
Pœna tamen præſto eſt, nam vixdum lingua locuta eſt,
Cùm mihi fit ſubitò flebile cordolium:
Pœnitet & caram dictis læſiſſe puellam;
Ac miſero in lacrimas vertitur ira mihi.

Tumulus Julii Parmerii.

Da tuba terribilem ſonitum, tubicenque canoro
Ære tona: hos tumulos clangor, & arma decent.
Julius hic ſitus eſt: ſtrepitus juvat, & juvat enſis
Clavaque: Parmerium bellica parma juvat;
Gaudet & his heros concentibus, en canit umbra
Ad numeros placidos ducit & ipſa choros.

Nunc rurſum tuba, nunc tubicen fera murmura rurſum
  Ingemina; ut cantu marmora pulſa ſonent.
Hic honor ad tumulos magnorum & ſaxa virorum
  Debetur: Martis ſic ſtata caſtra jubent.
Pro patria hic cecidit. Manes gaudete ſub urnâ;
  Gaude & Juleis Umbra ferox tumulis.
Pro patria occubuit pugnans, muriſque cruento
  Dum ſtetit hoſtiles reppulit enſe manus.
Nos plauſum ſimul ore damus, ſimul ære canoro
  Parmerio: hæc patrius munera poſcit amor.

Tumulus Violanthidis.

Quænam hic virgo jacet? cujus de funere mœrens
  Fregit Amor pharetram diſſecuitque genas.
Quis comes in tumulo eſt? Luſus Venereſque Jocique.
  Quis tam demiſſo qui madet ore? Decor?
Quod nomen! Violanthis. Origo nominis unde?
  Surgebant violæ fixit ubi illa pedem.
Immanem Lacheſin! quod nunc rapis, heu brevis eſt flos,
  Quem neque ros poſthac, lympha nec ulla riget.

Violina loquitur.

Prata mihi tumulum præbent, violæque ſepulchrum
  Fronde tegunt: mirum ſi Violina vocer?
Non mihi thure opus eſt aut nardo, aut Arabe myrrhâ;
  Myrrha mihi & nardus, thuraque ſunt violæ.

Ad Cinnamam.

Pauxillum quod amas me, Cinnama, num bene velle
  Plus tibi, quamque oculis credis inepta meis?
Non amo te, fateor; quid enim ſimulare neceſſe eſt?
  Si mihi nec bene vis; nec bene velle cupis.

Ad Conſtantiam.

Inſedere tuis apes labellis:
In labris reſidens tuis Meliſſa

Hy-

Hyblæum liquat, Atticumque rorem,
Quem ſtillent Venus ipſa, Gratiæque.
O qui Caſtalios lacus poëtæ,
Quique & Theſpiadum ſititis amnes,
Hinc & Caſtalii lacus liquores,
Hinc & Theſpiadum petatis undas.
Has Conſtantia mollibus labellis
Inſtillat, quibus Atticæ Camœnæ
Rorarunt Veneres ſuas, Charinque,
Quæ Muſis comes & comes poëtis.

Tumulus inertiſſimi hominis, Hyæ.

Numquam vixit Hyas; ſed Hyas hoc conditur antro.
  Si vixit numquam, mortuus eſt nec Hyas.

Tumulus mendici.

Nulla mihi vivo Domus: at nunc certa ſepulto eſt.
  Vitaque paupertas; mors mihi divitiæ.
Vita, mihi exſilium; requies at certa, ſepulchrum.
  Nudus eram vivus: mortuus ecce tegor.

Ad Paſtores & Capellas.

Paſtores cohibete gregem: procul ite capellæ,
  Ite citæ, en flammas pectora noſtra vomunt.
Aër flagrat, & acta volant incendia ventis;
  Ipſe & Amor flammis ventilat, ipſa Venus.
Adfer opem Eridane, fluvioſque emitte citatos.
  Si non & fluvios hæc mea flamma voret.

De Stella.

Noſtra die quod Stella nitet, quod nocte refulget;
  Solem Stella die, ſidera nocte refert.
Nocte eadem ſurgente nitet, cedente refulget:
  Phoſphoron hic, illic Heſperon ipſa refert.
Ergo eadem mihi Sol, eadem mihi Sidus; & unà
  Lucifer eſt, eadem Veſper & una mihi.

Ad eamdem.

Sæpe mihi ex oculis auram, flatuſque ſecundos,
  Promittiſque meæ tempora fauſta rati.
Sæpe ſuperciliis portum, fidoſque receſſus,
  Ira ſit ut placido nulla timenda mari.
Cur o cur Boreas, unaque nigerrimus Auſter,
  Eripiunt portus, littoraque ipſa mihi?
Aëris hoc vitium; vitium commune puellis:
  Illi incerta fides; his fugitivus amor.

Solis, Amoriſque comparatio.

Sol hiemes, Sol æſtates moderatur; & idem
  Tempus agit noctis, tempora lucis agit.
Talis amor: rixas idem, pacemque procurat:
  Idem lætitiam, triſtitiamque movet.
Sol æſtus, Sol & glaciem, tenebraſque diemque;
  Diverſo tamen hæc tempore cuncta facit.
Aſt turbas, requiemque ſimul, lacrimaſque, jocumque
  Miſcet Amor; nullo tempore certa gerens:
Semper enim variat dubius, ſemperque vacillat.
  Quam miſer eſt omni tempore, quiſquis amat!

Ad Stellam.

Una eademque faces in me ſuccendis, & una
  Atque eadem glacie pectora noſtra gelas.
Corda rigent, oculos quoties avertis iniquos,
  Occupat & ſubitum pectora noſtra gelu.
Urimur, atque imis fervent incendia venis,
  Spirat ut ex oculis aura ſecunda tuis.
Hæc flammas, hæc ipſa faces diventilat aura:
  Jam video in flammas pectora abire meras.
Verte oculos age, funde gelu, glaciemque, nivemque:
  Fax glacie ac nivibus, flamma abolenda gelu eſt.

De

De Venere, & Amore.

Ne fle, ne mihi care, oculos corrumpe; tuiſque
  Deſine de lacrimis ſollicitare meas.
Me miſeram, qui ſingultus! complectere matrem:
  Colla fove, inque meo, feſſe, quieſce ſinu.
Belle puer, quinam lacrimas dolor excit: ubi arcus?
  Ah miſeram, in pharetra ſpicula nulla manent.
Dic agedum neu ſingulti, neu pectora rumpe;
  Quæ rogo, quæ inſidiæ? cujus & iſte dolus?
Heu mater nato indulgens: mihi Dejanilla,
  Mutua quæ dederam, reddere tela negat.
Hæc arcumque manu tendit, ſtringitque ſagittas,
  Ipſa gravi dextra ſpicula noſtra jacit,
Singultus age, coge puer, lacrimaſque coërce;
  Spicula quo redeant ſub tua jura dabo.
Hanc auram cape, nate, oculos hac Dejanillæ
  Adfla, & Acidalio tinge liquore genas.
Deque oculis, deque ipſa genis dic tendat ut arcum;
  Deque oculis jaciat ſpicula, deque genis.
Arma tibi puero reddat: ſit & aura vel arcus;
  Vel pharetra: aſt ipſi ſpicula ſint oculi.

Ad Citharœdos.

Quique lyram, chordaſque lyræ, qui carmina nervis
  Aptatis, dulces & datis ore ſonos,
Neu numeris, neu vos digitis, neu fidite plectris;
  Et numeri, & digiti, plectraque murmur erunt.
Dum ridet, dum Stella canit, blandumque jocatur,
  Hanc auram, hos vobis conciliate modos.
Hac numeros, hac & digitos, hac plectra ſub aurâ
  Mulcete, hæc veſtrum temperet aura melos.

Ad puerum, faculam præferentem.

Pone puer faculam: nihil eſt opus indice flamma.
  Stella mihi fax eſt, qua duce flamma micat.

Stella mihi in tenebris lux eſt, in luce diurna
  Stella mihi ſpeculum, Stella & imago mea eſt.
Quique meas curas, mea ſcire incendia poſcis;
  Illius ex oculis ſingula noſſe potes.
Illius ex oculis tibi noſtra liquebit imago;
  Quæque premant curæ, quoque & ab igne cremer.
Æra trahit magnes, rapiunt & ſidera nubes:
  Stella trahit ſenſus, cordaque noſtra rapit.
Quiſquis ades, Stellamque vides mea pectora cerne
  In ſpeculo: ſpeculum pectoris illa mei eſt.
Illa meos magnes ſenſus rapit, illa dolorum,
  Illa voluptatis fertilis aura meæ;
Illa meum ſidus, ſeu Sol, ſeu Luna, Venuſve:
  Lucifer illa mihi eſt, Veſper & illa meus
Heu, heu, non Veſper, non eſt mihi Lucifer illa;
  Non ſidus, non Sol, Luna nec illa mihi eſt:
Stella mihi tenebræ Stella eſt mihi triſtis Orion;
  Eſt nox cum nymbis, eſt ſine luce dies,
Quiſquis amas, age, temne fidem, neu crede puellis,
  Deficiet medio Sol tibi namque die.

De Venere.

Pectebat Cytherea comam, madidumque capillum
  Siccabat: Charites carmina lecta canunt.
Ad cantum Satyri adproperant, ad carmina Nymphæ:
  Carmina de tacitis ſepibus hauſta bibunt.
Hinc aliquis petulans auſus prodire, Dionen
  Intuitur, doctâ dum linit ora manu.
Erubuit pudibunda, ruborque per ora cucurrit,
  Occupat & teneras purpura grata genas.
Mox interque roſas, interque roſeta refugit.
  Delitet, & molles ſpirat ab ore crocos.
Dum ſpirat funditque crocos, dum purpura fulget,
  Concipit adflatus dædala terra Deæ.
Hinc & purpureum flores traxere colorem;
  Quæque prius candor, purpura facta roſa eſt.
Has legite, his teneræ crines ornate, puellæ,
  Pæſtano niteat lucida rore coma.

Vere roſas, æſtate roſas diffundite; Divæ
  Spirent templa roſas; ipſæ & olete roſas.

De amantium infelicitate.

Vere roſas, ſegetes æſtate, ſubinde racemos,
  Perque hiemem Genii dona beata legunt.
Flora roſas, meſſemque Ceres; Pomona racemos,
  Inde ſuas Genius ſponte miniſtrat opes.
At miſerandus amans, & frigore triſtis, & æſtu,
  Vereque, & autumno, nil niſi triſte legit.
Hinc Amor, inde Venus lacrimas, ſuſpiria, queſtus,
  Inde Cupido gravem fundit amaritiem:
Sin quandoque roſas legit, & legit ipſe hyacinthos;
  Perque ſuas ſentes, perque rubeta legit.

De ſuſpiriis amantum.

Diſtillat fonte è tenui vagus amnis, & inde
  Labitur effuſis non rediturus aquis.
Emanant corde ex imo ſuſpiria, moxque
  Converſâ redeunt in ſua corda viâ.
Ex oculis lacrimæ poſtquam fluxere, nec illas
  Luminibus rurſum reſtituere genæ.
Cur revocant ad ſe rurſum ſuſpiria curæ?
  Rurſus & infeſtat triſtia corda dolor?
Nulla quidem ratio eſt: etenim rationis amantes
  Expertes; omnis cœca in amore via eſt.

De Stella.

Exhauſit pharetram Veneris puer: at Venus ignes
  Exſtinxit. Venus hinc, inde & inermis Amor.
Exhauſtam hic Pharetram, extinctas flet Cypria flammas,
  Hic arcum lacrimis tingit; at illa faces.
Neve puer, neu fle mater: dant ſpicula mille
  Stellæ oculi; puer his utere pro pharetrâ.
Quin flammas mea corda vomunt; his utere mater,
  Pro face; inexhauſta tu face, & hic pharetrâ.

Ad Dejaniram.

Cur ô Dejanira, cur moraris
Auroram cupidis referre terris?
Cur non lumina, pætuloſque ocellos
In lucem exeris, ac diem reducis?
Pellit Sol radiis ſuis tenebras,
Et lucem pariter diemque reddit.
Tu lucem referens tuis ocellis,
Pellas triſtitiam, & graves dolores;
Et curas abigas benigna amantum:
Et quod Sol radiis, id ipſa ocellis
Præſta Dejanira, amantibuſque
Et lucem pariter diemque redde.

Ad uxorem, & laurum olim ab illâ ſatam.

Cum lauru tibi creſcit honos: tua nomina laurus
Servat, nam dextra crevit & illa tuâ.
Officium officio penſat gratiſſima laurus:
Quique fuit Nymphæ, nunc quoque ſenſus adeſt.
Cum lauru mihi ſalve iterum, conjux mea: ſalve
Conjuge cum, Laurus, fronde, & honore pares.
Ite pares, nomenque unà ſervate per ævum;
Et mihi frondenti ſertà parate coma.

Ad Focillam.

In tuis Amor inſidens ocellis
Mira cœpit ab arte vulnerare:
Nec ſuetas pharetrâ jacit ſagittas,
Nec tendit veterem recurvus arcum.
Sed cum lumina, pætuloſque ocellos
Huc illucque agis, & ſubinde rides,
Iſtis utitur ille tunc ſagittis;
Iſtis corda quatit, feritque amantum:
Iſti ſpicula ſunt, faceſque ocelli,

Quod-

Quoſcumque adſpicis ipſa vulnerantur,
Omnes vulnerat, adſpicis quos ipſa:
Omnes uſtulat, ipſa quot tueris.
Iſti ſunt oculi, faces Amoris.
At tu ne pereas tuis ocellis,
In te neu propriis Amor ſagittis
Utatur, ſpeculum, Focilla, vita:
Ne te cum in ſpeculo vides, probaſque;
Et ipſo ſpeculo, nigriſque ocellis,
Excuſſas Amor ingerat ſagittas;
Atque urare tuis miſella flammis:
Sit tibi & ſpeculum, fuit quod olim
Narciſſo vitrei figura fontis.

Cicadæ, & Amantis comparatio.

Cantando luces peragit ſua fronde cicada;
  Et mulcet ſilvas carmine læta ſuo.
At tenebras ſub rore levi, ſub deſide ſomno
  Tranſigit, & noctes nocte juvante ſuas.
Cantando moritur, nec ſentit tædia mortis;
  Quin cantu vitam ducit, & exſequias.
O felix ortu; interitu felicior! at me
  Et nox nigra gravat, vexat & atra dies.
Ante fores jaceo gelidæ ſub frigore brumæ,
  Nec pudet æratis Pieridumque ſenem.
Ante fores, ſub Sole, Leo dum fervet, & ignis
  Uſtulat Icarius, conqueror uſque ſenex.
Uror amans, tabeſco ſenex: lux omnis amara:
  Nox inimica mihi eſt: noxque, dieſque nocet.
Sors juvenum miſeranda, ſenum deflenda! cicadæ
  Sors felix! o jam diſcite quid ſit Amor.

Ad Heliades ſorores.

Quid mœſtæ, quid cæruleâ ſub fronde Sorores
  Lugetis, miſeros amne juvante modos?
An fratrem Phaëtonta? vagis quod tractus habenis,
  Ah miſer, externis exulet ipſe locis?

Hinc

Hinc electra fluunt, lacrimoſaque gutta rigeſcit:
  Hæ lacrimæ, hi luctus ſuccina lenta ferunt.
Flete piæ; lugete piæ Phaëthontides, & me
  Vel ſocium veſtris luctibus accipite.
Si deſint vobis lacrimæ, ſi deſit & imber,
  Ipſe quidem lacrimæ, luctus & imber ero.
Per me etiam Eridanus creſcet ſtagnantibus agris:
  Finis enim lacrimis nulla futura meis
Per me etiam ripæ mittent incendia: flagret
  Amnis, & in medias ignis iturus aquas.
Cedite cultores: ripas & flumina jam jam
  Uſta dabo, in flammas ibit & omne nemus.

Ad amicam, de ejus pulchritudine, & ſua infelicitate.

Tene dum ludis, Charites ſequuntur?
Tene dum rides Amor? ah me amantem
Et fugit riſus, fugiuntque luſus,
  Et Charis omnis.
Dum canis tecum Aonides puellæ
Concinunt, & dum loqueris, Lepores
Fantur, heu, me non Lepor, heu dolentem,
  Non levat Aon.
Dum minax in nos oculos retorques,
Et Deos irata male imprecaris,
Ingruit ſtatim dolor, & Deorum
  Ira minantum:
Nonne & infelix miſerumque amantis
Munus? eſt illi dolor, eſt & uſque
Curaque & mœror comes, eſt laborum
  Certa propago.

Conqueritur cum Amaraco de morte filii.

Foliis quid, heu, Amarace, heu, quid floribus
Nudata ſqualles mœſtula? heu, quid languida
Arentibus comis, & horrido ſinu.

Lugubri amictu fles miſella Amarace?
An ipſa flere arentibus potes genis?
Deeſt enim qui te rigabat, & tuus
Colonus ille, argenteo qui vaſculo
Liquorem amatum funditabat, & tuam
Sitim levabat, & levabat ſideris
Rabiem Erigonii at ego, miſella Amarace,
Tuam ſitim meis levabo lacrimis.
Cape has miſella lacrimas mœſti ſenis.
Memor oſculorum, en, illius fundo tibi
Tercentum amaras pro liquore lacrimas:
Pro rore guttas ſalſulas totidem alteras;
Amplexum memor alteras, & illius
Memor leporum & comitatis blandulæ.
His tu vireſces, & novam indues comam,
Beata Amarace; foliis novis, novo
Amictu! at ego ſenex ſubareſcam miſer
Humore vacuus; ſæpe velut in arido
Aſparagus igne adflatus, aut de fulmine
Tacta arbor elangueſcit ab radicibus.

Tumulus Harmoſynes.

Harmoſyne jacet hic fractos quos adſpicis arcus,
 Et ſparſos crines, atque fine igne faces:
Arcus fregit Amor; Charites ſparſere capillos;
 Extinxitque ſuas ipſa Erycina faces.
Quæ tumulo increvit Laurus. Myrtique, Roſæque,
 Pieridum eſſe ſatas noveris e lacrimis.
Harmoſyne extincta eſt, ſenſuſque extinctus amandi.
 Nemo amat, & Numen deſiit eſſe Venus,
Infelix quid agas Vates? i deſere cœtus,
 Et pete inhumanis luſtra habitata feris,
Frange lyram: contemne Deos; lucemque peroſus
 Noctem ama, & a ſomnis gaudia poſce nigris.

Tumulus Perinelli Muſici.

Plectra jacent ſine honore, lyræ ſine honore ſepultæ;
 Et citharæ, & cantus, & ſine honore tuba:

Sibi-

Sibilaque arboribus deſunt, & murmura rivis:
  Deſtituit tacitas ipſe ſuſurrus apes.
Sola avium veteres ſervat Philomela querelas,
  Sola & hirundo novos ſuſcitat ore modos.
Hæc, Perinelle, obitum luctu teſtantur: at illa
  Sordent, & nimio muta dolore tacent.
Sume Lyram in tumulo, Perinelle, & plectra movete:
  Jam Lyra, jam citharæ, jam tuba & ipſa canet;
Sibilaque arboribus ſtrepitent, & murmura rivis,
  Juverit atque alacres ipſe ſuſurrus apes.
Quo tumulo, Perinelle, jaces, tecum jacet omnis
  Et ſonus, & cantus: auraque, voxque ſilet.

Ad Focillam.

E riſu in lacrimas, Focilla, vertis,
Avertis quoties gravata ocellos:
In riſum è lacrimis, Focilla, mutas,
Convertis quoties benigna ocellos;
Queis pacem geris, & geris duellum,
Queis & triſtitiamque, gaudiumque.
Cur ô cur tenebræ repentè obortæ?
Cur lux deſtituit? dies nigreſcit?
Objecitne oculis Focilla velum?
Et lucem obvoluit tegente vittâ?
O jam detege jam Focilla velum;
Et vittam remove, & recludе ocellos,
Queis lucem ſimul, & diem miniſtras;
Et lucem pariter, diemque redde.

Tumulus Julii Pomponii.

Pomponi, tibi pro tumulo ſit laurea ſilva,
  Oſſa, maris rores, myrteaque umbra tegant.
Teque tegant, artuſque tuos, violæque, roſæque:
  Ver habeat; Zephyros ſpiret & ipſe cinis.
Stillet & ipſe cinis queis & Parnaſſus, & antra
  Theſpia, & ipſa ſuas Aſcra miniſtret aquas.

Tu-

Tumulo Alphonſi Davali.

Arma manu tibi capta, & victo ex hoſte trophæa,
  Hæc tibi marmora erunt, hæc tibi erunt tituli.
Hoc tibi Mars ſtatuit, ſtatuit Bellona ſepulchrum;
  O Davale, hæc cineri debita buſta tuo.
His Alphonſe jaces ornatus, & obrutus armis:
  Arma tibi tumuli, tela tibi tituli.

Mater loquitur.

Has tibi pro mammis lacrimas, proque ubere fletum,
  Nate cape: has lacrimas ubera noſtra puta.
Quique tibi ad cunas cantus, quæ nænia quondam,
  Hi tibi nunc quæſtus, hic tibi ſit gemitus,
Has bibe nunc lacrimas, hæc hæc nunc ubera ſume.
  Næniolæ, & luſus, noſtra querela tua eſt.
Quoſque dedi flores, & quas de flore corollas,
  Hi tibi ſint crines, hæc tibi fuſa coma.
Aureli, tibi ſit tellus levis, ac brevis urna
  Adflet, & uſque crocos ſpiret, & uſque roſas.

Nænia ad inducendum ſoporem.

Fuſcula nox, Orcus quoque fuſculus: adſpice ut alis
  Per noctem volitet Fuſculus ille nigris.
Hic vigiles captat pueros, vigileſque puellas.
  Nate oculos cohibe, ne capiare vigil.
Hic captat, ſeu quas ſenſit vagire puellas;
  Seu pueros: voces comprime nate tuas.
Ecce volat, nigraque caput caligine denſat.
  Et quærit natum Fuſculus ille meum.
Ore fremit, dentemque ferus jam dente laceſſit,
  Ipſe vorat querulos, pervigileſque vorat.
Et niger eſt, nigriſque comis, nigroque galero.
  Tu puerum clauſo Liſa reconde ſinu.
Luciolum tege Liſa: ferox quos pandit hiatus!
  Quaſque aperit fauces? ut quatit uſque caput?

Me

Me miſeram: an ferulas geſtat quoque? parce: quieſcit
  Lucius, & ſunt qui rus abiiſſe putent.
Rura meus Lucillus habet: nil ipſe moleſtus,
  Nec vigilat noctu, conqueriturve die.
Ne ſævi, hirſutaſque manus tibi comprime ſæve;
  Et tacet, & dormit Lucius ille meus.
Et matri blanditur, & oſcula dulcia figit,
  Bellaque cum bella verba ſorore canit.

Tumulus Urſi Urſini.

Non artes tibi Romanæ, non gloria belli
  Defuit, aut magno principe dignus honos:
Non fortuna domus, clarique à ſtirpe parentes
  Urſe, nec antiqua nobilitate genus.
Præſtans ingenio, præſtans & viribus idem
  Corporis, ingenii ſed gravitate prior.
Illuſtres titulos dedit & tibi Nola, dedere
  Oppida multa tuo recta ſub imperio.
Defuit ah tantum vitæ pars optima: namque
  Mors properans medio tempore te rapuit.
Sed tibi victrices Muſæ ſtatuere ſepulchrum,
  Ne mors ipſa tuas deleat exequias.

Tumulus Cicellæ.

Quo decor heu, quo gratus honos, quo tanta venuſtas,
  Quo nitor ille abiit, culta Cicella, tuus?
Omnia Mors rapuit, quæque & Natura, Venuſque
  Contulerant, quæque Ars, heu brevis hora tulit.
In cineres, heu, verſa jaces: vix nomina ſervant
  Saxa tibi, longo poſt abolenda ſitu.
Seu tantum cinis es, ſeu nil, ſeu labilis umbra,
  Sive es in æthereo forma recepta polo;
Has violas cape, ſupremos & thuris honores,
  Fleta diu nuribus, flenda, Cicella, viro.

Tu-

Tumulus Franc. Ælii, Viator, & Genius colloquuntur.

Quis jacet hoc tumulo? Nullus jacet: hunc ſibi vivus
  Ælius, hanc ſtatuit poſt ſua fata domum.
Cur interque herbas, interque virentia culta,
  Qua nitet aurata Citria ſilva coma?
Hanc illi ſilvam Muſæ, hos ſtatuere receſſus,
  Quo poſt umbra ſuo gaudeat in thalamo.
Quid quod & Aſſyrii ſpirant de marmore odores?
  Quid quod & Aſſyrio nardus honore fragrat?
Illos Aſſyriis Charites de collibus, hanc &
  Detulit Aſſyriâ Gratia aduſque plagâ.
Hoc illi meritum Muſæ poſt fata rependunt;
  O ſcriptor Latiâ nobilitate Lyrâ.

Tumulus Mariani Heremitæ.

Huic cineri Deus ecquis adeſt? nam carmina Muſæ
  Lecta canunt, lectis adſonat urna modis.
Oſſa ſolo, Mariane, jacent tua: nobilis umbra
  Læta fugit tumulos, læta petit Superos.
Dicite jo, jam victor jo Mariane, ſubiſti
  Æthera conſpicuum conſpiciende Diis.
Ornatuſque caput lauro, plaudente Senatu,
  Intraſti ſanctas ſanctus & ipſe domos.
Adſcituſque choro Divûm, cœleſtibus adſtas
  Conciliis, ſummo perfrueriſque bono.
Hæc Muſæ ad tumulum referunt, cinis ipſe valeto,
  Servari auratis digne cinis loculis.

THOMÆ PORCATII
CASTILIONENSIS.

In Chriſtum Crucifixum.

PRo ſervis dominus moritur; pro ſontibus inſons;
  Pro ægroto medicus, pro grege paſtor obit.
Pro populo rex mactatur: pro milite ductor,
  Proque opere ipſe opifex; proque homine ipſe Deus.
Quid ſervus, ſons, ægrotus, quid grex, populuſque,
  Quid miles, quid opus, quidve homo ſolvet? amet.

Cum capilli ſecarentur.

Aureolos ſecuit tibi quæ, mea vita, capillos
  Dextera; Scyllea ſævior illa fuit.
Una manus Niſo vitam abſtulit, altera Amori.
  Magna homines; major lædere culpa Deos.

PORCELII

NEAPOLITANI.

Ad Leonardum Aretinum.

Quam tibi largitur vates Aretine tabellam
Sume: ſolent magnis munera parva dari.
Demittit Muſæ quidquid docuere: vel hauſtum
Quidquid de fonte eſt Bellerophontis equi.
Salve cui Latium debet ſacra numinis inſtar:
Et quo perpetuus ſermo Latinus erit.
Salve qui eloquio præſtas, Leonarde, Pelaſgo,
Et facis æterna vivere laude patres,
Summum te vates alii dixere poëtam,
Quodque ratum teneo, rhetor in orbe prior.
Sive velis Grajo: ſeu vis ſermone Latino,
Seu proſa, an cantu gloria prima tua eſt,
Muſa ſepulta diu debet tibi, Muſa fatetur,
Vivere, Muſa tuum nomen in aſtra feret.
Traducis libros Latio ſermone Pelaſgos,
Bella quibus pateant Punica, Roma quibus.
Te propter novere omnes quæ vita Platonis,
Quis Cicero, eloquii qui pater ante fuit.
Ethicaque in linguam per te converſa Latinam
Immortale tibi nomen ineſſe facit.
Atque alii centum, tanta eſt tua fama, libelli
Omnia te faciunt ire per ora virum.
Summa tua eſt gravitas, ſumma eſt præſtantia linguæ,
Æquiparas veteres, vincis & ipſe novos.

Quamvis ille tuam cantarit carmine famam,
Et nomen quamvis dixerit ille tuum.
Noſtra tuas alibi laudes (pudet omnia coram
Dicere) jam cecinit fiſtula noſtra tuas.
Non mihi Muſa deeſt, non carminis auctor Apollo,
Tu mihi Calliope, Phœbus & ipſe mihi es.
Judiciis expecto quæ ſit ſententia, ſeu ſit
Ducenda in medium, ſeu laceranda lyra eſt.
Si laudas, quiſnam noſtras mordere tabellas
Audeat? audebunt? dent meliora prius.
Non ſunt digna legi? rapidus diducat in undas
Aut male cantantes per Styga ventus agat.
Dii faciant poſſim te ut judice plectra movere
Lautius o ſummos inter iture Deos.

Ad Joannem Germanum ſuum exigentem ejus reditum ad Urbem Romam.

Qui petis ut ſacram Germane revertar in urbem
Eſſe ſalutatum te mea Muſa jubet.
Hos certe ante dies tetigiſſem Tibridis arva,
Sed mare turbatum Tibridis arva negat.
Nunc ego pallentes Cumarum ductus in oras
Antra per & montes ocia ſolus ago.
Interdum admiror qualis ſpelunca Sibyllæ eſt,
Bajarumque ſinus, Miſeneumque caput;
Balnea, ſulphureum collem, clauſoſque jacentes,
Et quæcumque nigri ſunt Phlegethontis iter.
Interdum Aonias vocitant mea plectra ſorores;
Quas inter ſoleo ludere ſæpe Deas.
Tunc nos hinc luſtrant ſalientes æquore piſces;
Hinc genus anguineum, ruricolæque Dei.
Sic abeunt non ſponte dies, ſic ludo, vagorque,
Arrigor an Zephyri vela ſecunda darent.
Exurgo an gelidæ clareſcant cornua Lunæ,
Et linquo viridem terque quaterque thorum.
Hei mihi vel piceus madidis Notus evolat alis,
Aut ducit denſas turbidus Auſter aquas.

Undi-

Undiſonum aut ſorbent nubes mare, & æthera totum,
Diſperſæ complent, aut Jovis ira tonat.
Spes Dea facta mea eſt, ſpes & lenire furentem,
Spes eſt quæ miſeros paſcere ſola poteſt.
Quum primum aſpiciam cœlo conſtare ſereno
Sidera mutato tempore, vela dabo
Eſto alacer, natoſque meos complectere, & ex me
Mille per amplexus oſcula mille dabis.

Ad Joannem Sorium ſuum optimum, de pelagi tempeſtate quam paſſus eſt.

Deſerto intravi Bajarum littore puppim,
Littora littoreis ante canenda locis.
Nunc ut juncta duo ſunt plenæ cornua Phœbes,
Littora Cajetæ me pluvioſa tenent:
Inde recedentem me terruit Auſter, & undis
Sæpe dedit languens uncta carina latus.
Quam timui ne ſus fierem, ne forma leonis,
Cum me Circei detinuere ſinus.
Quam timui ne ſim Maurorum præda malorum!
Omnia ſunt dira deteriora nece.
Exeſos inter ſcopulos quandoque trahebar:
Spargitur abruptâ naufragâ puppis aquâ.
Vota dabam, Neptune pater, tibi; vota ſorori,
Et tibi qui jactas fulmina, vota dabam.
Quando averſa Deæ mens eſt, tunc ſancta precamur
Numina; vota illis, & pia thura damus.
Nil proſunt aræ, nil profuit hoſtia Phœbi,
Noſtra irritantur fata ſuperba prece.
Tunc dulces nati ſubeunt, conjuxve modeſta
Grata tuo conjux unica cura viro.
Tunc conſanguinei, tunc & ſubiiſtis amici,
Tunc ſubiit ſtudii maxima cura mei.
Nox ruit interea, vidi ſine ſidere noctem,
Alligat hic oculos ſomnus, & alta quies.
Excuſſus, poſco quænam ſint littora? dicunt,
Littora Cajetæ te pluvioſa tenent.

Nec mare ſubl m ventis, nec terra quietum
  Præbet iter, ephyrus ſpeſque, ſaluſque mea eſt
Intentant mo m nubeſque. Euruſque, Notuſque
  Cumque pr celloſis Africus acer aquis.
Quid mihi tunc animi miſero fuit? impia contra
  Arma parant ſuperi, terrigenæque Dei.
Expecto Zephyrum, Zephyrus mihi portus, & aura
  Hoc intrem Tiberi ſubſidiante Deo.
Interea valeas natorum cura meorum,
  Meque avidum Romæ mœnia adire putes.

Laurina Saxo adoleſcenti.

Saxea corda geris, nec ſunt tibi nomina ſaxi
  Imparia, ah ſaxis æquiparande puer.
Durior es ſaxo, quod quondam e nomine Bacchi
  Vertit Atlantiades, frigidiorque nive.
Inſtar marmoreæ frigent tua membra figuræ,
  Pectora adhuc Paphio non caluere Deo.
Narciſſum juvenes multi cupiere pudicum,
  Atque puellarum tempſerat ante preces.
Cœlicolas Nymphæ flexerunt vota furentis
  In florem verſus nominis ille ſui eſt.
Spero equidem ſi forte preces pia numina tangunt,
  Supplicia & pœnas improbus ipſe dabis.

In Antonium Panormitam Vegio vati clariſſimo.

Arca vetus ſtabat variis oppleta libellis,
  Quos inter Siculus Hermaphroditus erat.
Hæc rima tenui, parvoque foramine fracta eſt,
  Ut vix vel minimum reptile adiret onus.
Mus adit, & Siculum partes in mille libellum
  Dilanians, ſalvis exiit inde meis.
Ut vidi admirans, non hæc ſine numine divûm
  Eveniunt; volui conſuluiſſe Deum.
Verbula depereunt quæ ſunt ſine pondere; quæ ſunt
  Digna lupanari verbula, Phœbus ait.

Ir-

Irrita nimirum vatis monimenta Sicani:
  Hoc ſe volt falſo nomine adire polos.
Non ſunt digna viro, non ſunt ea digna poëtis,
  Quidquid habent eſt quod plena cloaca jacit.
Digna quidem vox eſt, vates celeberrime, Phœbo:
  Regula lenonum eſt & gravitate caret.*
Dicet: ſic quondam priſci luſere poëtæ,
  Inque Priapeis luſerat ante Maro.
Cur non Virgilio liceat conferre Panormum?
  Hoſque olim vates Attica Muſa docet.
Quis ſibi delicias, quis blandimenta, jocoſve
  Abnuat, & luſus illecebraſque, ſales?
Callimachum tenui certus ſuperare cothurno eſt;
  Mœonius Siculo cede poëta Deo.
Virgilium ſuperat, neque non mirabere, doctos
  Inter lenones & ſuperare Jovem.
Cedite Pierides: novus inſurrexit Apollo,
  Hunc genitum ſummo credimus eſſe Deo.
Ah quanto eſt ſatius ſanctas ediſcere leges:
  Cœpiſti: abruptum conſolidetur opus.
Nam neque te Aoniis aluit pia turba ſub antris,
  Nec te Cirrheo vertice Phœbus amat.
Immo leves Bromius choreis attollere ſaltus,
  Cymbala te docuit Inda movere manu.
Fabula narratur totum celebranda per orbem,
  Inſtar habet Siculi carminis, inſtar habet.
Piſciculos pelago cernit de colle lacerta,
  Quîs a naturâ ſcire natare datum eſt.
Et nos ſollicitis pedibus velocius inquit,
  Ibimus: è ſcopulo ſe cita mergit aquis.
Nat quantum miſeranda poteſt: mox feſſa ſub undas
  Fert caput, & trepidans non peritura perit.
Terruerant animos clypei galeæque, ſudeſque:
  Num terrent animos carmina blanda tuos?
Scripſimus armatas convexo umbrone phalanges.
  Scripſimus anguigeri Martia geſta Ducis.
Cumque triumphali quondam Capitolia curru
  Scripſimus, & Fauni corpora nuda Dei.

Carmina mille dedi dudum de prole Columnæ
  Pontifici ſacro, carmina mille dedi.
At quandoque Venus, quandoque Cupidinis arma
  Interdum digitis Flora notata meis.
Multa tuæ dedimus quæ mallem incondita laudi.
  Servabam quam tu fallis amicitiam.
Damnaſti fugiens quod me præſente probaras,
  Et pugnant dictis dicta priora tuis.
Languſti certa eſt de me ſententia vatis,
  Cui male dixiſti ruptus ob invidiam.
Haud tecum ſentit quiſquis mea carmina legit,
  Haud tecum ſentit Bornius ille tuus.
Nimirum eſt hominis qui ſe velit eſſe poëtam,
  Fingere: finxiſti; Dî tibi digna duint.
Quidquid habent viridi vates, digniſſime, lauro,
  Eloquio firmes, & gravitate tua.

Canoppa Seraphino Viro humaniſs.

Optata, Seraphim rigidæ cariturus Hebenæ
  Pace es; Caucaſeâ dirior illa tigre eſt.
Mobilior Zephyris, & dente ferocior apri,
  Exuperat nigros impietate Deos.
Palluit ora quidem, quando tua tecta ſubibat,
  Alterne timidos rettulit illa pedes.
Semianimem ut vidi, quidnam veſtigia retro
  Flectis, & es timida lividiorque pice!
Illa ſub hæc: animus ſtupet, & mea pectora nutant:
  Heu videor magno diſplicuiſſe Jovi.
Juravi egrediens per virginis arma Dianæ
  Hunc fugere, in ſilvis ut fugit agna lupum.
Cumque ubi ſit peterem quondam data dextra Canopæ,
  Et jurata Deûm numina? mœſta tacet.
Vibrat avis de more caput, deflectit ocellos,
  Non timet illa fidem, non timet illa Deos.
Sed precor auratis flectantur corda ſagittis,
  Ut velit ardentem conciliare virum.

Ad

Ad Cardinalem tituli S. Clementis, & Cam: digniſſimum de aſſumptione Pontificatus Martini V.

Sacra coronatæ dudum conſcripta Columnæ
  Carmina ſume pater, & tibi ſumpta legas.
Miſiſſem certe multis tamen ante diebus,
  Sed plus in noſtro pectore languor erat.
Nunc ſubjere animos conjux mea cura perennis,
  Et nati: hinc bella Martia, & atra fames.
Hinc ſacræ Cereris, hinc eſt mihi cura Lyæi,
  Quæ mihi ſollicitus poſcit uterque puer.
Muſa ſepulta jacet, vilent & Apollinis artes,
  Invidiæ locus eſt, & fera facta placent.
Phœbus ab aurata promit ſua tela pharetra,
  Et video armatas currere ſæpe Deas.
Quid faciam vates, neque enim mihi plurimus uſus
  Militiæ eſt; Mavors imperet ipſe ſuis.
Solamen, ſpeſque una tuo, pater optime, vati es,
  Hac ſi deſtituor, ſit mihi dulce nihil.
Muſa movet vatem, precibus moveare precantis,
  Flexerunt magnos carmina ſæpe Deos
Supplico Pontifici ſupplex pietatis onuſto;
  Di faciant vatem ſnpplicuiſſe juvet.
Tunc & Apollineas placido modulabimur artes
  Carmine, tunc doctas advigilare Deas.
Carmina mille dabit generoſa ab origine patrum
  Pontifici vates, carmina mille dabit.
Sis felix, longumque vale celeberrime Præſul,
  Ad votumque tuum ſtamina fata regant.

In Floram quam amabat perditè, de amoris reconciliatione.

Qui legitis Floram miſero faveatis amanti,
  Siquid forte vagi ſcripta furoris habent.
Flora mihi curæ eſt; hæc quamquam irata licebit,
  Molliat ad lacrimas impia corda meas.
Cauſa mei tituli nullum delenda per ævum,
  Flora fuit mentis Flora ruina meæ.
Illa meos ſenſus inflexerat, illa furores
  Addidit, illa oculos perculit ante meos.
Flora mihi primos de qualibet arbore flores
  Obtulit, illa dedit blanda puella thorum.
Illa dies luctus, & mœſti cauſa doloris,
  Prima fuit qua te vidimus illa dies.
Cum mediam matres, mediam tenuere puellæ:
  Sunt mea luminibus lumina rapta tuis.
O numquam caſtæ vidiſſem ſaçra Minervæ!
  Liber ab aurato vulnere, liber eram.
Non potui fortes arcus, non tela furoris
  Frangere, non cæcum deſtituiſſe Deum.
Aurea quid valeant hic tela agnovimus ambo,
  Atque ſagittiferi quid valuere faces.
Non ego vel Paphiam querar, aut calefactus amoris
  Arcus, aut ſævas igne latente faces:
Flora meum auratâ percuſſit harundine pectus,
  Illa meos oculos perculit, illa ſinus.
Cervula ceu paſſim ſequitur laſciva parentem
  Perque vias, ſic te per nemus omne ſequor.
Ah quoties mecum ſecreta in ſede latendo
  O inquam ſummo lumina digna Jove!
Sæpe mihi dixi; membris formoſa venuſtis
  Flora Dionei numinis inſtar habet.
Sæpe mihi dixi: forma præſtante puella
  Hæc ſuperat matres, hæc ſuperatque Deas.
Facta nocens noſtros contemnis Flora furores:
  Debueras veniam poſcere facta nocens.

Si

Si mihi ſervaſſes quæ fecimus inter utrumque
  Fœdera, ſervarem fœdera, jura, fidem.
Quod ſcelus admiſi? quid non miſereſcis amantis?
  Ira calet juvenum, non manet illa diu.
O utinam noſtro faveat pharetratus amori,
  Meque velit Floræ conciliare meæ.
Quid peto? concubitus diverſi ſanguinis ardet
  Tantalides: pueri gloria ſola nurus.
Turpe putes thalamos Venerem temeraſſe mariti,
  Turpe putes aliis ſuccubuiſſe viris?
Turpe eſt Nyctimenen patrui violaſſe cubile.
  Et turpe eſt vili ſubdere membra thoro.
Fallis iniqua Deos, & ſanctæ Virginis aras,
  Quos mihi juraſti fallis iniqua Deos.
Dum tua fallaci tingis præcordia fuco.
  Fallor ab aſpectu falſa puella tuo.
Sum reus, id fateor, rea ſis fateare licebit:
  Pone truces animos, poſtulo pone truces.
Vota viri faciunt, cum poſcunt vivere, Parcis:
  Me juvat auxilio vivere Flora tuo.
Commaculare manus natorum in ſanguine mater
  Mater inexperta ſupplice patre foret.
Nunc inimicitiæ cedant; procul alma furores
  Cogat utrimque Venus, pax tua vita mea eſt.
Servatus mercede tua tibi gloria certe
  Major ero, dominas dedecet ira pias.
Me ne mori patieris, Amor, me condere in urna
  Flora petes, leti cauſa ſuprema mei?
Hoc ſcelere hanc patriam, ſilvaſque, urbeſque, poloſque
  Implebo, & tumulo carmina mœſta leges:
Quem tenuit crudelis amor, quem dira peremit
  Flora virum, mœſto ſubjacet hoc tumulo.

In

In Petrutium adoleſcentem ut operam Verſibus daret.

Simplex propoſitum, ſimplex tibi cauſa, modusque
Simplex, o ſumma ſimplicitate puer.
Odiſti, vatemque fugis, ſacra dicta refellis,
Nec quantum poſſint carmina noſtra vides.
Carmina Faunus amat, & amarunt carmina Nymphæ,
Quem fugis ah demens! carmina Phœbus amat.
Carmen Pelides, Ganymedes carmen, Hylaſque,
Carmen amat Chiron, Pieridumque chorus.
Tartara Threicius deflexit carmine vates.
Flexerunt magnum carmina ſæpe Jovem,
Tu vero ut doctos inter numerere, proboſque,
Carmen ama; & ſero pœnituiſſe fuge.

Comiti Franciſco Sfortiæ.

Inclite Sforcigena, Latii decus, anguiger alme,
Felicem te vult noſtra tabella ducem.
Sis liceat patrio, liceat ſis clarus avito
Nomine, ſed titulis clarior ipſe tuis.
Quando tuos victo cantabo ex hoſte triumphos,
Qualem te facient carmina noſtra Deum?
Coclitis æratam cælaverit ille figuram:
Æratum longo tempore perdit opus.
Ille triumphali de marmore gaudeat arcu,
An non ipſa ævo marmora rupta cadunt?
Perpetuo vivet æterno carmine nomen
Sforcigenum, nam te candida ad aſtra feram.
Ingenium certe majus tua geſta merentur.
Sed noſtra in noſtro tempore amata lyra eſt.
Signifer Eccleſiæ, ſanctique athleta Monarchæ es,
Et Florentinæ ſpeſque ſaluſque plagæ.
Solus quo Veneti gaudent duce, quove triumphat
Parthenope, duce quo Janua tuta manet.

Te

Te duce victorem, quanta eſt ea gloria! Regem
  Aſpicio: Francus ille Renatus erit.
Supplicibus votis flectuntur numina: vota
  Dî faciant ſummo ſint mea digna Jove.
Felix præque aliis felix, ſi Præſulis aulam
  Fugeris, imperiis invidet illa tuis.
Opto aulam fugias Antiſtitis: opto triumphent
  Te duce templa Deûm, te Liga tota duce.
Sed tua ſi inſidiis hominum & fallacibus auſis
  Crediderit virtus, ſpes mihi nulla mea eſt.
Rara meo imponam quam triſtis retia collo,
  Et piſcaturus ibo alium dominum.
Teſtor cœlicolas, teſtor tua geſta, meaſque
  Pieridas, ſimplex & ſine fraude loquor.
Tu vati æratus clypeus, tu numen, & enſis,
  Quæve domum vatis contegit umbra tua eſt.
Eſt mihi pura fides, & priſci temporis ardor
  Imperat: imperio ſubjuger ipſe tuo.
Quare animum in partem meliorem verte: fideli
  Crede tuo vati: non caret illa fide.
Crede inquam vati; Coſmæ quoque crede fideli,
  Et Florentinæ credito amicitiæ.
Nerius antiquum Caponis ſervat amorem,
  Et pro Sforcigenis vita repoſta ſua eſt.
O mihi ſi tanto liceat ſub Principe vitam
  Ducere, quas acies, quæ fera bella canam!
Cantent Scipiadas, & primi Cæſaris arma,
  Romuleos cantent ille, vel ille duces.
Porcelius tenui qui ludit carmine, priſcos,
  Anguiger efficiet ante triumphus eat.
Sis felix, vatiſque memor, qui laudibus effert
  Sforcigenas, qui fert nomen in aſtra tuum.

Exigit ab Hieronymo cur continuo conqueritur cum ſibi nihil deſit.

Quis tibi ſidereos turbavit caſus ocellos!
  Languida purpureas quæ tibi cauſa genas?

Cur

Cur nitidos video laceratos ſanguine vultus,
Sanguinei lacrimis cur maduere ſinus?
Quid fontem guttis, quid noctem luctibus auges
Hieronyme uberibus dulcis alumne meis?
Eſſe tibi incolumes, magnoque in honore parentes
Scimus, & arbitrio duceris ipſe tuo.
Ipſa tibi roſeo ſparſit cunabula flore
Copia, & ad ventum vela ſecunda dedit.
Eſt facies, & forma decens puerilibus annis,
Et genus, & probitas, ingeniumque ferax.
Aurea tela procul, flexique Cupidinis arcus,
Et procul ardentes arbitror eſſe faces.
Sit ſuperos interque potens, & tartara Ditis,
Et pelago, & terris imperet ipſe furor:
Non habet imperium teneros elatus in annos,
Non habet inque pares jus puer ille ſuos.
Ergo age ſiqua fides, ſiqua eſt tibi gratia mecum,
Mœſtitiæ indigna eſt quæ tibi cauſa, refer.

Super fabula Liquaris avis quæ fuerat puella Hæmonia a Jove vitiata, & a Junone in Avem mutata.

Mœſtitiæ, luctuſque, pater, me dicere cauſas
Exigis, & lacrimis cur maduere ſinus.
Langueſco luctu, referens, meminiſſe dolorem
Aggravat, en guttæ mœſta per ora fluunt.
Sed quia te miſeret lacrimarum, agnoſco, mearum,
Accipe mœſtitiæ quæ data cauſa meæ eſt.
Dulcis ab Hæmonia Liquar regione profecta
Nunc avis, at dudum grata puella fuit.
Ah quam conſpicuos deſpexerat illa maritos,
Quos dederat dites Lydius ante pater.
Nil hîc juris habent auratæ cuſpidis arma;
Deſpicit ardentes caſta puella faces.
Deductam ex humeris gaudet geſtare pharetram,
Cornuaque & tenera flectere lenta manu.

Hæ-

Hæmonio ſuras de more ligare cothurno
  Aut jaculis agiles exagitare feras.
Non illam cari poſſunt retinere parentes,
  Militat in caſtris diva Diana ſuis.
Aſpicit hanc flagratque Deus, qui fulmina mittit;
  Et quibus hanc capiat cogitat ante dolos.
Vim tulit: auxilium neque enim Latonia virgo
  Attulit armigeræ ſæpe vocata ſuæ.
Senſit adulterium Juno, dabis improba pœnas
  Dixit & in viridem corpora mutat avem.
Nigra caput: mens priſca manet, canere omnia adulter
  Juppiter erepta Virginitate dedit.
Non illa melius cantat Philomela, nec illâ
  Cycnus, alat Padus hos, Sive Macànder alat.
Illa graves dulci mittebat ab ore querelas,
  Ingratumque canit non minus illa Jovem.
Utque ſit infenſæ tumidam Junonis ob iram
  Nunc avis, ut fuerat ante puella, canit.
Hæc modo laudabat opera intemerata Minervæ,
  Et modò laudabat Virginis arma Deæ.
Non illam lyrico ſuperabat carmine Sappho,
  Non elegos melius Naſo poëta canit.
Cantabat memini crudelia bella gigantum
  Carmine Meonio; cede poëta Maro.
Hei mihi quis ſævus quis te mihi caſus ademit?
  Te decumam cantu turba beata vocat.
Crudeles venti, crudelia frigora noctis
  Hanc mihi delicias, præripuiſtis avem.
Mellifluum de more cibum, potumque parabam,
  Ut ſæpe auditum chære diſerta ſonet.
Hei mihi connexos mors invida ſolverat artus,
  Inque notos celeres ſpiritus ille volat.
Quid mihi tunc animi miſero? laniare capillos
  Cœpi, & avem mœſtus nomine ſæpe voco.
Tum maduere ſinus lacrimis, tum pectora tundo,
  Spes fuit & vitæ pars avis illa meæ.
Nunc te ſi miſeret lacrimarum, conde ſepulchrum,
  Et Liquaris fatum marmore quiſque legat:

Hic

Hic jaceo Hæmonias inter celeberrima Nymphas,
Nunc avis, at quondam caſta puella Liquar.
Me rapuit Jovis ardor, avem Saturnia fecit,
Ille dedit cantus, abſtulit illa loqui.

In argenteum Senarum fontem Gajum, de ejus ortu.

Fonte ſub hoc vitreo ſoli tibi cognita Phœbe
Gaja gemit vitæ tempora longa ſuæ.
Hanc Deus in tenebris ut vidit fata gementem,
Eſſe dedit rapta Virginitate Deam.
Quas itaque aſpicimus manare e fontibus undas
Has lacrimas Gajæ Virginis eſſe reor.

Hieronymo excellenti puero petenti quo pacto gratius immortales Deos placare poſſimus.

Quid magis inflectat ſuperos pia thura preceſne,
Exigis, o magnos inter habende Deos?
Magna petis divine puer, nec talibus annis
Debita, & ingenio non ſatis apta tuo:
Sed ſpirat quandoque ſacer, vireſque miniſtrat
Spiritus Empyreo lapſus ab uſque polo.
Accipe quæſiti quæ ſit ſententia, & imo
Pectore Hieronymi ſint precor iſta mei.
Non bove, non cæſis ovibus, nec thure Sabæo
Flectitur infenſi fulmen, & ira Jovis.
Sed ſuperos nimia placo pietate, fideque,
Et conſervata relligione Deum.

Ad Carolum Aretinum.

Carole qui veteres æquas modulamine vates,
Plectra Meduſeo fonte rigata lego;
Iſtic ſiqua ſacer afflarit ſpiritus, iſtic
Si qua Aganippeus ſuggerit arma calor.

Ante legent nulli noſtras Aretine tabellas,
  Quam fuerim citharâ certior ipſe tuâ:
Si ſunt digna legi te judice, nemo vetabit,
  Nec carpet lautos ille vel ille modos.
Si ſit opus, laceres, aut ducant carmina venti
  Per mare, per terras, per Phlegetontis aquas.
Non redolent latices Heliconis? mitte ſub antra,
  Aut tremuli exurat parva favilla rogi.

Ad Muſas ut dent Lauream Vegio Vati Clariſſimo.

Pandite Theſpiades Helicona; rigate poëtam,
  Cui citharam Phœbus tradidit ante pater.
Delphica Pierii cingat ſacra tempora vatis
  Laurus, & æterno luſtret honore virum.
Nec ſacram exornet viridi ſine baccare frontem,
  Ne noceat celebri livida lingua viro.
Si quis Heliconios Vegio ſubduxerit hauſtus,
  Judicio certe fallitur ille meo.

In Auriſpam Vatem Siculum.

Auriſpa o Siculûm vates celeberrime gentis,
  Accipias ſtudiis hæc monimenta meis.
Sumpta legas animo, & videas quid magnus Apollo
  Spiret, & ingenio Muſa vocata meo.
Sunt tibi Pierides, ſunt & tibi Palladis artes,
  Carmen Apollineo dulcius ore canis.
Laudabis noſtros? mordebit nemo libellos:
  Sit mea judicio certa tabella tuo.
Grata ſit, an jubeas rutilantem exurere flammam
  Scribe, licet pedibus ſive ſolutus eam.

Poggio Vati clariſſimo.

Plaude legens Muſas orator maxime Poggi,
  Quo duce vel doctis omnibus ore legar.

Te

Te duce Pierius, duce te mihi ſermo ſolutus,
Et duce te pedibus, te duce, liber aro.
Te duce vela dabit, duce te ratis ire per altum
Diſcat, & in tutos vela referre ſinus.
Sume tubam noſtramque velis animare carinam,
Libera ſeu veniat, ſeu pede, ſume tubam.

Franciſco Patavino Cubiculario Apoſtolico.

Neſcio quid celſa nobis Saturnus ab arce
Apparet: imperium vendicat ipſe ſibi.
Ille Jovem, natoſque Jovis, centumque nepotes
Effugat è cœlo pulſus ut ante fuit.
Nil proſunt ignes, nil fulmina ſæva Cyclopum,
Qualia Centimani ſuſtinuere feri.
Frigida ad infeſtas opponit membra ſagittas,
Extinguit flammas humida barba ſenis.
Non obſunt enſes, infeſtaque tela ſeveri
Martis, & armatus nil nocet ipſe Deus.
Pythius incurvæ propellere vulnera falcis
Sæva, nec irati numina ferre poteſt.
Venit & Alcides qui fregit tartara, & hydram
Vicit, ab aſpectu ceſſit & ipſe ſenis.
Sunt triplices Diræ ſecum, colubroſque capillis
Contorquent, ſævas conjiciuntque faces.
Saturnus potuit ſolers Acheronta movere;
Imperium & ſtygio jus habet ille lacu.
Tartareum ille canem vinclis, & carcere adegit,
Expulit & Ditem de Phlegethonte ſuum.
Ille regit ventos, & ponti jura miniſtrat,
Inque Deas omnes jus habet, inque Deos.
Attamen antiquus fatorum vertitur ordo,
Certè aliquid monſtri numina iniqua parant.
Aurea Saturno jamdudum Rege fuere
Sæcula, cum tellus ſemina certa daret.
Tunc glandes, tunc fraga cibus, domus ante fuere,
Flumina tunc mellis flumina lactis erant.

Arma enſes, ſiſtrumque aberat, clipeique, ſudeſque;
  Et procul armato pectore miles erat.
Non hic furta Jovis metuêre; aut Pana puellæ,
  Nec propria accinctus telâ Priapus erat.
Venduntur pretio leges, venduntur honores.
  Venditur ac parvo non moderata Venus.
Succumbit vitio Virtus, ſuccumbit honeſtum,
  Turpibus Aſtræi territa nata fugit;
Inque polos pariter celeres fugêre Sorores,
  Et jacet in ſtrato quiſque poëta ſolo.
Debuit, heu nimium, quæ ſublevat omnia, cæcam
  Etſi non homines at puduiſſe Deam.
Heu ubi priſca fides, ubi Græci Principis aula?
  Jam fuit in Divo Cæſare larga manus.
Laudantur vates, ſuccurrit nemo poëtis,
  Principibus nulla eſt inclita conditio.
Si quando rebus mecum Fortuna ſecundis
  Luderet, audires quam mihi blanda lyra eſt.
Tunc canerem duro feſſos certamine Reges,
  Quantaque Pontifici nata ſit invidia.
Quam premitur Latiis tellus oppreſſa tyrannis,
  Magnanimûm & valeant ut fera caſtra ducum;
Nunc me pauperies, & triſtis cura meorum,
  Obſerat ingenio multa canenda meo.
Quin procul a patria profugat furor, & fera ſævi
  Territat exortem criminis ira Dei.
Conjugis amplexu jam multos abſtrahor annos,
  Ipſe ſenex videor, illa videtur anus.
Jam triplices pia cura patris crevere puellæ,
  Nec noſcent patrem pignora cara ſuum.
Non mihi Muſa ſubit, non carminis auctor Apollo;
  Illa ſuo arbitrio cantat, & ille ſuo.
Nunc decus o Cleri & Patavî celeberrime gentis,
  Ipſe ſcias ſuperi qua ratione ruant.
Namque ſacros ſolus tripodas, & numina ſentis
  Delphica; ſunt menti condita nulla tuæ.
Ipſe meas Franciſce velis abducere curas;
  Gratia ſit vati te duce Pontificis.

Te duce Theſpiades redeant, & magnus Apollo,
Et duce te redeat ſpiritus ille ſacer.
Tunc dulci accingar vates modulamine: porro
Digna canet ſummo Muſa reducta Deo.
Tuque vale, & noſtros ſiquid dignabere cantus,
Per caput hoc nomen ibit in aſtra tuum.

Ludovico Narnienſi Juveni ornatiſſimo.

Salve honor ô Juvenum, quos noſtra hæc parturit ætas,
Salve iterum patriæ ſpeſque, ſaluſque tuæ.
Te ſine non patiar perlectitet ille libellum,
Cujus in arbitrio navigat uncta ratis.
Sed te non elega cantabit voce Thalia:
Materia eſt certe triſtibus apta modis.
Ipſa lyram Clio moveat, cantentque ſorores:
Quam bene conveniet laudibus illa tuis!

Magiſtro Thomæ de Serzana, de falſa Mundi gloria, & quo pacto homines fiant Dei.

Scribere geſta ducum, pater optime, forte parabam,
Aut Veneris ſævas igne latente faces.
Tum ſubiit Serzane pater tua dulcis imago,
Suaſerat at vates Vegius ante meus.
Sume igitur quæ ſit fallacis gloria mundi,
Et fiant homines qua ratione Dei.
Aurea marmoreis levat hic ſua tecta columnis,
Hujus & arbitrio concumulantur opes.
Illum fama levis extollit ad æthera, & illi
Magnificat titulis nomina falſus honor.
Ille mero ſomnoque gravis, luxuque ciboque
Perditus in caſtris myrtea ſerta gerit.
Ipſe nec invideo; ſpiret modo Delphicus ille
Spiritus, & lateri ſit pia turba meo.
Vera ubi ſit certe non norunt gloria: porro
Non norunt ubi ſit vita beata, pater.

Quum

Quum multos fortuna levat, & rurſus eosdem
  Præcipitat, ludo ſic facit illa ſuo.
O ſpes vana, & honos, & inanis gloria! nullum,
  Nullum habet ad cœli culmina fucus iter.
Sic pietas, ſic ſancta fides, virtuſque, laborque;
  Hic cumulus ſuperis nos facit eſſe pares.
Jamque vale, noſtramque, pater, ne deſpice Muſam,
  Rauca ſit, & tanto ſi minus apta viro.

Magiſtro Nicolao de Fulgino artium, & medicinæ Doctori eximio.

Fulginâs Phyſicos inter celeberrime patres
  Quam mea ſit Clio luſibus apta, lege.
Alter Epidaurius, liceat ſis alter Apollo,
  Cumque novem Muſis ludere ſæpe ſoles.
Luſimus, ingenii ſint hæc præludia noſtri,
  Vatibus alterni perplacuere pedes.
Sed niſi connexos mors pallida ſolverit artus,
  Accipies faxim quod pia turba canat.
Tum certe majora dabo, tunc geſta legentur
  Inclita Sforcigenæ Principis illa mei.

Domino Leonello Eſtenſi.

Accipe Pieridum Princeps Leonelle mearum
  Munera, ſint vatis hæc monimenta tui.
Vile putes nolim, quamvis ſint paucula: parvo
  Munere contentos arbitror eſſe Deos.
Me ſi Phœbus amet qui noſtri eſt carminis auctor,
  Ne fiat tanto munus inane viro.
Sis liceat titulis & nomine clarus avorum,
  Virtute inſignis, & probitate licet.
Dum tua Caſtalios guſtarint labra liquores,
  Caſtalius nomen tollat in aſtra liquor.
Tu ſolus decus es, tu noſtri gloria ſæcli,
  Divus adhuc ſolus vatibus eſſe velis.

Pierides flexere viros, flexere puellas,
  Flexere & magnos carmina ſæpe Deos.
Arcadicus Pan curat oves; at fiſtula collo
  Pendet; & in dulci gaudet Apollo lyra.
Luſerat Auguſtus aurato pectine; luſit
  Cæſar, & amborum prœlia carmen habet.
Geſta ducum priſci cithara cantare ſolebant,
  Et cecinit Danaos Smyrna beata Duces.
Quin cecinit parcis apibus qui cultus habendus,
  Et cecinit ſilvas, dixit & arma Maro.
Ille inter Danaos, certe Deus ille Latinis,
  Ille ſuis ducibus perplacet, ille ſuis.
Mæonius nemo, Maro nemo; Julius arſit:
  Auguſti non eſt Cæſaris Imperium.
Sed noſtra hac celebres ſint tempeſtate poëtæ,
  Quos mea Daphneo luſtrat honore lyra.
Gratior, Eſtenſis, non ſit tibi ſermo ſolutus:
  Ille eſt liberior, lege coacta lyra eſt.
Solverunt brevius quidquid voluere poëtæ,
  Et ſenſu nitido lucidiore die.
Orator nemo eſt pedibus ſine: mœſta, furores,
  Tartara, geſta, jocos, aſtra poëta canit.
Tum ſacer eſt vatum quod replet numine mentes
  Spiritus, ætherea labitur ille plaga.
Mira quidem res eſt, & amari digna poëſis,
  Illa viros fortes efficit, illa Deos.
Tu vero ut doctos inter numerere, Deoſque,
  Et cole Pieridas, & venerare lyram.

In Malacarnem Virum Clariſſimum dum eſſet in carceribus, excuſatio.

Miraris ſemel ante oculos habuiſſe volentem
  Pellere te Stygio de Phlegethonte ſuum.
Hei mihi quam vereor ne ſis incredulus, omnis
  Teſtor cœlicolas, pes mihi cauſa fuit.
Indoluit, pœnaque tumens confectus acerba
  Terquinos tenuit languida membra dies.

De-

Decrevit tumor ille tamen, ſolidataque plaga eſt,
  Jamque ſcies quid ſit vatis amicitia.
Obſtant fata tuis precibus, precibuſque tuorum,
  Obſtant & votis fata ſuperba meis.
Eſt aliquod, neque non ſcio quod tibi numen iniquum;
  Si potes hoc ſupplex vincere, victor eris.
Flectitur ad votum tandem pius ordo Deorum,
  Juſta petas, certe flectitur ordo Deûm.
Uſque adeo, ne putas iraſci numina? certe
  Falleris, & noſtra non legis iſta fide.
Jamque vale, & ſiquod miſeris ſolamen amicis
  Eſſe poteſt, capias id Malacarne velim.

Gongratulatio Severio Peruſino, de orta filii, quem Metellum appellari vult.

Gratulor unanimes concordia fila ſorores
  Abs te progenito continuiſſe Deas.
Hic puer eſt, cujus vitam modo ſacra reſervent
  Numina, ſolliciti gloria patris erit.
Ah quantos patriæ, patrique Metellus honores
  Afferet! id puero nomen adeſſe velim.
Hic probitate viros, cum primum accreverit ætas,
  Ingenio hic omnes, hic ſuperabit avos.
Ille trahat vitam, ſic Dii jubeatis, in ævum,
  Inde ſit æthereo ſtella ſerena polo.

Quando Roma vendicavit inane libertatis nomen.

Præſulis Imperium pepulit Romana juventus,
  Et libertati nomen inane dedit.
Bina dies Majo reſtabat, Roma triumphans
  Gaudet, & in vano nomine pauca regit.
At poſquam Octobri tres reſtant ordine noctes,
  Publica res periit, fitque monarcha Deus.
Mille quadringenti terdeni quattuor anni
  Currebant, labes hinc mihi prima mali.

Carolo Aretino, & Poggio Florentino, ut Lauream dent Cyriaco Anconitano cum cæteris poëtis.

Clauſtra Meduſei jam concrepuere caballi
Neſcio quid, pandunt ecce Helicona Deæ.
Cyriacum liquida perfundere Gorgonis unda
Inſtituunt, fiet ecce poëta novus.
Laudat Apollo, Jovis laudat Dea nata cerebro,
Ipſe pater laudat, & ſacra turba Deûm.
Mille canendi artes ſunt vati; numina mille,
Mille poteſtates, nomina mille dabo.
Hic divûm interpres defert mandata per auras,
Juſſerit omnipotens qualiacumque pater.
Hic enſes, hic tela, duces, hic Cæſaris arma
Hic Danaûm claſſes, hic fera monſtra canit.
Fingit adulterium Veneris, Soliſque furores,
Et permutati dulcia furta Jovis.
Fingit Aloidas, & ſævos Gorgonis angues,
Præcipitem fingit Bellerophontis equum.
Sive velis pedibus, ſeu vis ſermone ſoluto,
Exuperat veteres, vincit & ipſe novos.
Ille ſub Actæis epigrammata collibus aucta,
Colligit, & docte græca latina facit,
Quæque ſuperfuerant Veterum monimenta, poëtæ,
Omnia Cyriaco Roma vetuſta dedit,
Ille triumphales de marmore ſublevat arcus,
Ille locat ſcenas, amphitheatra docet.
Dum canit heroas, armato in milite dextra eſt,
Dumque faces, Paphie, blandus & ipſe puer,
Ducitur ad ſcenam ſervus? fit Gnatho, ſed heros
Perſonam certe militis ipſe geret.
At tragicos ſi forte velit geſtare cothurnos,
Alciden fingit, aut Eohe Bacche ſonat.
Quare agite o celebres lauro exornate poëtam,
Aut hederis crines cingite utrimque patres.
Tu Arretine prior qui cantas laude poëtam
Carole, ſic jubeo ſit tibi primus honos.

Poſt

Poſt alii ſubeant, orator Poggius aſſit.
  Vegius altiloquus, Flavius hiſtoricus,
Huc ades o Cynthi Romanæ gloria linguæ
  Huc Dathus, hunc certe vatibus addo meis.
Hoc damus Auriſpæ veteri de gente Sicano,
  Vatibus in mediis hoc damus orbe locum.
Conveniat quos ipſe Deus, quos Delphicus afflat
  Spiritus, & noſtri carmina quiſque canat.
Has Charites juſſere comas circumdare lauro,
  Quas primus Aoniis Muſa rigavit aquis.
Vivat in Elyſiis, poſt facta fidelia, campis.
  Qui facit æterna vivere laude patres.

In Cyriacum Anconitanum Coſmographum divinum, & vatem.

Cyriace altiloquos inter celebrande poëtas
  Huc ades, & Thyria purpura membra tegat:
Namque triumphali circumdare tempora lauro
  Concordes docti conſtituere patres.
Solus divinum vates imitaris Homerum,
  Virgilium ſolus, ſolus & Heſiodum.
Coſmographum ſimilem nec ſæcula priſca tulere;
  Et noſtra haud ſimilem ſæcla futura ferent.

In omnem Vatem.

Ite ſimul Vates: fiant ſolemnia noſtro
  Judicio, id ſolum det mihi veſter amor.
Eſt pater; huic crocei divina Columna galeri
  Dat titulum: hoc coram laurea danda patre.
Præſul honeſtatis decus eſt & gloria cleri,
  Hunc vatum certe dicimus eſſe Deum.

JO: BAPTISTÆ POSSEVINI
MANTUANI.

Pro Liviæ Columnæ oculis.

HUc ades ætheriæ lucis moderator, & idem
  Sancte ſalutiferæ, Phœbe, repertor opis.
Livia namque oculis, quibus eſt gens capta Quirini,
  Flet ſe nunc fato deteriore capi,
Ah, ne ſidereos divinæ frontis honores
  Emerſa e Stygio nox premat atra lacu.
Tu radiis tenebras, tu ſiſte potentibus herbis,
  Quæ fluit in nitidas trux pituita genas.

Ad eamdem.

Quæ tibi cœleſtes nox, Livia, condit ocellos,
  Involuit quantis, heu, Latium tenebris.
Quove replet gemitu mœrentum tecta Quiritum!
  Quos inter lacrimans ſic Amaryllis ait;
Invide, qui noſtros inimico fulgure colles
  Phœbe uris, ſævoque æquore nata Venus.
Nam quis Romanum vos livor perdere Solem
  Suaſit & ora ipſi ſuſpicienda Jovi?
At vobis inviſa tamen, fugientia terras,
  Succedent alto lumina clara polo;
Et veſtras peragent partes: te Cypria Lemnos,
  Te Phaëtonteus, Sol, manet Eridanus.

Hoc

Hoc ſteterit vobis infandum crimen: at urbi
Solamen damni veſtra ruina feret.

Franciſco, Galliarum Regi.

Effigiem rex magne tuam, tuaque inclita facta
Conſecrat excultis ſcripta voluminibus
Muſarum in templo patrii prope littora Larî
Æternæ Jovius conditor hiſtoriæ.
Quodque ex te periit fallax pictura reponit:
Quod vivit vivum pagina fida facit;
Ut ſpectent oculis mirantibus ora nepotes,
Quæ decuit terris & dare jura mari:
Et ſimul annales rerum memorande tuarum
Franciſce, arrectis auribus excipiant.
Ut bello Helvetias viduaris civibus urbes,
Cum tegeret molles prima juventa genas.
Ut fortes idem Inſubres, & Belgica regna;
Nomine pæne ipſo debita regna tibi;
Qua pater Etidanus violentis volvitur undis.
Excuſſo impuleris ſubdere colla jugo:
Utque Urbem dominam, ſeptemque receperis arces
Excidio ex magno, ſervitioque gravi.
Acceptos tibi Roma Deos, ſanctoque Tonantis
Fulgentem in terris munere, grata refert;
Quos tu pugnaci diverſis partibus hoſti
Terrorem incutiens obſidione levas.
Tu late imperium profers, tu prœlia tentas,
Ut teneant fines otia tuta tuos.
Te non ullæ acies, non terruit Amphitrite,
Cum pareret gentes in tua damna novas.
Impendêre ferox a tergo negligis hoſtes,
Quos beat auriferi lucida lympha Tagi.
Non conjurato veniens Germanus ab Iſtro
Cogit præcipiti te dare terga fugâ.
Ergo tot ſpoliis, non uno ex hoſte relatis,
Avertis patrio barbara tela ſolo.

Nec

Nec tibi non magnam pepererunt otia laudem.
Otia Pieridum dulcibus acta modis:
Quas primus patrias ad gentes, effera corda,
Parnaſſi e ſummo vertice ducis ovans;
Deſpectaſque artes, & humi ſine honore jacentes
Erigis o ſæcli gloria prima tui.
Quare vos regem, tantarum in munere laudum,
Carmine victuro dicite Pegaſides;
Ut qui vos claras in luminis extulit oras,
Veſtra ope conſpicuum tollat ad aſtra caput.

De Franciſco Gonzagâ Mant. Princ.

Invicti effigiem Gonzagæ nobilis arte
Eximia expreſſit ſpirantem pictor; at illi
Non potuit duris partum decus addere bellis,
Non præſens animi robur, populiſve regendis
Juſtitiam, & largæ præſtantia munera dextræ.
Ceu quondam radiis exutum ardentibus ora,
Mortali vultu gradientem montibus Idæ,
Phœbe, manus te docta ſacros effingit in uſus.
At Jovius clara ſplendorem reddidit arte,
Æternamque dedit Gonzagæ ducere vitam
Ductores inter primos, quos nulla tacebunt
Sæcula, nec veteris lædent oblivia famæ.

De Cornelio Agrippâ.

Vivens quem cernis, ne te fortaſſe moretur
Os placitum, Stygii rex fuit iſte lacus.
Quare etiam cuſtodem habuit dum viveret Orci,
Cui nunc in tenebris præda daret comitem.
Aſt hic, ſi ingenium moderari ſciſſet, ad auras
Tantum iſſet, quantum tartara nigra ſubit.

De Benedicto Jovio.

Claudere Muſeum jam Paullus ceperat, atque
Extremam chartis impoſuiſſe manum;
Cum ſubito exclamat Benedictus, muneris hujus
Siccine me expertem frater abire ſinis?
Non datur hoc, Jovius, viventi, dixit, at ille
Perpetuum ſperans vivere, lætus obit.

GUIDI POSTUMI

PISAURENSIS.

In ſtatuam Propertii.

PAllida quod nimium male pinxerit ora Properti
Ne, precor, artificem carpite: talis erat.
Finxit enim duræ mœrentem facta puellæ:
Aruerat ſanguis fugerat ore color.
Hac ego marmoreos ſumpſi de Gorgone vultus:
Huius eram vivus; mortuus hujus ero.
Uſus abeſt vitæ tantum, verum hanc quoque & olim,
Alterius vivens pectore, non habui.

Coponius, Coclitis percuſſor, loquitur.

Quis melior vates? quis Coclite verior augur?
Falſa canens, ipſa hæc cogit habere fidem.
Grande mihi nuper ſcelus, ac grave crimen iuſſit;
Quale vel ipſius pectus habere neges.
Puriter exegi tamen, ac ſine crimine vitam
Hactenus, ille autem dicere vera ſolet.

Quid-

Quidnam, Phœbe, igitur? certe illum haud multa fefellit
Linea, quam heu noſtras damnat habere manus,
Namque ubi hoc, noſtra cecidit malus ille ſecuri,
Cœpi ego, ne falſum diceret, eſſe nocens.

Ad Amicam.

Quid mea vita feras amor eſt fixiſſe? nocentes
Nonne hominum ſatis eſt ſanguine habere manus?

Ad Accipitris epitaphium.

Quid non Patre ſub hoc poterunt ſperare Quirites,
Cum tumuli meritis obliget unus aves?

ALOY-

ALOYSII PRIULI
VENETI.

Vota Lyconis Neptuno.

HÆc Neptune tibi contrito retia lino,
Hos calathos, atque hæc ferrea tela Lycon
Dedicat: inque altas ſupplex en porricit undas.
Jam ſenior tremula lacque merumque manu.
Dum licuit validis ſcrutatus viribus æquor,
His large eduxit ſeque ſuamque domum.
Nunc ſenio gravis exiguos vix litore piſces
Conſidens calamis captat arundineis.
Tu vero vaſti cui parent æquora ponti,
Et quicquid magni continet unda maris,
Fac vacuus redeat numquam ſub veſpere prædâ
Ille domum: parva hæc munera parva petunt:

Ad puellam.

Puro ſplendidior ſole puellula, &
Longe Sithonia candidior nive:
Sed multo aſperior tigribus aſperis,
Undiſque acrior Hadriæ,
Cur perſtas ſcopulis ſurdior Icari
Mathonis querulis vocibus, igneum
Cur pectus miſeri, cur jecur impia
Miris excrucias modis?
Nec te forma movet, dura; nec integra
Ætas, non animus, vel genus, aut fides

In-

Incorrupta viri, non amor aureus,
Non miſtæ lacrimis preces.
Nec quod Threicio blandius Orpheo
Etruſco modulans carmina barbito,
Dat ſenſum rigidis quercubus, & capit
Tigres te capere impotens.
Pone atrocem animum, pone ſuperbiam:
Non bellas decet hæc fama puellulas:
Quod cogant juvenes duriter ad necem:
Si neſcis, ſcelus impium eſt.
Et te dira manet pœna apud inferos,
Quæ natas Danai torquet inanibus
Urnis, dum refluit nec ſemel unda, nec
Parvis hauſta laboribus.

Ad Galeatium Florimontium.

Si cupis ex animo cognoſcere quid ſit agendum
Nunc tibi, jam temet conſule, non alios.
Te nemo id melius poterit tibi dicere, ſi quæ
Sæpe aliis dixti, dixeris ipſe tibi:
Diceret & quæ Gibertus, ſi viveret: ah quid
Dic miſer, ah Romæ quid Galatee facis?
Oblitus decoriſque tui, Sponſæque ſalutis,
Pro qua vel vitam ponere debueras;
Diceret hæc, inquam, tibi, quæ ſi viveret ille,
Increpitans, tute dic Galatee tibi.
Arreptaque fuga, ſponſam pete: quam licet ipſe
Spreveris, haud alium vult tamen illa virum.
Deperit illa unum tantum, te te expetit unum:
Tu pater & frater, tuque maritus ei es.
Ruſtica ſit quamvis: tamen eſt vel amabilis uno hoc
Nomine, quod te unum diligit, atque vocat,
Rumpe moras, moneo, ſponſam ne ſperne vocantem;
Dic miſer ah Romæ quid Galatee facis?
Quid nova cum veteri divortia conjuge tentas?
An non illa Deo eſt auſpice nupta tibi?

An non Parthenopes quamvis deceptus amore
  Illam liquiſſes: maluit illa tamen
In viduo mœrens tabeſcere frigida lecto,
  Quam ſpreto te, alio vivere juncta viro?
Rumpe moras iterum moneo, ſemperque monebo:
  Rumpe moras: Romæ quid Galatee facis?
Oblitus decoriſque tui, ſponſæque ſalutis,
  Pro qua vel vitam ponere debueras?

Ad eumdem.

Rumpe moras iterum moneo, Galatee, ſupremum
  Hoc eſt, quod moneo: plura monere vetor
Pande aures monitis, quæ non mihi dictat Apollo,
  Vana nec Aoniæ numina Pierides,
Sed Deus ora movet, Deus inquam hos edere verſus,
  Et fraternus amor pauca monere jubet.
Rumpe moras iterum moneo Galatee, reverte.
  Dum licet ad ſponſam, ſi ſapis, ipſe tuam.
Hoc te Flaminius, Gibertus & ipſe moneret;
  Si campis reditus detur ab Elyſiis:
Et nunc cunctantem te miraretur uterque:
  Nunc certe inſanit, diceret, iſte ſenex.
Numne times vanos queſtus Amaryllidos? an te
  Mœrens lacrimulis detinet iſta ſuis?
Ah quanto plures lacrimas effundit ocellis,
  Quæ jacet in viduo frigida ſponſa thoro.
Illa quidem ſeros reditus defeſſa querendo
  Crudelem incuſat terque quaterque virum.
Mene diu ſolam ſine te, Galatee manere,
  Tene mei immemorem degere in Urbe diu?
Crudelis Galatee diu quid in Urbe moraris?
  Dic ſæve ah Romæ quid Galatee facis?
Ruſtica ſim quamvis, an non tamen ipſa pudore
  Egregio merui ſat placuiſſe meo?
Non ego ſervavi intactum tibi caſta cubile,
  Cum tu Parthenopes captus amore fores?

Sci-

Scilicet hoc egi, ut te nunc Amaryllis haberet,
  Poſſideatque virum ſcilicet iſta meum?
Hæccine pro meritis tantis ingrate rependis
  Præmia? cum fida conjuge ſiccine agis?
Quod ſi nulla meæ tangit te cura ſalutis,
  At ſaltem exigui commiſerere gregis:
Qui dum per ſaltus nullo paſtore vagatur,
  Heu miſer eſt avidis obvia præda lupis.
Hæc & plura equidem audivi Galatee querentem
  Sponſam ſæpe tuam vocibus horrificis:
At tu blanditiis formoſæ Amarillydos eheu
  Illectus, ſponſam deſpicis, atque gregem:
Oblitus decoriſque tui, ſponſæque ſalutis,
  Pro qua vel fuerat mors obeunda tibi.
Rumpe moras, iterum moneo, Galatee: ſupremum
  Hoc eſt, quod moneo: plura monere vetor.

FINIS.

INDEX

Rerum notabilium, quæ continentur

IN TOMO SEPTIMO.

A

ACademia Cruſcæ laudata pag. 226.
Acciajolus Donatus 387.
Achillis geſta 349.
Achilles docetur cithara canere a Chirone 34.
Æſtas deſcripta 94
Agricolarum vita laudata 316. V. Rus.
Albicius Maſus Luca 69. *Albiera* 358. 373. 397.
Aleander Hieronymus 426.
Alexander VII. Pontif. Maxim. 413. 416. 429. 436. 437.
Amans ardet 104. *mortem optat* 105. 207.
Amantum qualitates 442. *infelicitas* 487. *cicadæ comparantur amantes* 489.
Amores varii 196.
Amoris potentia, & mala quæ ingerit 20. 197. *perennis* 22. *fabella de ipſo* 52. *bella gignit* 62. *omnium bonorum dator* 95. 96. *in mundi exordio omnia conciliat* 95. *flammæ* 104. *hortatur ut fe-*

riat 155. fugiendus 194. ejus origo ex fabulis 194. multos perdidit 197. remedia 202. potentia 205. definitio 271. fugitivus 402. ſoli comparatur 485.
Angelius Jacobus laudatus 133. *Petrus* 234. 253.
Antiquarius Jacobus 265.
Apollo 58. 61.
Aquivivus Andr. Matthæus 65.
Aragonia Hieronyma 96.
Arcimboldus Aloyſius 264.
Aretinus Leonardus 497. *Carolus* 510 518.
Arnolphinus Pompejus 154.
Auriſpa Siculus 511.

B

BAcchanalia pag. 108. 134. 215.
Bacchus poëtarum numen 15. 443.
Baldinottus Thomas 383.
Balianus Jacobus 275.
Barberinus Franciſcus Cardinalis 427.
Barcalius Joannes 428.
Barzius Cæſar 36.
Bellarminius Robertus Cardinalis 393.
Bembus laudatus 153. *Bernardus* 374.
Benius Paulus 293.
Berlaſianus Matthæus 266.
Bernerius Hieronymus 265. 272.
Bertutius Hieronymus 121.
Bidellius Michaël 254.
Bizantius Marianus 102.
Boccaccius 75. 313.
Bonarrota Michaël Angelus 434.
Bonna Joannes 104.
Bonromeus Vitalianus 263.

Boreas deſcribitur 84.
Bracellus Antonius 278.
Briagus Angelius 275.
Brutus Marius 102. *Julius* 156.
Buccardus Jo: Jacobus 430. 431.
Bucchius Eugenius 111.
Buxetus Nicolaus Maria 447.
Buzzacharinus Franciſcus 272.

C

CAlderinus Domitius pag. 387. 388.
Capellus Vincentius 116.
Capponius Capponus 235. 251.
Carolus V. laudatus 64.
Carolus Magnus laudatus 77.
Cataneus Julius 265.
Catulus lepidiſſimus deſcriptus 45.
Charites deſcriptæ 54. 156.
Charon deſcriptus 18.
Chiron cithara formavit Achillem 34.
Chiſius Flavius Cardinalis 418.
Chriſti natalis 66. 145. 231. 288. 289. *Paſſio* 183. *Cruci affixi imago* 202. 496.
ad *Chriſtum hymnus* 474. 475.
Chriſtina Svecorum Regina 429.
Cicero laudatus 332.
Ciſalpinus Andreas 253.
ad *Citharædos* 485.
Columna Iſabella 44. *Sarra* 78. *Jo: Cardinalis* 162. *Livia* 520.
Conjux bona ſine dote quærenda 199.
D. *Conſtantius Epiſcopus Peruſinus* 36.
Corona lauri, atque hederæ cur coronentur poëtæ 15.
Cribellus Joannes 266.

Creta inſula deſcripta 118.
Curteſius Alexander 380.
Cybo Malaſpina Aldreanus 34.
Cyclopis fabella 210.
Cyriacus Anconitanus 518. 519.
Cyrus 168.

D

DAntes Aligerus pag. 313.
Detus Joannes Baptiſta 243.
ad *Deum deprecatio* 88. 192.
in *Diſceſſu ad amicos* 110.
Divitiæ contemnendæ 23.

E

ECho in Chriſti Natalem 66.
Egloga 141. 145.
Epiſtolæ 111.
Epitaphium M. Anton. Caſanovæ 63. *Vidii Medici* 69. *Julii Bruti* 156. *Jo: Campetii* 282. *Bernardini Tomitani* 283. *Jocti Pictoris* 400. *Franciſci Hauriæ Stabiani* 445. *Fulci Muſici* 481. 491. *Julii Parmerii* 481. *Puellæ* 482. 491. *Mendici* 483. *Julii Pomponii* 492. *Alphonſi Davali* 493. *Urſi Urſini* 494. *Franciſci Ælii* 495. *Mariani Heremitæ* 495. *Accipitris* 524.
Epithalamion 39.
Equus deſcriptus 322.
Eſtenſis Leonellus 515.
Euridices Orpheo reſtituta 123. V. Orpheus.

F

FAbritius Philippus pag. 120.
Favoritus Auguſtinus 424.
Ferrarius Guidus Cardinalis 286.
Feſta Romanorum enumerata 64.
Ficinus Marſilius 372. 388.
Flaminius Marcus Antonius 284.
Florentia laudata 11.
Flores aliquot deſcripti 3.
Florimontius Galeatius 526.
Fons deſcriptus 95. Gajus 510.
Franchedinus Franciſcus 274.
Franciſcus Galliarum Rex laudatus 521.
Franciſcus Laurentius 253.
Frangipanis Cornelius 97.
Fregoſus Baptiſta Genuæ Dux 258.
Funeris deſcriptio 365.
Furſtembergius Ferdinandus 422. 432. 434.

G

GAlilæus Galilæus pag. 242.
Galli Gallinacei deſcriptio 325.
Galliæ deſcriptio 126.
Gaza Theodorus 384.
Germanus Joannes 498.
Gigantum pugna 134.
Gonzaga Aloyſius 44. Franciſcus 523.
Granata Aloyſius 292.
Gratiæ 156.
Gratiarum actio 366.
Grimaldus Luca 278.

Grimanus Marcus 112.
Guaſcus Ludovicus 274.

H

H*Eſperidum hortus pag.* 94.
Hiſmaël Sophus 79.
Homerum aliorumque poëtarum opera 13. 303. *&c. laudatus* 341. 376.
Homodeus Signorollus 277.
Horatius Flaccus carpitur 41.
Hortus laudatus 94. *deſcriptus* 132.

I

I*Guvii Epiſcopi pag.* 35.
Imperia mulier Romana 63.
ad *Inferos quot viri egregii deſcenderint, indeque remearint* 15.
Inferorum concilium 236.
Inferorum pœnæ quales apud poëtas 17. 18. 19. 121.
Innocentium cædes 235.
Innocentius VIII. Pont. Max. 390.
Jodtus Pictor 400.
Jovius 79. *ſcriptor hiſtoriarum* 521.
Iris deſcripta 188.
in *Juriſconſultos barbaros* 277.
Ixion 17.

L

L*Andrianus Jacobus pag.* 276.
D. Laurentii laudes 203.
Laus Epiſcopi 32. 35. *Martyris* 36. *Poëtæ* 1

105. 191. 234. 269. 298. 382. *cythara canentis* 120. *medici* 228. *concionatoris* 439.
Leo X. Pont. Max. V. Medices.
Leo vermiculati operis Iguvii repertus 38.
Leva Antonius 79.
Lucanus laudatus 307.
Ludi deſcripti 108. 109.

M

MAffæus Marcus Antonius pag. 45.
Maria ſemper Virgo 187. *ad eam deprecatio* 187. *invocatur* 194. 397.
Marinotius Franciſcus 244.
Marinus Nicolaus 39.
Maris Dei 103.
Marrocchius Aurelius 420.
Marſyæ fabula 3.
Martinales ludi 107.
Martinus V. Pont. Max. 503.
Maximilianus Cæſar 87. 91.
Mazonius Jacobus laudatus 231.
Medices Petrus 1. 11. *laudatus* 12. *Coſmus Pater Patriæ, ejuſque geſta* 11. *Laurentius* 12. 166. 178. 179. 256. 257. 258. 313. 330. 357. 365. 366. 367. 369. 370. 371. 386. 391. 392. 401. *Julianus* 12. 258. *Coſmus Dux Florentiæ, & Senarum* 44. *Leo X. laudatus* 172. 182. *exul* 175. *Antonius* 278. *Jo: Cardinalis* 405. 412.
Melchiorius Franciſcus 94.
Menagius Ægidius laudatus 151.
Mendoza Aloyſia 39.
Mercurialis Hieronymus laudatus 228.
Michelotius Nicolaus 271.
Militia deteſtata 447.

Militum munia 317.
Morborum deſcriptio 229.
Mors nemini parcit 244.
in *Morte Mutii Tarrucii* 30. *Sicini Pepuli* 43. *Catelli lepidiſſimi* 45. 287. *Imperiæ Mulieris Romanæ* 63. *Pii IV*. 66. *Marii Molsæ* 71. *Conjugis* 121. *Ludovici Pantani* 141. *Petri Spini* 244. *Octaviani M. Sfortiæ Vicecomitis* 259. *Andreæ Minutii* 291. *Albieræ Albitiæ* 358. 373. *Ovidii* 382. *Theodori Gazæ* 384. *Alexandri VII*. 441. *Muſici* 481.
Mozzanica Laurentius 267.
Muſæ aliquot 2.
Muſarum invocatio 27. 87. 109. 112. 115. 137.
Muſici tumulus 481. 491.

N

N*Æniæ ad ſoporem inducendum pag.* 493.
Naldus Naldus poeta 372.
in *Natali filii exultatio* 452.
Nemeſis Dea 331.
Neptuno Vota 525.
Ninus 169.
Niobes fabula 3.
Noctis deſcriptio 96.
Nutrici honor habendus 294.
Nympharum metamorphoſis 219.

O

O*Rbis terrarum diviſio in multas ditiones, enumerata pag.* 6.
Orpheus 22. 123. 234. 297. 302. 330. 445. 477. *&c.*
Otium poſt laborem neceſſarium 233.
Ovidii laudes 61. 382.

Pa-

P

Paladinus Joannes pag. 273.
Pallavicinus Sfortia 430.
Panigarola Franciſcus 292.
Pandothius Panætius 374.
Panormita Antonius 500.
Parnaſſus deſcriptus 2.
Paſtoralia vota 98.
Patricius Franciſcus laudatus 29.
Pax 93. 94. 457.
Pegaſi fabula 32.
Pereſius Nicolaus Claudius Fabricius 430.
Perſei fabula 32.
Petrarcha 75. 313.
Petrutius 506.
Philelphus Franciſcus 269.
Philomela 2.
Phœbi geſta 2.
Piccolomineus Alexander 292.
Pithon occiſus 2.
Pius V. Pont. Max. 84. 90.
Pius II. Pontif Maxim. 145.
Platus Jo· Thomas 261. 268. *Anaſtaſius* 279.
Pluviæ, & tempeſtatis indicia enumerata 328.
Poëſis laudata 92. 295. *&c.*
Poëtarum varia genera 9. 299. *&c. paucitas, & ejus cauſa* 9. 10. 11. *aliquorum præclarorum opera* 13. 14. *illuſtriores enumerati* 75. 300. *&c. falsa dicunt, dum fingunt ſe amare, ut alios moneant* 106. *ſacri* 301. *laudati* 501. 511. 518. 519.
Poggius 511. 518.
Politianus Angelus 277.

Polus Cardinalis 63.
Pontanus Jovianus laudatus 81.
Propertii Statua 523.
Pudicitia laudata 460. 461. 464. 465.
Puellam deprecatur amans 19. 208. 209. 212. 213. 246. 443. 490. *eidem bene precatur* 20. *eam laudat* 20. 21. 386. 525. *deabus comparata* 24. 25. *dolens ob mortem fratris* 25. *a puella diſcedit amans* 26. *dolens ob mortem catelli* 49. *indri comparata* 97. *ſole lucidior* 208. *dolet ab amante deſpecta* 223. *rus petit* 248. *picta* 368. *mortua* 358. 373. 375. *ejus oculi laudati* 520 *dono mittit violas* 379. *ejus tumulus* 482. 491. *in avem mutata* 508. *puellæ nimis cultæ accuſantur* 453. *ei reconciliatur amans* 504.
Puer formoſus 67. 68.
Purlilius Bartholomæus 285. 289.
Puſterla Jo: Franciſcus 271.
Puteus Carolus Antonius 152.

R

R*Audenſis Alexander pag.* 273.
Reditus in patriam deſcribitur 117.
Renerius laudatus 152.
Rho Joannes 439.
Ricanus Orpheus 262. 264.
Robortellus Franciſcus laudatus 285.
Romanorum virorum præclariora geſta 5. 16. 17.
Romanorum mores antiqui 7.
Rondininus Natalis 431.
Roſa deſcripta 110. 346.
Ruris deſcriptio 22. 100. 160. 315. 357. *rus petit puella* 248. *laudatum* 287. 316. 459.
Ruſticuccius Epiſcopus laudatus 32.

S

SAbellus Marianus laudatus pag. 35.
Salviatus Julius 381.
Scala Bartholomæus 394.
Schænius Æmilianus 131.
Scipionis otium 233.
Semiramis 169.
Senectus deſcripta 82. 83. properat 95.
Senum opera remiſſiora 42.
Seraphinus Canoppa 502.
de Serzana Thomas 514.
Sfortia Franciſcus 506.
Silenus 318.
Similitudo lupi 56. venti 84. noctis 96. maris numquam creſcentis 97. ſerpentis 174. 218. palmæ 203. lupi 218. canis venatici 225. 240. veris 228. leonis 238. tempeſtatis 241. floris contuſi 241. roſæ 346. draconis 351.
Simoneta Cicchus 262. Jo: Jacobus ibid.
Sorius Joannes 499.
Spada Bernardinus 431.
Speluncæ deſcriptio 131.
Stabiani Franciſci Hauriæ 445.
Studia doctrinarum enumerata 230. 231.
Stupha Siſmundus 358. 373.

T

TAſſius Torquatus.
Tempeſtas deſcripta pag. 499.
Terrarum orbis diviſio in multos Dominos 5.
Terſagus Aloyſius 270.
Thamyris 169.

Titia-

Titianus Pictor 283.
Tityus 17.
Tonſus Joannes 41.
Tormenta bellica deſcripta 317.
Triumphus deſcriptus 5. 90.
Trivultius Jacobus laudatus 78. 275. *Joannes Jacobus* 263.
de *Turcis navalis victoria* 27. 88. 150. *Melitam obſident* 38. 85. *contra Venetos pugnant* 62. *contras eos fœdus* 113. 137. *contra eos bellum ut moveant, hortantur Principes Chriſtiani* 126.
de la *Turre Joannes Franciſcus* 272.
Turrianus Michaël 286.
Typhoeus 92.

V

VAlturius Robertus pag. 168.
Ubertinus Ciceronis epiſtolarum commentator 276.
Vegius Poëta 511.
Venatio deſcripta 101.
Veneris deſcriptio 52. 486.
Venerius Sebaſtianus 290.
Venetiæ laudatæ 290.
Vercellenſis Antonius 271.
Verinus Michael 397.
Veris deſcriptio 228. 320.
Vicecomes Octavianus M. Sfortia 259.
Victoriæ navali plauſus 27. 87.
Vidius Medicus 69.
Vindemia deſcripta 119.
Violæ dono miſſæ a puella 379.
Virgilius laudatus 5. 157. 303. 331. *&c. ejus opera enumerata* 333.
Vitia hominum enumerata 183. 184.

Ulyſ-

Ulyſſis geſta 352.
Vota paſtoralia 98.
Urbes præclaræ exciſæ 8.
Urbini Civitas Pontificis Maximi ditioni reſtituta 183
Wallius Jacobus 434.
Uxori præcepta dantur 461.

Z

Z*Achia Felix pag.* 431.

Pag.	v.	ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 3.	v. 25.	quatiebant	quatiebat
12.	v. ult.	concitat ales	concinat ales
23.	v. 23.	adeſt.	abeſt.
45.	v. 31.	dici	diu
46.	v. 12.	femina.	femora.
56.	v. 26	remulce	remulcet
57.	v. 1.	atte	arte
64.	v. 18.	Dum velis,	Tum velis,
73.	v. 1.	fingere	figere
78.	v. 7.	ſecutis	ſecuris
81.	v. 25	falsc	falso
85.	v. 19.	Hortum,	Ortum
94.	v. 25.	thoros.	choros.
	v. 32.	Nemenſis	Nemeſis
125.	v. 29.	quodnam	quondam
154.	v. 13.	micellum?	miſellum?
160.	v. 3.	auriuque	aurique
172.	v. 19.	moves, & præmia Morum.	mores, & præmia morum.
189.	v. 16.	quæſtus	queſtus
191.	v. 25.	lenis erat?	lenis eat?
194.	v. 24.	Quis varios	Qui varios
195.	v. 4.	ſtimulant	ſimulant
232.	v. 8.	incunde,	jucunde,
236	v. 22.	Faneſque,	Fameſque,
249.	v. 13.	prendete	prendere
280.	v. 11.	Tu bove,	Te bove,
294.	v. ult.	uber	ubere
295.	v. 20.	Nature	Naturæ
303.	v. 26.	furtaſſe	fortaſſe
305.	v. 35.	Altiar	Altior
307.	v. 21.	inductus	indutus
309.	v. 35.	inveneſcere	juveneſcere
315.	v. 4.	tauta	tanta
318.	v. 6.	cantus	cautus

ERRATA.			CORRIGE.
Pag. 318.	v. 21.	tutiloſque	rutiloſque
323.	v. 27.	ſomne,	ſomno,
324.	v. 26.	irrotat	irrorat
325.	v. 1.	ſupplondunt	ſupplodunt
	v. 20.	durari	durati
327.	v. 16.	collis	colles
	v. 31.	mergite	mergit
329.	v. 12.	Dependet	Dependent
333.	v. 32.	verſate	verſare
343.	v. 29.	Exitiiquæ	Exitiique
346.	v. 17.	Reſtituunque	Reſtituuntque
358.	v. 14.	tapta	rapta
363.	v. 15.	niſi	niſi
366.	v. 14.	ego	ago
390.	v. 7.	Europæ juga	Europæ te juga
395.	v. 16	Blanditiſque	Blanditiiſque
404.	v. 6.	Exudit	Extudit
445.	v. 26.	evi!	ævi!
449.	v. 9.	eſſa	eſſe
450.	v. 31.	ſaciles	faciles
455.	v. 4.	medico,	modico,
458.	v. 26.	forte	forte
462.	v. 7.	Merulle	Marulle
464.	v. 5.	junĉte,	junĉtæ,

Date Due

Form 335—40M—6-39—S

851.08 B751C v.7 376490

Bottari

Carmina

DATE	ISSUED TO

851.08 B751C v.7 376490